Gaury

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
10 C
13

~~13-4-a-19~~
5-19-A-4-

FRATRIS ALFONSI A CASTRO ZAMORENSIS, ORDINIS MINORVM, REGVLARIS OBSERVANTIÆ,

De poteſtate legis pœnalis, libri duo, nunc recens editi,

Cum Indice ſingularium rerum totius operis copioſiſſimo.

LVGDVNI,

Apud hæredes Iacobi Iuntæ.

M. D. LVI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ADMODVM IL-
LVSTRI AC REVEREN-
diſsimo præſuli domino Michaeli Munocio
epiſcopo Conchenſi,& regij Senatus apud
Pintiam conſtituti, primo præſidenti ac
moderatori, Frater Alfonſus à
Caſtro ordinis Minorum
omnem optat fœ-
licitatem.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ETSI multa ſint, Reuerendiſſime præſul, ad vitam hanc ærumnoſam, ſiue politicam, ſiue œconomicam, fœliciter agẽdam neceſſaria, leges tamẽ primum locum inter tam multa iure ſibi vẽdicant, propterea quòd nec vita ipſa, nec reliqua omnia, quæ ad vitam illam tuendam ſummè exiguntur, ſine legibus tuta et firma conſiſtere poſſunt. Niſi enim eſſent leges, quæ flagrantiſsimas hominum libidines atque cupiditates cohiberent, et turpiſsimos atque nocentiſſimos hominum mores corrigerent, neque pecunias, neque domos, neque agros, neque vxores, nec denique vitam tutam homines haberent, ſed furum, latrónum, adulterorum, parricidarum plena eſſent omnia: bonis viris aut nullus eſſet in ciuitate locus, aut turpiſsimis ſemper afficerentur iniuriis. Eſſent quidem homines (vt diuinus quidam propheta eleganter dixit) velut piſces maris, quorum qui maiores ſunt et potentiores Abac.1.

graſſantur in minores,et illos deuorant. Niſi leges eſſent, quæ homines ad malum pronos reuocarent à vitiis,tantò quiſque illorum magis aliis nocere curaret,quantò id liberius ſe facere poſſe intelligeret.Virgines è parẽtum amplexibus eriperentur, vxores à ſuorum coniugum cubiculis raperentur,homines per vias & per publicas plateas expoliarentur,percuterentur, crudeliſsimè deniq; interficerentur. Leges ſunt quæ homines à tantis periculis,tantiſq; iniuriis,tantaq; atrocitate defendunt, & quæ illos in ſummo otio, atq; in ſumma tranquillitate cuſtodiunt,fortunas hominibus vnicuique ſuas reddentes,vitam corporis pariter atq; animæ ſeruantes. Verùm etſi leges omnes ad genus humanum regendum defendendumq; excogitatæ ſint,omnes ad vitam fœliciter agendam adinuentæ,leges tamen, quæ pœnales dicuntur, propterea quòd pœnas contra tranſgreſſores ſtatuunt, tantò reliquas omnes antecellunt,quantò maiorem oſtendentes potentiam pluribus prodeſſe noſcuntur. Sunt enim multò plures,qui pœnarum metu,quàm qui virtutis amore à vitiis abſtinent. Aliæ leges oſtendunt virtutis viam & hortantur ad illam, leges autem pœnales non ſolùm hortantur, ſed pœnis,quas minantur veluti quibuſdam calcaribus, vrgent ad illam.Aliæ leges vitia prohibent,& ab illis fugere præcipiunt: pœnales verò leges non ſunt ſolo præcepto contentæ, ſed pœnarum formidine à quibuſlibet vitiis potentiſsimè deterrent, & ab illis citiſsimè fugere compellunt. Si

quid igitur vtile ac iucundum hominibus in hac vita contingit, id totum legibus potiſsimum pœnalibus acceptum ferre debemus. Vtiliſsima quidem res eſt maris nauigatio, per quam ſæpe ea, quæ ciuitati aut regno deſunt, facili commeatu aliunde transferuntur, vnde frequenter euenit, vt tam vili precio illa habeantur, ac ſi ibidem nata fuiſſent. Hoc legibus pœnalibus debetur, quæ piratas duriſsimis vndique ſuppliciis proſequuntur. Neceſſarium ſæpe eſt & commodiſsimum à propria domo & patria diſcedere, & per alienas terras exteraſq; nationes longè lateq; vagari. Vt autem huiuſmodi profectiones & itinera tutò quiſque conficere valeat, leges pœnales efficiunt, quæ latrones acerbiſsimè puniunt, & graſſatores aliaq; inſidiarum pericula longè repellunt. Iucundiſsimum eſt liberè in ciuitate verſari, & fortunas quenque ſuas ſecurè poſsidere, & illis pro libito vti. Id leges pœnales præſtant, quæ omnem iniuriam debito vlciſcuntur ſupplicio, & nullam iniuriam impunitam abire permittunt. Quiſquis enim pœnas, quæ legibus decretæ ſunt, vehementer horruerit, ne aliis quouis modo noceat, diligentiſsimè curabit. Non deſunt tamen viri docti & valde celebres, qui his tot ac tantis beneficiis à lege pœnali receptis ſe ingratos oſtendant, omnem ab illa poteſtatem auferre conantes. Quod ſi, vt conantur, efficere poſſent, perinde patriæ nocerent, ac ſi globos omnes, quos ad bellicorum tormentorum vſum illa haberet, ſurripuiſſent, aut protinus confre-

giſſent. Nam ſi à bombardis aut culebrinis, aut aliis id genus machinis bellicis globos illos ferreos ſiue lapideos, quorum iactu illa homines occidere, muros impetere & deiicere, turres altas proſternere, hoſtes deniq; à muris propellere ſolent, ſubtraxeris, nil horum efficere, ſed ſolum vacuum & inane tonitruũ illa reddere valebunt. Similes per omnia eſſent leges pœnales, ſi illæ ſolæ, prout aliqui docent, nunquam pœnam infligere, ſed ſolũ minari poſſent. Nam ſola pœnæ comminatio velut inane tonitruũ nequaquam lædere, ſed ſolùm incautos terrere valet. Fiet igitur hac ratione, vt quemadmodum hoſtes, poſtquam ſe à tormentis bellicis ſine cauſa territos fuiſſe intellexerint, tantò audacius ad mœnia ciuitatis accedunt, & muros ſcandere tentant, quantò id ſecurius ſe facere poſſe confidunt: ita etiam ſcelerati homines ad quoduis malũ proni, qui velut peſsimi ciuitatis hoſtes meritò cenſendi ſunt, cùm intellexerint minimam eſſe legum pœnalium poteſtatẽ, eò audaciores ad vitia perpetranda reddantur, quò magis illas non lædere, ſed ſolùm tonare poſſe crediderint. Vt igitur vanam eſſe hanc ſceleratorum hominum fiduciam oſtenderem, & ſic ſtultam illorũ audaciam, qua poſſem, parte compeſcerem, decreui legis pœnalis poteſtatem, quam alij obſcurare aut penitus eneruare nituntur, tam notam omnibus facere, vt ſua potentia omnibus declarata, ſceleratos quoſq; homines à ſcelerũ perpetratione meritò illa deterrere poſsit. Scio tamen non defuturos,

qui

qui me ob hoc velut arrogantem, & plus æquo præſumentē incuſabunt, quòd in meſſem, vt illi putant, alienam mittere manum nō erubuerim, tanquam ſi de legum poteſtate diſſerere, res ſit à viris Theologis longiſsimè aliena, & non potius ad illos, quàm ad iuris humani peritos pertineat. Quis dubitat diuinarū legum germanam interpretationem, & rectam illarum intelligentiam ad virum Theologum ſpectare? Aut quis etiam dubitat legum humanarum poteſtatem à diuina lege adeò pendere, vt ſi illæ cum diuina lege pugnent, nullam poteſtatem, nullúmq; prorſus robur habere poſsint? Theologis igitur, quibus ſolùm diuinarū legum interpretatio permiſſa eſt, potiſsimum incumbit de legum humanarum poteſtate, tanquam de re, quæ tota ex lege diuina oritur diſſerere. Ego hanc rem cum iuris humani peritis libēter & amicè iuxta hunc modum partiri vellem, vt legum humanarum interpretationem illis Theologi relinquant, illi verò Theologis concedant de illarum poteſtate atq; iuſtitia diſputare, quia illa ſine legis diuinæ cognitione nequaquam rectè intelligi poteſt. Sunt tamen aliqui tam apertè tyranni, vt quæ aliorum ſunt propria, aut ſaltem omnibus communia, legem (vt vetus adagium ait) in manibus habentes, ſine vlla ratione ſibi vendicare non erubeſcant. Qui me propter hoc opus à me intentatum incuſabunt, ſimiles erunt canibus, qui non ſolùm à domo aut agro ſui domini, ſed ab omni etiam confinio quamlibet remoto viatores arcere vo-

lunt,& ideo contra illos etiam,qui per publicam & communem omnibus viam gradiuntur, importuniſsimè latrant. Videns igitur me propter hanc cauſam improbis quorundam latratibus, ne dicam morſibus obiectum, neceſſarium mihi eſſe cenſui patronum,cui opus hoc dicarem,quęrere,qui illud in ſuum clientulum recipiens,pro ſua clementia potenter tueretur. Quem cùm diligenter veſtigaſſem, nullus vnquã alius præter te, Reuerendiſsime præſul, mihi occurrere potuit,qui fidelius, & doctius, & integrius id præſtare poſſet. Nam propter egregiam tuam in vtroq; iure doctrinam Carolus quintus huius nominis Cæſar, idémq; Hiſpaniarum rex eiuſdem nominis primus te inter conſiliarios ſui regij Senatus apud Granatam illuſtrem Hiſpaniarum ciuitatem conſtituti connumerauit. Quo loco tam multa tuæ prudentię ac bonitatis teſtimonia præſtitiſti,vt idem Cæſar te dignum cenſuerit,cui epiſcopatum Tudenſem meritò commendaret. Nec Cæſarem fefellit opinio. Quoniam poſtquam conſecratus es epiſcopus,non in Cæſaris curia,aut in proprio natali ſolo(vt multis aliis epiſcopis eſt ſolenne) ſtationem tuam fixiſti: ſed optimè intelligens te animarum paſtorem eſſe inſtitutum, confeſtim ad viſitãdas oues tibi commiſſas conuolaſti. Quantã verò diligentia oues illas cuſtodieris,& ſpirituali pabulo refeceris, res eſt apertior, quàm vt verbis meis illuſtrari poſsit. Nam Chriſtum ſaluatorem noſtrum verum & optimum paſtorum exemplar imita

imitatus, circuiſti omnia tuæ diœceſis oppida & caſtella, docens in templis eorũ, & prædicans euangelium regni. Quoſdam (prout ex Pauli doctrina optimè intellexeras eſſe faciendum) obſecrabas, alios leniter arguebas, alios acriter increpabas in omni patientia & doctrina. Arundinem quaſſatam (quod Deus vetat) nunquam confregiſti, ſed potius, quod infirmum eſſe noueras, conſolidaſti: quod confractum erat, alligaſti: & quod abiectum erat, reduxiſti. Nihil deniq; fuit ad verum epiſcopum ſpectans, quod in te fuerit meritò deſideratum. Quę omnia Cæſari perſuaſerunt (vel vt rectius dicam) Cæſarem coegerunt, vt te inde auocaret, & ſui regij ſenatus apud Pintiam, quam vulgo Vallem oleti dicunt, conſtituti moderatorẽ primúmq; præſidentem inſtitueret, & paulò poſtea Conchenſem epiſcopatum, qui Tudenſi eſt multò opulentior atq; nobilior, tibi traderet. Quæ duo miniſteria, etſi ſuapte natura ſecũ velut ex diametro pugnent, tu tamen pro tua incredibili prudentia, & indefeſſa cura, ita illa duo concilias, vt nullum inter illa bellum eſſe videatur. Nam ita ſenatui regendo incumbis, vt ferè nihil epiſcopatui detrahas, ita vni reſpondes, vt nihil alteri negatum eſſe credatur: ita deniq; vtriq; adſiſtis, vt neutri deeſſe videaris. Nolo in latiſsimo tuarum laudum campo amplius ſpatiari, ne aliis, qui tua plurima merita ignorant, adulationis aut blandiloquẽtiæ vel minimam prębeam ſuſpitionem, ne etiam tibi faſtidium ingeram, quem certò

2.Tim.4.

Mat.12.

ſcio nihil minus pati ſolere, quàm laudes etiam modeſtiſsimas. Placuit tamen aliquam vel paruulam tuorum meritorum portionem hîc perfunctoriè recenſere, vt pro multis mihi à te exhibitis beneficiis, aliquod grati animi teſtimonium oſtenderem. Verùm quia vnũ ſolius teſtimonium parum efficax omnium ſapientium iudicio cenſetur, niſi alterũ addatur quod illi conſentiat: ideo hoc opus de poteſtate legis pœnalis nunc recens à me editũ tibi offerre ſtatui, vt hoc multò pleniori teſtimonio adiuncto, me tibi deditiſsimum eſſe apertiſsimè comprobarem. Tu igitur, Reuerendiſsime ac doctiſsime præſul, pro tua benignitate & clementia opus hoc in tuam clientelam ſuſcipies, & pro tua prudentia de illo iudicium facies. Nam ſi tu illud probaueris, mihi vehementer perſuaſi ita vel maximè candido cuiq; lectori probatum iri.
Vale Reuerendiſsime ac doctiſsime præſul. Ex noſtro Salmanticenſi cœnobio. 14. die menſis Septembris, Anno 1550.

GREGORIVS GALLVS ADMODVM ILLVſtri præſuli Petro de Caſtro Salmanticenſi epiſcopo, Philippi Hiſpaniarum principis à ſacris miniſtro primario. S.

EX tua in me pietate ac non vulgaribus officijs, intelligunt multi, præſul & genere, & literis, & religione ornatiſſime: aliquantulum habere momenti, noſtrum in re literaria iudicium: idque apud te, virum alioqui naris emunctiſſimæ. Quo fit, vt cùm tu peregrè abes, cum principe Hiſpaniarum Philippo verè maximo: ij, quibus tui gregis eſt à te cura demandata, non ſe penitus aberraſſe putent, ſi id tuo erga me iudicio, vel (vt ego interpretor) amori tribuant: vt de libris prelo mandandis, quandoque meum elogium adijciam. Præſtiti id, pro mea tenuitate, non ſemel viris ſanè doctis, atque adeò doctiſſimis. Sed nunc auſim planè dicere, quod eſt in parœmia, Herculem quis vituperat, vt opus ſit, me cenſorem adhiberi præclaro huic operi de lege pœnali: authore laudato viro fratre Alfonſo de Caſtro, Minorum familiæ religioſiſſimæ præfecto. Qui ſine controuerſia (neque me fallit amor) inter noſtræ ætatis primarios viros meritò refertur. Cùm ob ingenium fœlix, multiplicem eruditionem, præclaram in docendo perſpicuitatem, ſtyli ornatum non apud Hiſpanos modò

clarus

clarus ſit: ſed inter Gallos, Morinos, Germanos, & Italos voce & calamo, iam olim celebris. Quare viri tum literis, tum etiam religione præſtantis laudes, exigua complecti charta, non eſt animus: ſed id dicam quod paucis mutatis, de Scæuola, apud Ciceronem, aiebat Craſſus. In hoc libro agnoſces virum inter Theologos iuriſconſultiſſimum, inter iuris peritos, in ſacris literis eruditiſſimum: tantum abeſt, vt in eo quicquam ſit, quod vel à fide exorbitet, vel pias aures offendat. Quam ob rem virum mei ſtudioſiſſimum, multis nominibus tibi commendarem, ampliſſime præſul, niſi intelligerem omnes probos & eruditos viros, huius denique ſimiles, benignè à te excipi ſolere. Quòd ſi eſſes ingenio non admodum perſpicaci, vel parum grato, ac tuo iſti prorſus diſſimili, non poſſes non magnificare, huius notæ hominem: qui tam multis recto actis annis, gregi tuo nuſquam non proſpicit: nunquam non attendit. Cuius vocem vſque adeò perhorreſcunt rapaces lupi, vt ne noctu quidem, idque eminus, circum tui gregis caulas obambulent. Nec minus Salmanticenſes tui, hac præclara euangelij tuba accenſi, in deſtinatum brauium ſupernæ vocationis, promptiori animo feruntur. Quod vt præſtent, tu ipſe ſollicitudine, & cura, re & nomine veri paſtoris, diligenter curato. Vale.

Magiſter Gregorius Gallus.

LICENTIA IMPRESSIONIS HVIVS OPERIS A' miniſtro generali ordinis Minorum conceſſa authori.

* *
*

REVERENDO *in Chriſto patri fratri Alfonſo de Caſtro Zamorenſi uiro doctiſſimo prouinciæ diui Iacobi ordinis Minorum regularis obſeruantiæ, Frater Andræas Inſulanus totius eiuſdem ordinis generalis miniſter & ſeruus* S. D. *Quum abſolueris opus quoddam* De poteſtate legis pœnalis *(ſic enim inſcripſiſti,) idq́; quẽadmodum ais approbauerit epiſcopus tuæ diœceſis, quod examinatum à uiro doctiſſimo* Magiſtro Gallo *uiſum ſit digniſſimũ, quod in communem omnium uſum atque profectum foras mittatur, quumque, ut hoc rectè, & è præſcripto concilij Tridentini fiat, noſtra quoque ſit tibi opus authoritate atque permiſſione: idcirco cupientes nos uel in hac parte iuuare literatorum hominum ſtudia, eóque magis, quòd ex alijs tuis libris, qui uulgo circunferuntur, unde plurimum acceptum eſt commodi ad pietatem Chriſtianam, coniecturam faciamus, quàm commodus & ſaluber hic nouiſſimus eſſe poſſit, damus tibi poteſtatem excudendi idem opus* De poteſtate legis pœnalis, *huiuſque rei gratia eundi, quocunque locorum neceſſum fuerit, reliquaque omnia conficiendi, quæ huc pertinere uidebuntur. Quare præcipimus per* S. *obedientiam, ut nemo nobis ſubditorum tibi hac in re negotium exhibeat, quin ut ſuas etiam cuncti præſtent operas,*

quum

quum ea ſis & erga religionem Chriſtianam pietate, & ſacrarum humanarúmque literarum cognitione, idq; de tua integritate teſtimonium tributum ſit à clariſſimo quoque magnóque homine, res ut nemini dubia eſſe poßit, nihil à te proficiſci, quod animos piorum offendat, quæ proſint autem quàmplurima. Precor Chriſtum, ut tam ſanctos conatus tuos bene ſecundet, & quò plura maioráque moliaris, in mediúmque aliquando producas, te diu rectè ualere uelit. Bononiæ menſe Maio,

1550.

FRATER ANDRAEAS,
qui ſuprà manu propria.

INDEX RERVM PRAECIPVARVM QVAE

in hoc opere continentur, pro cuius faciliori intelligentia hoc ſolum annotare oportet quamlibet paginam in duas partes eſſe partitam, quæ quatuor primis Alphabeti literis deſignantur.

A

Adulter & adultera pares. pag. 300.C
Adulterium ſpirituale etiam ſeparat & differt à corporali. eadem
Adulterium ſolum ſeparat quo ad thorum. 301.A
Adulteriū ſolum in ſubſtantia nō facit diuortium innocenti. 303.B
Adulterium ex leui metu nō excuſat à pœna. 302.C
Adulter ſi accuſet adulteram peccat mortaliter. ead.A
Adulter correctus poteſt dimittere incorrigibilem adulterā, & ecōtrà. 303.A
Adulterium in genere etiam ſi nō ſit in ſpecie parificat: ſecus ſi adulterium ſit ſpirituale vel diſtinctum genere. ead.A.B
Adultera ex conſenſu mariti, dimitti nō poteſt. ead.
Adultera nō ſolùm poteſt dimitti, ſed vir tenetur dimittere, niſi proſpiciat ſaluti animæ, & ſi alij ſcandalizentur ſi nō dimittat, ſi ille admonuit ſe retinere propter ſalutē animę & nō vt patronus, nō curet de tali ſcandalo. 304.D
Adultera poteſt detineri, qñ credit vir, quòd nō poterit ipſe continere. 305.A
Adultera dimitti poteſt per ſuſpitionē: intellige vehementem. 306.C
Adulter nō poteſt petere debitum per vim, ſecus blandè & humiliter. 307.A
Adultera eſt dimittenda ante iudicis ſententiam. 306.D
Adulter ſecretus peccat mortaliter petēs debitum per vim, & vxor in tali caſu negās ſimiliter. 308.C.D
Adultera quomodo nō tenetur reuelare marito crimē ſuum. 475.A
Adulteræ remedium de filio ſpurio. 481.A.B. & 482.C

Adrian

Adrian⁹ de lege pœnali quid ſentiat. 382.C.D
Andræas Tiraquellus errauit in Grammatica, credens verba imperatiui modi præſentis temporis eſſe futuri. 250.C
Adrianus non bene ſenſit de adultera. 476.C
Apoſtoli aliqua ſtatuerunt ſub obligatione peccati mortalis, quæ non ſunt ex lege diuina. 62.C.D
Aragoniæ regni lex de filiis. 481.B
Argumentum à ſimili quare non valeat in lege pœnali. 134.C.D

B

BAchalarius Salmâticenſis quomodo examinandus. 345.A
Bigami ſunt multi ignorantes bigamiam. 588.C

C

CAietanus ſibi ipſi videtur cõtrarius. 277.B. & 382.D
Caietani ſententia de pœnis & aliis cenſuris redarguitur. 317.B
Caietanus malè exponit ſtatutum generale fratrum Prædicatorum. 397.B
Carceri iniuſtè mancipatus poteſt carceres frangere vt exeat, ſi aliter exire nõ poteſt. 79.A
Clericus non perſoluens officium diuinum, tenetur reſtituere fructus beneficij. 326.C
Capit. Cùm ſecundum leges, de hæreticis, quomodo intelligatur. 407.A
Concupiſcẽtiá quomodo dicatur peccatum. 24.C
Conſciẽtiæ erroneæ varietas circa obligationẽ. 86.C.D
Conſuetudo non immutat ſpeciem peccati. 93.A
Conſuetudo cõtraria an tollat legẽ pœnalem. 509.A. & poſtea declaratur pag. 516.D. & 517.A
Conſuetudo non poteſt tollere legem. 510.D
Contemptus quid ſit, vide. 93.A.B. & 95.A
Contemnere prælatum, quatenus prælatus eſt, ſemper eſt pecatum. 97.A
Contemnere prælatum quatenus ſingularis eſt perſona, quomodo poſsit iuſtè fieri. pagina eadem. A
Contemnere præceptũ prælati aliquando poteſt iuſtè fieri. 98.D
Credentes hæreticorum qui dicantur. 615.A
Crimen per accidens occultum committens incidit in excommunicationem propter illud ipſo iure impoſitam. 615.B
Crimen occultum non eſt dignum pœna ſuſpenſionis, aut depoſitionis, aut irregularitatis, ſed illud committens

mittens

mittens eſt liber ab omni tali pœna à iure impoſita. 615.A
Crimen occultum liberat tabellionem, ne teneatur renunciare quandiu crimen eſt occultum. 631. & 632. B.C
Crimen pro quo non eſt pœna per legem taxata, qua poſsit puniri. 115.B
Crimen manifeſtum notoriũ quid ſit. 606.D
Crimen penè occultum quid ſit. 607.A
Crimen manifeſtum quid ſit. 281.B

D

Damnatus vt fame moriatur, peccat, ſi cibũ ab aliquo ſibi oblatum nõ ſumat. 281.A
Damnatus ad mortem vnde prouenit, quod non poſsit ad agendum obligari ſed ſolùm ad patiendum, et ad ſoluendam pecuniam poteſt obligari ad agendum. 285.A
Dauid incidit in multa peccata propter adulterii taciturnitatem. 298.C
Deus benefacit etiam de malo quomodo intelligatur. 487.B
Deus quomodo orandus ſit pro peccatore. 314.D
Debitum liquidum aliquando poteſt homo propria authoritate capere ab alio. 74.C
Decipiens alium in emptione aut venditione etiam infra dimidium iuſti precii tenetur ad reſtitutionem. pag.ea.C
Defendens ſe ſi alium occidat, dummodo potuiſſet ſe aliter defendere peccat, ſed mitiori pœna eſt puniendus. 543.A
Diffinitio quidditatiua & deſcriptiua per quid diſtinguantur. pag.3.C
Diffinitio nõ debet eſſe multum breuis. pag.24.C
Dialectica multùm cõfert ad meliorem cuiuſlibet alterius diſciplinæ cognitionem. 360.C
Difficultas operis circa quod verſatur virtus, attendenda eſt ex natura ipſius rei, & non ex conditione particularis perſonæ. 36.D
Diſpenſare ſecum aliquis poteſt, vt contra legem faciat. 91.A
Diſpenſatio contra legem diuinam aliquando eſt iuſta. 91.B
Doctores quantæ ſint authoritatis. 412.C
Dominium nõn habet reſpublica in bonis particularibus, quæ ad ſingulos ciues pertinent. 193.A
Dominium naturale nullus poteſt à ſe repellere, nec iudex poteſt hominem tali

dominio priuare. 281.D
Dominium à poſſeſsione diſtinguitur. 407.A

E

EBriorum pœnæ. 583.A.B.& 584.C.D
Eccleſia non violatur per effuſionē ſanguinis humani ad ſalutē corporis ex præcepto medici factã. 121.A
Eccleſia non violatur per ſeminis humani effuſionem in ſomnio factam, nec per illam quæ ſine peccato & ſine vlla ſacri loci irreuerentia fuerit facta in vigilia. 124.C
Eccleſia occultè violata non indiget reconciliatione. 628.C.D
Eccleſia quare conſecratur & reconciliatur. 619.A
Eccleſia non eſt reconcilianda, ſi in ea fuit dicta miſſa poſt crimē occultũ, quamuis poſtea fiat notorium. 630.C
Excommunicatus in quibus caſibus ſit euitãdus. 619.A
Excommunicatus tenetur vitare alios, quamuis alii nõ teneantur vitare illũ. ibi.
Excõmunicati occulti actus omnes ſunt validi, qui eſſent inualidi, ſi eſſet publicè excommunicatus. 621.A.B.& 622.C.D
Eccleſia violatur per quamlibet iniurioſam humani ſanguinis effuſionē, etiã ſi ſanguis ſit modicus. 128.C
Eccleſiæ nomine prælatus intelligitur. 310.C
Eccleſia poteſt cõdere legem obligantem ante iudicis condemnationem. 311.A
Effuſionis nomē non ſemper ſignificat abũdãtiã. 130.C
Erubeſcimus ſine lege loquentes quomodo intelligatur. 405.B
Excommunicationes multæ ſunt impoſitæ à iure propter illa quæ ſunt ſolo iure humano prohibita. 55.B
Excommunicatio niſi pro graui delicto eſt inferenda. 113.A

F

FAcienti quod in ſe eſt, quid det Deus. 564.C
Facienti quod in ſe eſt, Deus dat gratiam: & oppoſitum eſt hæreticum. 566.C
Famuli à dominis quo tempore poſsint petere ſtipendiũ. 445.A.B.& 446.C.D
Fideiuſſor nullus eſſe poteſt pro altero in cauſis criminalibus, quibus pœna corporis debetur, bene tamen poteſt in ciuilibus.
Fides bona & mala. 497.A
Filii hæreticorum qui antequam parentes eorum laberentur in hæreſim nati ſunt, eodem modo puniuntur, ac ſi poſt parentum hæreſim nati fuiſſent. 125.B

Filii emancipatio à patre hęretico eſt irrita & inanis. 323.A.B
Filii Iſrael potuerunt ab Aegyptiis capere ſpolia, etiã ſi Deus non præcepiſſet. 460.C.D
Filius adulteræ non tenetur credere matri. 477.A
Filiis clericorũ impoſita pœna ſeruitutis quomodo nõ obligat. 512.C.vſq; ad 517.
Filii apud Garamantos ſolùm cognoſcunt matres & non patres. 562.D
Filius presbyteri ex matre coniugata genitus, poterit ſine diſpenſatione promoueri ad ordines ſacros, & beneficium recipere cũ cura animarum, ſi ſciat in ſecreto ſuum defectum natalium. 628.C
Fiſcus ante ſententiam iudicis bona hæreticorum occupans iuſtè detinet ſine obligatione ad reſtitutionem. 456.C.D.& 457.A
Fornicator notorius tripliciter dignóſcitur. 324.C.D
Fratrum Minorũ ſtatutum. 392.D
Fratrum Prædicatorum ſtatutum non bene exponit Caietanus. 396.C
Furtum ſimplex an poſſit morte puniri. 108.D.& 112.C
Fur diurnus non occidebatur ex lege Moſayca, ſed bene fur nocturnus & quare. 111.B
Furta apud Lacedæmones erant impunita. 188.C
Furtum apud Lacedæmones licitum contra Ius naturale. 562.C
Furtum cõmittit qui ex aliena ſylua ligna recipit, & ideo peccat, & obligatur reſtitutioni quamuis pœnam legis ſuſtineat. 188.C
Fur qui furto ſubtraxit aliquid ab eo apud quem ludus alearum exercetur, ſi eo tempore quo luſores incumbebant ludo ſurripuit, tenetur reſtituere, quãuis nõ poſsit agi contra illũ in iudicio nec ſubtrahi. 438.C.D.& 439.A

G

GLoſſa.c.Fraternitas. 12. q.2. 412.C

H

HAeres non tenetur ad pœnam corporis ad quam defunctus cui ſucceſsit erat dãnatus, quamuis teneatur ad pœnã aliorum bonorum ad quam fuerat condemnatus defunctus. 280.C.& 287.A
Hæreticus obtinens beneficiũ, nil habet in illo. 323.A
Hæreticus ante ſententiam eſt priuatus ſuis bonis omnibus, quamuis non ſit priuatus poſſeſsione illorum. 330.D.& 433.A

Hæreticus & quicunq; alius ipſo iure priuatus ſuis bonis, tenetur in conſcientia ſine alia iudicis ſententia reddere bona ſua illi, cui ab ipſo iure ſunt adiudicata. 431.A.B.& per multas ſequen.pag.
Hæreticus neſciens an tam malè geſſerit rem, vt ſit merito inter alia crimina connumeranda, quid facturus ſit. 431.A
Hugo de Celſo deceptus eſt. 447.A

I

Ieiunium obligat, etiam quando aliquis eſt ſine culpa, & contrarium eſt hæreticum. 315.A
Ieiunium poteſt præcipi paruulis. 314.D
Ignorantia legis inculpata excuſat à tranſgreſsione eiuſdem legis. 20.D
Ignorantia legis naturalis nunquam excuſare poteſt aliquem à peccato. 22.C
Ignorãtia eſt multiplex. 556. C.& deinceps per multas pag.
Ignorantia an poſsit haberi de his quæ ſunt de iure diuino. 563.A.B. 564.C.D. & 565.A.B
Ignorantia facti. 569.A.B
Ignorantia quare dicitur peccatum. 569.B
Ignorantia vincibilis & inuincibilis, & quomodo vincenda. 570.A.B.& 572.573.
Ignorantia cauſalis & concomitans. 576.C.D
Ignorantia iuris aut facti excuſat hominem habẽtem vſum rationis à pœna quę incurritur ſine peccato. 577.B
Ignorãtia excuſans à peccato excuſat & à pœna propter peccatum poſita: & quæ non excuſat à peccato nõ excuſat à pœna. 588.D. 591.& 592.B.C.D
Ignorantia inuincibilis iuris excuſat à peccato. 590.C
Ignorantia facti non iuris excuſat, quomodo intelligitur. 593.B
Ignorantia quomodo probetur. 594.C.D
Ignorantia inuincibilis facti quomodo excuſet à peccato. 595.B. & declarantur caſus in quibus non incurritur irregularitas. 596. 597.& 598.
Imperium paternum & regale quomodo diſtinguãtur, & cui ſit potius obediendum. 53.A
Impoſsibilia præcipi nõ poſſunt. 8.C
Impoſsibilia dicuntur aliquando quæ ſunt nimium difficilia. ibid.
Immediatè indilatæ dictiones barbaræ. 366.C
Inceſtuoſus qui cognouit cõſang

ſanguineam ſuam nõ priuatur iure exigendi debitum, ſed bene qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ. 138.C
Inceſtuoſus contrahens ſine diſpenſatione, aut petens debitum ab vxore peccet mortaliter. 319.A
Infamans innocentem tenetur ſeipſum infamare. 478.C
Infamia nulla incurritur, quãdo crimen eſt occultum. 635.A
Interpretatio legũ ſecundum quam verborum ſignificationem ſit ſumẽda. 118.C.D.& 119.A.B
Interpretatio legis pœnalis non ſemper eſt facienda in benigniorem partem, ſed ſolum quando res eſt dubia. 118.C.& 122.C
Interrogatio aliquando valet pro affirmatione. 47.B
Ioannes Medina ſibi ipſi contradicit. 461.B
Ionathas non peccauit, quum fauum mellis contra patris edictum guſtauit. pag. 60.D
Irregularitas quæ ſine peccato contrahitur, non eſt propriè dicenda pœna. pa. 39.B
Irregularitas non incurritur per reiterationem confirmationis ſicut per reiterationem baptiſmi. 136.D
Irregularitas homicidii. 578.D.& 582.C
Irregularis eſt qui ignoranter contraxit cum corrupta ab alio, putans eſſe virginem poſt conſummatum matrimonium. 586.C
Irregularis eſt qui cognoſcit vxorem propriã poſt adulterium ipſius vxoris ſiue ſciat adulterium ſiue non. 587.A
Irregularis eſt filius clerici & ſi neſciat. pag.ea.B
Irregularis ignoranter non peccat ſuſcipiens ordines. pag.ea.
Iudex an diſpenſare poſsit in pœnã per legem ſtatuta. 505.A
Iudex inferior quomodo differt à ſuperiori in pœnæ inflictione. 325.A
Iudex quomodo poſsit rogari in pœnæ remiſsione. 533.B. & per totam quæſtionem.
Ius ciuile quid ſit. 25.A
Ius eſt multiplex, naturale, diuinum, humanum. 561.A.B
Ius non requirit proceſſum, & teſtium relationem, quemadmodum iudex, 615.A

L.

Legiſlator quamuis ſemper intendat, vt fiat id quod per legem ſtatuit,

non tamẽ ſemper intẽdit obligare ad illud. 172.C
Legislator quum legem pœnalem ſtatuit, non ſemper intendit vt fiat vel omittatur id propter quod pœnam ſtatuit. 174.C.D
Legis virtus etiam eſt præmio afficere bonum ſicut punire malum. 157.A
Leges ſemper ſunt interpretandæ iuxta illam verborum ſignificationem quæ eſt in communi vſu. 118.C
Legis nomine, aliquando Paulus Apoſtolus intelligit legem pœnalẽ. 101.B
Legem iuſtam contemnere non licet. 93.A
Legis humanæ obligatio quanta ſit, ex verbis ipſius legis cognoſci debet. 85.B.86.C.D.87.A.B
Legis diffinitio datur. 5.B
Legis effectus deſcribuntur. 6.D.& 156.D
Legis nomẽ vnde deriuetur. pag.6.D
Legem oportet eſſe talem vt obſeruari poſsit. 8.C
Leges non ſunt faciliter mutandæ. 10.D
Legem condere poteſt ſolus ille qui curam populi habet. 13.B
Legis condendæ poteſtas eſt in populo, aut in illo cui populus commiſsit. 14.C
Legem ſeruare obligantur illi, qui poſt legem conditam nati ſunt. 17.B
Legem humanam oportet voce aut ſcripto publicari, vt illa obligare valeat. 18.D
Leges multæ ſine culpa ignorantur. 22.C
Leges omnes quodãmodo dici poſſunt naturales. 24.D
Leges eędẽ nõ poſſunt omni nationi ſeruire. 27.B
Legis laudes enarrantur. pagina 29.B
Legem humanam condens, oportet vt legem diuinam optimè intelligat. 30.D
Leges pœnales variæ ſunt. pag.43.A
Legem humanam non poſſe obligare ad culpam mortalem docet Ioannes Gerſon. 45.A
Legem naturalem obligare ad culpam mortalem probatur contra Ioannẽ Gerſon. 46.47.48.
Leges diuinę non omnes obligant ad peccatum mortale. 71.A
Legis obligatio ceſſat, cauſa obligationis ceſſante. 85.A
Legis iuſtæ conditiones recenſentur. 7.B.8.C.11.A. 12.C
Legi iniuſtæ aliquando obedire oportet propter vitandum ſcandalum. 78.D
Legem erraſſe nulli permittitur vt dicat. 376.D

Leges

Leges humanæ non ſemper obligant ad mortale, & ſæpe nec ad veniale. 330.C.
Leges variæ & quomodo oporteat ſcire. 566.D
Legum grauitas. 568.C.D
Lex iniuſta non eſt dicenda lex: pagina 5. A. nec poteſt aliquem obligare. pag. 71.B.
Lex non eſt opus intellectus ſed voluntatis. 73.A.B
Lex non eſt actus prudentiæ. pag.7.A
Lex poſitiua indiget publicatione. pagina 19. A. & 165.B
Lex niſi ſit nota, neminem obligare poteſt. 20.C
Lex non poteſt eſſe ſemper ſic vniuerſalis, vt omnes ex æquo obliget. 165.B
Lex debet ſeruire loco & tempori. 10.C
Lex non debet inſtitui pro priuato commodo. 11.B
Lex à principe populo contradicente condita, an ſit valida. vide paginã 16. A
Lex pœnalis diffinitur. pag. 42.D
Lex naturalis vocatur à Paulo lex diuina. 46.C
Lex humana ex quibus cauſis poſsit eſſe iniuſta.72.C
Lex obligans ad mortalem culpam non poteſt ſtatui, niſi ſit circa rem valde grauem. 79.A.& 80.C
Lex nunquam de omnibus diſponit, ſed ſolùm de his, quæ frequenter & vt in plurimum accidunt. 10.C.D
Lex diuina nunquam contradicit legi naturali. 149. A
Lex non eſt reſtringenda ad ſpecialem aliquem intellectum pro benigniori legis interpretatione faciẽda.ſi illa generaliter & indiſtinctè loquitur. 79.B
Lex pœnalis non eſt extendenda vltra caſum in ea expreſſum. 153. B. 154. C.D.& 155.A
Lex pœnalis poteſt obligare ad culpam non obſtante pœna per legem impoſita. 141. A. & deinceps per multas pag.
Lex pœnalis eſt duplex: vna eſt purè pœnalis, altera miſta. 155. B. 158. D. & 157.B
Lex purè pœnalis nunquam ex ſe obligat ad culpam, licet aliquando oſtendat talem obligationem eſſe impoſitam per aliam legẽ. 155.A.165.A. & 176.C
Lex purè pœnali nunquã ex ſe tollit obligationem ad culpam, quæ per aliam priorem legem moralem fuiſſet impoſita. 182.C
Lex pœnalis miſta valet tantum, quantum duæ leges

ſimul iunctæ. 208.C
Lex regni Caſtellæ quæ prohibet equos extra regnū transferre obligat ad peccatum mortale. 224.D
Lex pœnalis duplex. Altera quæ ſententiam iudicis ferendā, altera quę ſententiam ab ipſa lege latam continet. 238.C
Lex pœnalis cōtinens ferendam ſententiam. 239.A
Lex pœnalis cōtinens latam ſententiam. 242.C
Lex pœnalis quæ circa inflictionē pœnæ vtitur verbo imperatiui modi, quāuis ſit temporis præſentis, ſententiam continet à iudice ferendam. 247.A
Lex pœnalis continens dictionem dubiā, ita vt merito dubitetur, an ſententiam exprimat ferendam an latā, ſemper interpretanda eſt ſententiam non latam, ſed ferendam continere. 252.C
Lex pœnalis quę ſententiam ferendam continet, iudici liberam poteſtatem tribuit, vt poſtquā illi legitimè de crimine cōſtiterit, poſſit ſtatim reum ad pœnā in lege expreſſam damnare. 270.A
Lex diuina per Moſen data in multis, citra omnium controuerſiam obligabat etiam ante vllam iudicis ſententiam. 289.A
Lex de muliere menſtruata & de coëunte cum illa quomodo ſit intelligēda. 290.A
Lex quæ habetur Numerorum. 5. de confeſſione & reſtitutione quomodo ſtet cum lege Exod. 992. 293. 294. & 295.
Lex pœnalis euangelica aliquando obligat in conſcientia ante iudicis ſententiam. 299.B. & 307.B
Lex diuina nunquā contrariatur legi naturæ, licet aliquando ſecundum aliquos diſpenſetur in lege naturæ. 311.A
Lex pœnalis quę ſententiam continet à iure latam, obligat in conſcientia ad pœnam in illa ſtatutam abſque alia iudicis ſententia. 374.D
Lex diuina nulla eſt quæ doceat non poſſe legem ſtatui, quæ obligaret reum ad pœnam ſubeundam abſque aliqua iudicis ſententia. 404.D
Lex humana nulla eſt quæ doceat reum non obligari ante iudicis ſentētiam. pagina 405.& per aliquot ſequentes paginas.
Lex pœnalis quæ ſententiam continet latam, duo ſunt conſideranda: primum id quod lege
præcip

præcipitur, alterum ipſa pœna. 525.B

Libri imprimendi debent prius examinari & approbari, alioqui in varias pœnas incidunt. 153.A

Lya non excuſatur. Gene. 19. 302.C

Libri canonici & non canonici quanti habendi. 412.D

Lycurgus voluit leges ſuas eſſe perpetuo conſtantes & immutabiles. 23. A

Loth ebrietas. 583.B

Lucrans aliquid ludo alearum non tenetur virtute communis legis ad reſtitutionem, niſi fortè ob aliquam circunſtantiam. 260.C

Lucrans à monacho aliquid, tenetur reſtituere. 44.

Ludo perdens non poteſt retinere in ſe id quod perdidit, & negare ſolutionem, contra Adrianum. 267. A

Ludo perdens cum confidentia ſoluendi, ſi non apponatur ibidem quod luditur, non tenetur ad reſtitutionem. 268.C

Lucretia Romana non poteſt inuri nota adulterij. 301.B

M

Matrimonium contrahere in multis gradibus conſanguinitatis aut affinitatis, qui in Leuitico fuerunt prohibiti, ſola lege humana nunc prohibetur. 210. D

Matrimonium non diſſoluitur niſi quo ad thorum per adulterium, etſi ſit innocenter cùm diſſoluitur etiam quo ad thorum. 300.C.D.

Medico corporali comparatur conſiliarius. 55. & 69.B

Medina quid ſentiat de lege pœnali. 384.C

Menſtruata mulier poteſt ſine peccato reddere & exigere debitum coniugale. 215. B. & tribus ſequentibus foliis.

Meretrix quomodo iuſtè poſſidet mercedẽ proſtibuli. 457.A.

Micol vxor Dauid non excuſatur. 302.C

Miſſam audire à publico fornicario ſacerdote eſt peccatum, ſed non eſt peccatum audire illam à ſacerdote quouis alio crimine polluto. 140.D

Monaſteria ſororum inſtituti S. Claræ aut Sancti Dominici intrantes ſine vlla Papæ diſpenſatione ſunt excommunicati. 510. C. D.

Moniales Sancti Claræ non obligantur ſub pœna peccati dicere officium diui-

num. 145.B
Mortis pœna pro quibus criminibus poſsit infligi. 104.D
Mortis pœnam nunquam poteſt iudex infligere, niſi pro illis criminibus quæ per legem ſunt expreſſa. 107.A
Mortis pœna poteſt aliquis iuſtè damnari ſola iuris præſumptione. 111.B.
Mortis nomine culpa ſimul & pœna deſignatur. Gene. 2. 149.
Mox quid importet ex Tiraquello, Calepino, Eraſmo. 367.A.B.& 368.C.D
Munſterus licet in multis peſsimè errauit, bene tamen ſenſit de confeſsione facienda Numero 5. Cùm dicat illam confeſsionem debere fieri ſacerdoti. 293. A

N

Negatio quomodo neget. 258.D
Nocere alicui dupliciter contingit. 35.A

O

Obedientiam eſſe ſuperioribus pęſtandam, multis teſtimoniis probatur. pag. 57.B
Obedientiam ſuperioribus neceſſariò præſtandã exprimitur in quarto præcepto Decalogi. 65.A
Obedientia in malis rebus non eſt præſtanda ſuperioribus. 73.A
Obligari ad mortem vel aliam pœnam quomodo quis poſsit. 278. C. & per multas ſequen. pag.
Occultum crimẽ eſt varium. 257.A
Occulta crimina qualiter incidat in pœnas iuris, tractatur. 628. vſq; ad finem totius operis.
Offenſa manifeſta. 452.C
Officium diuinum dicere omittens clericus beneficiatus non facit fructus ſuos. 154.C
Oneſimi conuerſio. 552.C
Ordinatus ab excommunicato occulto an recipiat ordines, & executionem ordinum. 622.C.D

P

Papa circa res ſpirituales aut merè eccleſiaſticas poteſt leges ſtatuere, quæ omnes Chriſtianos obligent, non tamẽ circa alias res merè laicas & ſeculares, quæ nullum ad rem eccleſiaſticam reſpectum habent. 436.C
Parentes poſſunt obligare filios ad aliquid faciendũ ſub pœna peccati mortalis. 45.A
Parentibus an ſit magis obediendum quàm regi. 52.D
Parentum obedientia præcipitur in quarto præcepto decalogi

decalogi. 65.A
Parentes in regno Aragoniæ quomodo ſe habent erga filios. 481.B
Paſsionis nomen diuerſimodè ſumitur. 33.B
Paſsiones non omnes inferunt pœnam, ſed aliquæ cauſant delectationem. 33.A
Paulus & Silas cùm eſſent in Philippis coniecti in carcerem noluerunt fugere, ne alij putarent eos inconſtantes eſſe in fide. 282.C
Pauperũ ſubuentio quæ nunc inuenta eſt in multis populis cẽſetur iniuſta. pag. 76.D
Peccator triplicem ordinem peruertit. 39.C
Peccatum veniale nunquam fit mortale propter ſolam conſuetudinem. 93.A.B
Peccata aliqua cenſentur venialia propter imperfectionem materiæ, quæ aliàs dicerentur mortalia. 128.D
Peccata quid efficiant in peccatore. 572.C.D. & 573.A.B
Pœna impoſita à lege ex facto negatiuo quomodo incurratur. 316.C
Pœna alicui adiudicata, an poſsit ab eodem remitti. 526.C
Pœna an incurratur quando crimen eſt occultum. 604.C.D.
Pœna non incurritur propter crimen occultum ex ſe & ex natura rei. 608.C.D
Pœnæ Baccalariorum, Licenciatorum, Doctorum, Rectorum, officialium Salmanticenſis Vniuerſitatis. 345.& 346.B.C.D
Pœna nunquam incurritur, ſi non ſit conſummatum crimen. 373.B
Permiſsionis ſignificatio varia eſt. 484.B.vſque ad pag. 491
Pœnę diffinitio ponitur. 33.A
Pœna conſiſtit in paſsione & in actione. ead.B
Pœna eſt vni, quod alteri nõ eſt pœna. 35.B
Pœna aliquãdo habet rationem medicinæ. 106.C
Pœna quæ in ſatiſfactionem delicti datur, quomodo ſit conſideranda. 38.C
Pœna eſt duplex, altera contracta, altera inflicta. 39.A
Pœna propriè dicta ſemper eſt inuoluntaria. 39.A
Pœna eſt quæ ordinat culpam. 39.B
Pœna poteſt dupliciter conſiderari. 41.B
Pœna mortis in lege Moſayca nunquam niſi pro peccato mortali fuit decreta. 49.B.& 52.C
Pœna per legem ſtatuta ſępe non poteſt infligi ab ipſomet legiſlatore. 68.D

Pœnam

Pœnam ſtatuere contra legum tranſgreſſores eſt vtile & ſæpe neceſſariũ. 100.D.& 103.B
Pœna non ſtatuitur in lege propter bonos, ſed propter malos. 102.D
Pœna per legem ſtatuenda qualis eſſe debeat. 104. C. D. & 113.A.B
Pœna mortis pro quibus criminibus poſsit infligi. 104. D
Pœnã legis poteſt aliquando iudex propter cauſas minuere vel augere. 105.B
Pœna iuxta quod tempus debeat inferri, an iuxta tempus quo commiſſum eſt crimen,an iuxta tẽpus ſententiæ. 115. A
Pœna, vt de illa loquuntur iuriſperiti non ſemper præſupponit culpã. 168.C
Pœna per legem impoſita aliquãdo declarat quanta ſit ipſius legis obligatio. 89.B.& 77.B
Pœna mortis, aut membri abſciſsionis nunquã infligẽda eſt alicui propter peccatũ alterius. 179.A.B
Pœna & culpa non ſunt contrariæ. 185. A
Populus non variatur ſed idem ſemper cenſetur, quãuis quotidie noui homines naſcãtur in eo.17.B
Poteſtas regalis ſcilicet & pontificalis quomodo diuiſæ. 436.D
Poteſtatis eccleſiaſticæ & ſecularis diſcrimen. 14.C
Præcepta omnia humana iuſta quodãmodo poſſunt dici diuina. 56.D
Præceptis diuinis nihil eſſe addendum; quomodo ſit intelligendum. 67.A
Præcepti obligatio quibus verbis explicetur. 89.A
Precia rerum poſſunt per publicam poteſtatem taxari. 229.B
Prędicator tenetur dicere veritatem, etiã ſi ſciat non profuturam, de mente Paludani. 478.C
Precij iuſti medietatem excedens in emptione quomodo obligetur ad reſtitutionem. 441.A.B
Prælationem aliquam eſſe neceſſariam in omni republica, multis ſimilitudinibus probatur. 64.C
Prælatus damnatus à iudice non poteſt percipere fructus,& ſi percipiat, tenetur ad reſtitutionẽ. 287.B
Prælatus damnatus ſi appellet iuſtè, credens quòd poſſet appellare, poteſt excõmunicare ſubditum. 288. D
Præſcriptio mala fide facta nunquam eſt valida. 73.B
Prælatus non ſolùm eccleſiaſticus ſed laicus poteſt obligare ſub pœna pecca-

ti mortalis ante iudicis ſententiam. 333.A
Prçſcriptio quæ requirat. pagina 319.B
Præſcribi quæ res non poſſunt. 320.D
Præſcriptio quid. 321.A
Præſcriptionis tempore trãſacto, peccat qui rapit rem quam aliquando poſſedit. 332.C
Præſcriptio quomodo obliget. 429.A
Præſcribere hæretici nõ poſſunt, licet poſsint hæredes. 497.A
Præuaricator quis dicatur. 70.D
Puer corrigendus. 551.B
Puniri vnus pro alio pœna corporis non poteſt. 280.D

R

Rectoris Salmanticenſis electio. 335.B
Rectores & collegiales collegij ſancti Bartholomæi quomodo eligendi. pag. 337.A
Regum & aliorum principum prælatio ex populi conſenſu eſt orta. pag. 15.B
Reges & principes miniſtri populorum ſunt, illis in multis laboribus ſeruientes. 197.B
Reges vocantur paſtores. 198.D
Regiæ dignitatis nõ intereſt epiſcopos inſtituere, ſicut nec eſſe papam in ſuo regno cõuenit regibus, contra Henricum octauum regem Angliæ. 256.C
Regula hæc, generi per ſpeciem derogatur quàm ſit neceſſaria. 394.C
Reſpublica non habet dominium in bonis particularibus cuiuſcunque ciuis. 193.A
Reus non obligatur in conſcientia ad ſubeundam pœnam à lege ſtatutam, antequam iudex proferat ſententiam iuxta legis diſpoſitionem. 154.D
Reus qui commiſit crimen, propter quod non eſt ipſo iure priuatus bonis ſuis, ſed lex ſtatuit illum fore à iudice priuandum, poteſt antequam ſit ſuis bonis priuatus, omnia illa circa bona ſua agere abſq; peccato, quæ ante criminis commiſsionem ratione damni agere potuiſſet. 257.B
Reus damnatus à iudice ad pœnam in lege ſtatutam, tenetur in conſcientia pœnam illam ſoluere. pag. 271.B
Reus damnatus à iudice voce duntaxat iudicis, tenetur pœnam ſubire. 277.A
Reus priuatus bonis ſuis ipſo iure tenetur in conſcientia,

tia, ſine alia iudicis ſententia reddere bona ſua illi, cui ab ipſo iure ſunt adiudicata. 431. A. & per multas pag.

Reus & iudex idem poteſt eſſe. 502.D.& 503.A

Reus an excuſetur per ignorantiã à pœna per legem ſtatuta. 556.C

Renuntiare iuri ſuo in cauſis pœnalibus, præſertim in quibus pœna corporis tractatur nullus poteſt, licet in aliis poſsit. 281.A

Rogans iudicem ne imponat reo pœnam debitam, an peccet & teneatur ad reſtitutionem: vide. 297.A. & per aliquot paginas.

S

SAcramentum nullus purus homo poteſt propria authoritate inſtituere. 68.C

Samſonis vxor Iudicum 15. non excuſatur. 302.C

Scandalum vtilius naſci permittitur quàm quòd veritas relinquatur, quomodo debeat intelligi. pagina 480.C

Scoti ſententia de obligatione ad pœnam. 398.D

Sentẽtia quæ ex ſola præſumptione, & non ex plena veritatis cognitione cenſetur iuſta, non obligat condemnatum in conſcientia ad parendum illi. 80.C

Sententia declaratiua ſecundum omnes obligat ſine ſententia condemnatiua. 328.C

Sententia declaratoria propter quid requiratur. pag. 331.A.B

Sentẽtia lata quot modis cognoſcatur. 335.B.& multis ſequen.

Sententia vltimò definita in quo caſu reuocatur. pag. 444.C.D

Sentẽtia data ex defectu probationis quomodo obliget. pag. ead. C.D

Sententia à iudice ferenda non obligat reum ante iudicis ſententiam. pag. 254.D

Statuta fratrum minorum, aut prædicatorũ non obligant ad culpam. pagina 145.A

Statutum monachorum de non loquendo poſt complectorium quomodo intelligatur ſecundum Henricum de Gandauo. 169. & 170.B.C.D

Subditi qui ſuo ſuperiori prælato obedientiam præſtare nolunt, ob hoc ſolum quòd ille commiſit crimẽ contra quod eſt lex ſtatuta quòd ſit dignitate priuandus peccant. pag. 255.B

Subditi non tenentur obedire prælato, qui periudicem

dicem damnatus eſt. pag. 287.B

T

TEmpora duo, alterum ante ſententiam à iudice latam, alterum poſt ſententiam latam. pag. 254.C

Teſtamentum eſt quaſi defuncti teſtimonium. 313.A

Theologia vera non eſt ad ſolas Ariſtotelis regulas tradenda. 147.A

Tiraquelli regula generalis reiicitur. 373.A

Tyrãnus quis dicatur, & quo pacto diſtinguatur à rege. 12.D

Tributum, ſiue Alcauala, ſiue Portazgo, non ſoluens peccat & tenetur reſtituere, non tamen tenetur ad pœnam legis ante iudicis ſententiam. 269.A.B

Tributum quod in lingua Hiſpana dicitur, Siſa, iniuſte in multis oppidis diuiditur. 77 B

Tributa multa olim iuſtè exigebantur, quæ nunc iniuſtè exiguntur. 86.D

Tributa per legem iuſtam ſtatuta ſoluere nolentes peccant, & tenetur ad reſtitutionem. 194.C.D. & quatuor pagin. ſequentibus.

Tributa principibus ex lege diuina deberi, probatur multis rationibus. 195. & deinceps.

Tributa quæ dicantur iuſta, & quæ iniuſta: vide paginam 200.C.D.& multas ſequentes.

V

VEndentes frumentum aut aliam rem vltra precium à lege taxatum peccant mortaliter,& obligantur reſtitutioni. pag. 226.D.& ſequenti.

Vendere rem ſuã homo poteſt aliquando cogi. 231.B

Verba præceptum explicantia quæ ſint. 89.A

Verba importantia ſententiam latam ante iudicis ſententiam. 335. vſque ad paginam 375

Vizcaia quam habet conſuetudinẽ in teſtamentis condendis. 482.C

Voluntatis nomen ſæpe ponitur ad ſignificandas operationes ipſius voluntatis. pag. 6.C

Voluntatem principis eſſe pro lege habendam quomodo debeat intelligi. 76.C.& 80.C

Votum poteſt eſſe de re aliàs debita. 185.B

Vrbanus Papa quintus de quo gloriabatur. 241.B

Vxores vendebantur olim apud Græcos. 23.A

Vxor Loth propter peccatũ inobediẽtiæ conuerſa fuit in ſtatuam. 60.B

Vxor

Vxor tenetur reddere debitum marito, quamuis ille ad ſolam explendam libidinem exigat. pagina 75.B

Vxor quæ poſt mortẽ mariti non caſtè viuit, tenetur reſtituere bona quæ cõſumpſit, ſi maritus hac conditione ſuorum bonorum vſufructuariam reliquit. 504.D

Vxores communes apud Lacedæmones contra legem naturalem. 562.C

Vxores Augilarum nocte qua nubunt, patent ſtupro omnium. ibid.D

FINIS.

F. ALFONSI A CASTRO ZAMORENSIS, ORDINIS MINORVM REGVLARIS OBSERuantiæ, in duos libros, quos de legis pœnalis poteſtate ædidit,

PRAEFATIO.

A DVAS, & non parum noxias, à diuerſis contra legem pœnalem video dici ſententias, à multis tanto cum applauſu receptas, & vſque eò celebratas, vt quiſquis contrà viſus fuerit ſentire, ab illis exhibiletur, & ridiculus habeatur, perin de ac ſi contra diuinum oraculum aliquid pronunciaſſet. Sunt enim qui ſentiunt nullam legem obligare ſubditorum conſcientias ad pœnam, ab eadem lege contra illius tranſgreſſores decretam, B. niſi adſit iudicis ſententia, quæ aliquas legis ſuppetias ferat. Qui ita ſentiunt, hac ſola ratione oſtendunt ſe minorem facere legis poteſtatem quàm iudicis, cùm ſæpe iudex, illis etiam fatentibus, ſine vllo legis ſubſidio ſed ſolo ſuo mandato, ſubditos ſuos poſsit obligatos ad pœnam reddere. Nec pauci aut indocti, ſed multi & doctiſsimi viri ſunt, theologi pariter atque vtriuſque iuris humani interpretes, qui hoc docent. Sunt iterum alij hanc virorum doctorum ſententiam ſequuti, qui illam perperam interpretantes, ad omnem culpæ obligationem extenderunt, dicentes legem pœnalem neque ad pœnã, neque ad id propter quod ſtatuitur pœna, obnoxias facere ſubditorũ conſciẽtias. Tanquã ſi pœna, quæ ad meliorẽ legis obſeruationẽ ſtatuitur, liberiores faceret homines ad eiuſdem legis tranſgreſsionem. Expediret igitur, nunquam pœnam legibus addere, ſi illa addita eo ipſo omnis prorſus obligatio ad culpam tolleretur. Quoniam minor eſt comminatio pœnæ temporalis quamlibet acerbæ, quæ per legem humanam ſtatui poteſt, quàm obligatio culpæ, quæ, ſi mortalis eſt, pœnam minatur æternam. Nam ob hanc cauſam, vt ſæpe re ipſa comprobatum eſt, quotquot aliquam animæ ſuæ

rationem habent, periculo pœnæ quamuis duriſsimæ ſe li- C
bentius obiiciunt, quàm vt ſe reatu culpæ mortalis innectãt. Fiet itaque neceſſariò iuxta iſtorum ſententiam, vt pœnarum terroribus non coërceantur homines à legum tranſgreſſione, ſed potius licentioſi fiant ad illam. Sed benè ſe res habet, quòd qui ita ſentiunt, licet multi ſint, multo tamen ſunt minus docti quàm ſuperiores, & prorſus indigni qui cum illis vel è longinquo conferantur. Vtrique tamen contra legem pœnalem coniuraſſe mihi videntur, vt omnem ab illa tollant poteſtatẽ, & ſic mancam, omnibúſque prorſus viribus carentẽ, illã relinquãt. Quãta quæſo erit legũ pœnaliũ poteſtas, ſi illæ neq; ad culpam, neq; ad pœnã ſubditos ſuos obligare poſsint? Hanc tantam legum pœnalium deiectionẽ, & tyrannicam (vt ita dicam) depreſsionem ego diligenter cõſiderans, & æquo animo ferre non valens, ad propulſandam hanc, que illis infertur iniuria, contra hoſtes illius in arenam deſcendere ſtatui. Nam pro patriis legibus & illarum robore atque potentia, veluti pro patria ipſa virum fortem pugnare oportet. Quoniam ſublata legum poteſtate, multo vilior atque debilior patria erit, quàm ſi omnes illius muri ad terram proſternerentur, & omnia tormenta bellica, quibus omnes D
ſuos hoſtes à ſe propellere poſſet protinus confringerentur. Quoniam niſi leges vires habeant, quibus homines ad bonum impellere, & à malo deterrere valeant, tanto patria erit peioribus hoſtibus peruia, quanto peiores hoſtes ſunt vitia, quæ animum iugulant, quàm alij, qui etſi corpus occidere poſsint, animæ autem nec tantillum incommodare valent. Sunt enim leges, præſertim pœnales, quæ potiſsimum patriam cuſtodiunt. Sunt muri ciuitatum, in quibus totum illarum præſidium conſtitutum eſt, & quibus bonos quàm tutiſsimè detinent, malos arcent, & ſibi appropinquare non ſinunt. Sunt tormenta bellica, quorum terrifico tonitruo vitia, quæ (vt dixi) pluſquam mille alii hoſtes ciuitatibns nocere poſſunt, longiſsimè ab illis repelluntur. Tolle igitur vtramque legum poteſtatem, & nullus illas reuerebitur, nullus illas debito proſequetur honore, nullus denique illas metuet, ſed vitia quæque ſine vllo timore in ciuitatem irrumpent, & tanto peius illam deprædabuntur, & tanto ditiora ab illa auferent ſpolia, quanto meliora ſunt animæ quàm corporis bona. Ne igitur hæc omnia eueniant, decreuit

A creui tam improbæ & tam noxiæ factioni in hoc opere occur rere, & pro legum pœnalium poteſtate ſic pro viribus pugna re, vt hos duos errores, qui illam obſtinato animo oppugnāt, ab ſtudiorum paleſtra valeam profligare. Hanc autem totam diſputationem duobus libris partiendam eſſe cenſui, vt ſuus cuique errori liber reſpōdeat, & vterque illorum ſuo libro refellatur, & conuincatur. Primo libro (vt à facilioribus ad magis ardua progrediar) illum errorem apertè conuincam, qui docet nullam legem pœnalem obligare ſubditorum conſcientias ad culpam præſertim mortalem. Altero libro contra illos pugnabo, qui dicunt legem pœnalem nunquam ſine iudicis adminiculo obligare ad pœnam, aut illam infligere poſſe. Verùm ſi tam multi, & tam fortes viri ſunt, qui ſtant ex aduerſo, qua fronte aut quo animo ego ſolus eos omnes ad certamen prouocare audeo? Si negant vel Herculem aduerſus duos fuiſſe parem, quinam fiet, vt ego imbecillis homo tot Hercules vincere poſsim? Sed vincit omnia veritas, nec eſt qui præualere poſsit contra illam. Vincet ergo quiſquis pro veritate pugnauerit, præſertim quum Deus ipſe ſemper veritati faueat: & eos, qui pro illa tanquam pro re, quæ potiſsi-
B mum ad ipſum ſpectat, certant, potentiſsimè adiuuet. Vt autē apertè Deo adiutore, poſsim de illis omnibus triūphare, nihil præter diuini numinis fauorem deſidero, niſi æquos iudices, qui non perſonas ſed merita reſpiciunt, neq; perſonis ſed meritis victoriæ coronā tribuant. Neq; eſt quod miretur aliquis me hoc deſiderare, cùm ſolenne ſit multis, non quid, ſed à quo dicatur conſiderare. Pro qua re ſatis mihi eſſe arbitror producere in teſtē ſapientē Eccleſiaſticū, qui hanc præpoſterā homi- *Eccleſi.13*
num ſententiā ſubinde cōtingere refert. Diuiti decepto, inquit ſapiēs, multi recuperatores: locutus eſt ſuperba, & iuſtificauerunt illum. Humilis deceptus eſt, inſuper & arguitur: locutus eſt ſenſatè, & nō eſt datus ei locus. Diues locutus eſt, & omnes tacuerunt, & verbum illius vſque ad nubes perducent. Pauper locutus eſt, & dicunt. Quis eſt hic? Quicunque ad illuſtres illos viros, qui multis paraſangis me antecellunt, referre me voluerint, meritò illos diuites, & me paupercu lum & abiectum prononciabunt: ac proinde metuo, vt ſi me, quamuis ſenſatè loquentem, illorum ſententiæ contradicentem audierint, cum indignatione aut dedignatione dicant. Quis eſt hic? Ob hanc cauſam huius operis le-

ctores, quos ſolos video futuros eſſe huius pugnæ iudices, C
per viſcera Charitatis, quæ eſt in Chriſto Ieſu adiuro, vt quum
diſputationem hanc legerint, omnem procul à ſe reiiciant hu
manum affectum, quatenus poſsint vtriuſque partis merita
rectè cognoſcere, & ſic liberè de victoria cenſere. Oro illos
vt nullum perſonæ reſpectum habeãt, ſed conſiderent Deum,
Num.22. quæ ſua eſt potentia, ſubinde linguas infantium feciſſe di-
ſertas, & gregum paſtores feciſſe prophetas, & aſinæ elin-
gui vſum linguæ dediſſe, rudes denique piſcatores eatenus
erudiuiſſe, vt ſua poſtmodum doctrina totum illuſtrauerint
orbem. Oro inſuper eos, ne illos moueat ad cenſendum de vi
ctoria pugnæ, quòd multi ſunt qui mihi aduerſantur: quo-
1.Mach. niam facilè eſt (vt ſapienter fortiſsimus ille Iudas dixit) con-
3. cludi multos in manu paucorum, & non eſt in multitudine
exercitus victoria belli, ſed de cœlo fortitudo eſt. Non opor
tet numerare, ſed ponderare ſententias: quoniam etſi quadrin
3. Reg. genti circiter prophetæ regi Achab prædixerunt bona, Mi-
22. cheas tamen, qui ſolus contra illos omnes ſententiam dixit,
verior illis inuentus eſt, & contra illos omnes præualuit.
Nec tamen hæc ideo dixerim, quòd me verum prophetam,
& reliquos omnes falſos eſſe dicam. Abſit. Non ſum enim D
adeò demens aut φίλαυτος, vt me ſolum pluris faciam quàm
reliquos omnes: ſed huc tendit illa hiſtorica alluſio, vt ex fi-
de hiſtoriæ quiſque intelligat Deum in hac diſputatione id
Ioſue 23. mihi præſtare potuiſſet, quod aliis longè ante promiſerat.
Vnus ex vobis perſequetur hoſtium mille viros. Dei omni-
potentis auxilium expecto, qui ſemper prope eſſe ſolet omni-
bus rectè inuocantibus eum. At nullus rectius illum inuocat,
quàm qui pro tuenda veritate illum orat. Hac igitur
firmiſsima fiducia munitus, in diſputationis cam
pũ deſcendo, pro legis pœnalis vtraq; po-
teſtate pugnaturus, vt illam, Deo fa-
uente, ab hoſtium iniuria defen-
dam, & ſic munitam relinquã,
vt quiſquis pro illa dein-
ceps pugnare vo-
luerit,
minimo negotio illam
tueri valeat.

F. ALFONSI A CASTRO ZAMORENSIS, ORDINIS MINORVM REGVLARIS OBSERuantiæ, De poteſtate Legis pœnalis;

LIBER PRIMVS.

Quid ſit Lex. CAPVT I.

A QVONIAM non de omni lege, ſed de ſola lege humana, quæ pœnam tranſgreſſori infligēdam eſſe decernit, in hoc opere diſſerere ſtatui: ideo neceſſarium eſſe cenſui, primùm hæc duo ſingulatim pertractare, quid ſit lex humana, quid etiā pœna, vt inde omnibus apertè conſtare poſsit, quid ſit lex pœnalis, de cuius ſolius poteſtate impræſentiarum diſputare decreui. Legem hu-
B manam alij aliter definiunt, & inter tam multos illius definitores rarus certè eſt (abſit verbo inuidia) qui integram & exactam legis definitionem reddat. Ac proinde, quid cuique definitioni deſit, ea qua potui diligentia circunſpiciens, vnam ex omnibus legis definitionibus nunc colligam, quæ omnes illius partes integrè complectatur, & apertè declaret: & deinde in proximè ſequenti capite aliarum definitionum defectus prodam, & illas mancas & diminutas eſſe conuincam. Lex eſt recta voluntas eius, qui vicem populi gerit, voce aut ſcripto promulgatá, cum intentione obligandi ſubditos ad parendum illi. Quæ definitio cùm multas & varias in ſe contineat partes, omnes eas ſingulatim explicare oportet, vt inde conſtet nullam illarum ſuperfluere, ſed omnes meritò fuiſſe in definitione collocatas. Ante omnia tamen admonere decreui lectorem, vt intelligat me hîc ſolam legem iuſtam definire. Quoniam, quæ iuſta non eſt, legem nullatenus dicendam eſſe, cenſet Auguſt. qui lib. j. de libero arbitrio, ſic ait: Mihi lex eſſe non videtur, quæ iuſta non fuerit. Et idem lib. xix. de ciuitate Dei, cap. xxj. iterum ait. Non enim iura (inquit ille) dicenda ſunt vel putanda iniqua hominum conſti-

Legis definitio.

Auguſtinus

tuta, cùm illud etiam ipſius eſſe dicant, quod de iuſtitiæ fonte manauerit. Hæc Auguſtinus. Probatur adhuc idem per id, quod dicitur in cap. Ius generale. diſtinct. j. Ibi enim dicitur legem eſſe iuris ſpeciem. Lex autem, quæ iuſta non eſt, ius non eſt: ergo lex dici non poteſt. Quia, cui genus non conuenit, nec vlla generis ſpecies illi conuenire poterit. Quibus prænotatis, ad ſingulas noſtræ definitionis partes interpretandas accedo. C

Cùm igitur primò dixi legem eſſe voluntatem rectam, non ſum vſus nomine voluntatis, vt ipſam animæ liberam potentiam ſignificat, ſed vt ipſos eiuſdem potentiæ actus denotat: quemadmodum Paulus eadem vſus eſt voce: quum dixit: voluntas cordis mei, & obſecratio ad Deum, fit pro illis in ſalutem. Et rurſum alibi. Facientes voluntatem carnis. In quibus omnibus locis nomen voluntatis capitur, non pro ipſa animæ potentia: ſed pro quouis illius potentiæ opere, quod volitio aut nolitio dicitur. Et quia vtrumque horum, videlicet volitio aut nolitio, poteſt vim legis habete, ideo ego vt vtrumque vna voce complecterer, nomine voluntatis ſum vſus. Non eſt enim lex opus ſolius intellectus, ſed neceſſarium eſt vt ipſi intellectui accedat voluntas, iubendo aut prohibendo id, quod ab intellectu præcognitum eſt. Qua voluntate ſecluſa, etiam ſi is, qui legem ſtatuere poſſet, multa ſcripto aut voce proferat, quæ honeſta & reipublicæ vtilia eſſe dicat, nullum tamen illorum pro lege tenendum erit. Non enim id, quod princeps nouit aut benè intellexit, ſed quod principi placuit legis habet vigorem, vt dicitur in l. j. ff. de conſtitutionibus principum. Et beatus Auguſtinus libro iiij. de Ciuitate Dei, loquens de tempore illo vetuſtiſsimo, quo primùm regna inter homines cœperunt, ait. Populi nullis legibus tenebantur, arbitria principum pro legibus erant. Hæc Auguſtinus. Præterea hoc apertiſsimè conſtare poteſt ex ipſis legis effectibus, qui (vt habetur in l. legis virtus. ff. de legibus) ſunt imperare, vetare, permittere, punire. Nullus enim horum effectuum conuenit intellectui, ſed omnes (vt notum eſt) ſunt proprij voluntatis effectus. Deinde ipſum legis nomen, ſi vera illius origo rectè conſideretur, apertè indicat, legem ad voluntatem & non ad ſolum intellectum pertinere. Nam lex, ab electione dicta eſt, prout Cicero libro primo de legibus docet, ſic inquiens. Arbitrantur prudentiam eſſe legem, D

Rom. 10. Ephes. 2. Auguſt. Cicero.

C

A legem,cuius ea vis ſit,vt rectè facere iubeat, vetet delinquere: eámque rem illi Græco putant nomine, ſuum cuique tribuendo,appellatam,ego verò à deligendo.Nam vt illi æquitatis,ſic nos delectus vim in lege ponimus, & proprium tamen vtrumque legis eſt.Hæc Cicero. Pro quorum verborum apertiori intelligentia animaduertere oportet,legem à Græcis dici Νόμ☧;quod nomen ab hoc verbo Νέμω, vel ab hoc verbo Νεμίω deductum eſt. Vtrumque enim rectè dicitur, & vtrumque latinè redditum,ſignificat diſtribuere, aut diuidere. Et ob hanc cauſam dixit Cicero,legem Græco nomine appellatam, quòd lex iuſta ſuum cuique tribuat. Et meritò ſic eam appellarunt,quia lex (vt ego cenſeo) ſub iuſtitia diſtributiua continetur.Ipſe tamen Cicero dicit, latinè legem dici à deligendo, quia Latini vim delectus in lege ponunt. Quo autem pacto ſit vis delectus in lege, exprimit Auguſtinus (ſi modo titulus libri non fallit) in libro quæſtionum veteris & noui teſtamenti, In ſecunda parte additionum, quæ additæ ſunt in impreſsione Pariſienſi,per Claudium Cheuallonium, q.xv.Vbi ſic ait.Lex à lectione dicta eſt,vt de multis quid eligas,ſcias.Inter errores ergo poſiti acceperũt vt eligãt verum. *August.*

B Hæc Aug.Cõſtat autẽ electionẽ ad voluntatẽ pertinere,nõ ad intellectũ:quoniã electio ſine libertate eſſe nõ poteſt,quę intellectui minimè cõuenit,qui ſecundum naturã operatur. Ex his omnibus apertè cõuincitur errare eos,qui dicunt legẽ eſſe actũ prudentiæ.Fateor quidẽ,prudentiã eſſe ſummè neceſſariũ in legiſlatore, vt ſciat quid lege ſtatuendum ſit: non tamen inde ſequitur,legẽ eſſe prudentiã aut actũ illius. Nã hac ratione oporteret etiã omnes illas virtutes,quas vſitato vocabulo morales dicimus,eſſe prudentiã dicẽdas:quia nulla illarũ,niſi comite & præuia prudentia, poteſt propriã ſuã operationem efficere.Et ob hanc cauſam,ego legem definiens, dixi: illam eſſe rectam voluntatem.Quam voluntatis rectitudinẽ ex hoc ſolo penſandã eſſe cenſeo, ſi ſit rectæ rationi,aut veræ prudẽtiæ cõformis.Et ſub his verbis compræhendi volo aliquas ex multis legis iuſtæ conditionibus,quæ enumerãtur in cap.Erit autem lex.diſtinctio.iiij. Multa illic Iſidorus refert eſſe ad iuſtam legem neceſſaria. Quorum omnium, ſi alterũ legi ſubtraxeris,non erit illa rectæ rationi conformis. Primũ illorũ eſt,quòd lex ſit poſsibilis,hoc eſt,poſsit obſeruari ab illis quibus datur.Nulla enim ratio recta permittit, vt *August.*

D

lex poſsit aliquem obligare ad id quod ille præſtare non po- C
Auguſti. teſt. Vulgatiſsima, & ab omnibus celebrata eſt illa Auguſtini ſententia, quæ ait, neminem peccare in eo, quod vitare non poteſt. Et idem Auguſtinus in quodam ſermone, ait. Dominus ſeruum pigrum non damnaret, ſi ea quæ fieri nullo mo-
Hierony. do poterant, imperaret. Et beatus Hieronymus in quadam epiſtola ad Damaſum, ait. Execramur etiam eorum blaſphemiam, qui dicunt impoſsibile aliquid homini præceptum eſſe, & mandata non à ſingulis poſſe ſeruari. Hæc Hieronymus. Si lex diuina nec obligat, nec obligare poteſt ad impoſsibile: qui fit, vt lex humana, quæ multo minoris potentiæ eſt, poſsit ad impoſsibile aliquot homines obligare? Igitur rationi rectæ conforme eſt, vt lex quæ iuſta eſſe debet, poſsibilis ſit: hoc eſt, vt ea ſolùm præcipiat, quæ ſeruari poſſunt. Nec ſatis eſſe puto ad veram legem, vt poſsibilia ſint, quæ illa præcipit, ſed oportet quòd non ſint nimium difficilia. Et hoc ipſum intelligi oportet ſub nomine poſsibilis.
Ariſtote. Nam, quæ nimium difficilia ſunt (vt Ariſtoteles lib. v. Metaphiſicæ, ait) impoſsibilia ſolent appelllari. Ob hãc enim cau-
Actuum 15. ſam Petrus Apoſtolus de ceremoniis & iudiciis Moſaicæ legis loquens, dixit. Quid tentatis imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod nec nos, nec patres noſtri portare potuimus? Quæ Petri verba non ſic accipienda ſunt, vt ille dicere velit, legem Moſaicam fuiſſe prorſus impoſsibilem, & minimè obſeruabilem. Abſit, Quoniam ſi talis illa fuiſſet (vt ex his quæ nunc proximè diximus conſtat) nunquam Deus illam Iudæis dediſſet. Solam igitur legis difficultatem & non impoſsibilitatem, per illa verba Petrus exprimere voluit. Et ob hanc cauſam inter multas alias, legem illam veterem, quę & ſi tunc populo illi duro, & ad idololatriam prono, iuſtè data eſt, Deus reuocauit, & pro illa legem euangelicam, quæ multo facilior & ſuauior eſt, ſubſtituit: ne homines legis difficultate, à ſeruitio Dei & illius obedientia ſe excuſare poſſent. De lege & præceptis ſuis ſaluator noſter loquens, di- D
Mat. 11. xit. Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Contra verò Phariſæorum & ſcribarum leges & præcepta redarguens,
Matt. 23 dixit. Alligant onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum. Quibus verbis iniuſta eſſe illorum præcepta declarauit, per hoc, quòd erant onera grauia & importabilia, hoc eſt, nimium difficilia. Quòd autem non prorſus

imp

A impoſsibilia,ſed nimium difficilia hoc loco appellauerit importabilia,verba quæ ſubiunxit apertè oſtendunt. Nam poſt hæc verba,de eiſdem phariſæis & ſcribis loquens, ſtatim addidit. Ipſi verò digito ſuo nolunt ea mouere. Quæ verba interpretans Chryſoſtomus homilia 73. ſuper Matthæum, ait. Non dixit,non poſſunt,ſed nolunt,nec portare aut ferre, ſed digito mouere,hoc eſt,nec propè accedere,nec tãgere volunt, ſed diligentes atq; robuſti in prohibitis ſunt.Hæc Chryſoſtomus. Ex qua Chryſoſtomi annotatione apertè conuincitur, onera illa,quæ phariſæi & ſcribæ imponebant ſuper humeros hominum,hoc eſt,illorum præcepta, non ideo dicta eſſe à Chriſto ſaluatore noſtro importabilia,quia impoſsibile eſſet ea portare, ſed quia difficillimum hoc eſſet. Ex hac legis iuſtæ conditione oritur,vt in multis rebus non poſsint vniuerſales pro omnibus dari leges. Quia cùm non ſit omnibus æqua facultas & potentia,contingit ſæpe,vt quod facillimum eſt vni,ſit alteri difficillimum, & quod vni eſt poſsibile, alteri ſit impoſsibile. Et in huiuſmodi rebus iniuſta debet cenſeri lex,quæ ſine vllo diſcrimine,omnes eadem menſura metiri vellet. Iniuſta certè eſſet lex,quæ ſenes obligaret ad portandas ſarcinas,quæ viribus iuuenum eſſent ferè pares. Iniuſtam etiam eadem ratione cenſerem legem,quæ illud tributum à paupere exigeret, quod non niſi diues reddere poſſet. Alia ad legem iuſtam exacta,quæ referuntur in illo prædicto cap. Erit autem lex. facilè cognoſcuntur eſſe rectæ rationi conſona. Nam rectæ rationi congruit,vt ſi conſuetudo patriæ eſt honeſta & reipublicæ vtilis, obſernetur & pro lege habeatur. De tali enim conſuetudine ego intelligendum puto, id quod ab Iſidoro ſumptum refert Gratianus.in cap.conſuetudo.diſtin.j. Et lex,quæ hanc abrogaret conſuetudinem iniuſta cenſenda eſſet, nec digna,quæ obſeruari debeat.Si verò conſuetudo nec honeſta nec inhoneſta eſt,nec reipublicæ vtilis aut inutilis, expedit eam tolerare, ne fortè illam abrogare tentantes,alicuius mali occaſionem præbeant. Si autem conſuetudo mala eſſet,vt puta,quia inhoneſta,aut reipublicæ incommoda, iuxta hanc, lex inſtitui non debet, ſed potius eſt per legem omnino tollenda. Quoniam ſicut conſuetudo illa mala eſt, ita & lex, quæ ſecundum illam ſtatueretur, erit iniuſta dicenda. Aliæ duæ legis iuſtæ conditiones, quæ in illo ſæpè dicto capitulo proximè ſequuntur,videlicet,quòd

Chryſoſt.

B

lex ſit loco & tempori conueniens,circunſtantiæ ſunt,quæ ferè in quolibet opere virtutis conſiderari ſolent,& tunc neceſſariæ ad virtutis opus cenſentur,quando de illis ſpeciale præceptum eſt datum. Legem autem ſtatuere eſt opus virtutis, & inde conuincitur,vt in illa ſtatuenda oporteat conſiderare locum & tempus. Locum, in quo lex ſtatuitur, conſiderare oportet multiplici ratione: Primò quidem, ne (vt nunc proximè admonuimus) aliquid ſtatuatur,quod patriæ cõſuetudini aduerſetur. Deinde, quia iuxta locorum varietatem ſæpè multarum rerum conditiones variantur: & inde conſequitur neceſſariò, vt ſi de rebus illis aliquid ſit lege ſtatuendum, iuxta locorum varietatem leges etiam varias ſtatuere oporteat. Conſtat ſiquidem alia in aliis locis eſſe rerum precia, propterea,quòd aliqua in aliquo loco abundant, & pauci illa perquirunt, quæ in alio loco ſunt nimis rara, & à multis deſiderata. Si iſtarum rerum precia eſſent lege ſtatuenda, neceſſariò oporteret aliam alij loco condere legem: quum non poſsit vnum in omni loco eiuſdem rei iuſtum ſtatui precium. Et ob eaſdem cauſas conuincitur etiam, vt in lege ſtatuenda temporis conditio conſideretur. Quoniam apertiſsimum eſt, ex temporum decurſu mores hominum variari, & ideo neceſſariũ erit,vt diuerſis ſuccedentibus moribus,diuerſa etiam antidota per leges parentur. Mutantur etiam ſucceſſu temporis,multarum aliarum rerum cõditiones,ob quam cauſam euenire neceſſe eſt,vt quod vno tempore vtile eſt,alio tempore ſit nociuum: quod hodie vile eſt, propter nimiam illius abundantiam, poſt menſem ſit magnæ æſtimationis, quia rarum eſt, & à multis optatum. Si de his omnibus eſſent leges ſtatuendæ,oporteret neceſſariò id eo tempore, quo nociuum eſt, prohibere: quod alio tempore, quo prodeſſe poteſt, eſſet permittendum, & maius decernere rei precium eo tempore,quo rara eſt,quàm eo tempore quo abundat. Has & alias cauſas conſiderans Concilium generale Lateranen. ſub Innocentio tertio celebratum, ait. Non debet reprehenſibile iudicari, ſi ſecundum varietatem temporum ſtatuta quandoq; varientur humana, præſertim cùm vrgens neceſsitas, vel euidens vtilitas id expoſcit. Hæc concilium. Et habentur in cap. Non debet, extrà de conſanguinitate & affinitate. Verum & ſi leges humanæ pro temporum varietate mutari poſsint, id tamen non facilè, nec pro gubernatoris arbitr

A arbitrio,ſed pro neceſsitate faciendum eſſe,docet Ariſtoteles. 2.Politi.cap.vj.ſic inquiens. Aſſueſcere verò facilè leges mutare improbandum. Conſtat verò, errata quædam eſſe toleranda & legumlatorum & magiſtratuum.Non enim tantum proderit,qui corrigere perget, quantum nocebit aſſuefactio ſuperioribus non parendi. Et aliquibus interpoſitis ſubdit. Quare facile mutare leges ex præſentibus in alias nouas, infirmam facere eſt vim legis. Hæc Ariſtoteles.Additur deinde ab Iſidoro inter cōditiones legis iuſtæ,quòd ſit illa neceſſaria & vtilis. Quo loco illud nomen,neceſſaria(vt optimè beatus Thomas interpretatur) non dicit neceſsitatem abſolutā,qualis eſt in eo,quod aliter euenire non poteſt: ſed dicit neceſsitatem conditionalem,ſiue moralem,quę ex fine ſumenda eſt. Ita vt illud dicatur neceſſarium, ſine quo finis,ad quem illud dirigitur,haberi non poteſt. Et quia hoc vtilis nomine cenſeri ſolet,vt aliquod inter neceſſarium & vtile poneret beatus Thomas diſcrimen,& ſic Iſidorum à vitio ſuperfluitatis,quo laborare videbatur,liberaret: dicit neceſsitatem referendam eſſe ad remotionem malorum,quæ lege prohibentur:vtilitatem verò ad conſequutionem bonorum. Manifeſtam etiam

Ariſtot.

S.Tho.12 q.9. art.3

B oportere eſſe legem docet ibidem Iſidorus,cuius cauſam reddit apertiſsimam,& rectæ rationi conſonam,ſic inquiens. Ne aliquid per obſcuritatem incautum captione contineat.Vltima legis iuſtæ conditio ab Iſidoro poſita eſt,vt pro nullo priuato commodo, ſed pro communi ciuium vtilitate,ſtatuatur. Quam legis proprietatem ſiue conditionem gloſſator Decretorum ſic interpretatur, vt dicat illam ad hoc ſolùm poſitam eſſe, vt per illam diſtinguatur lex à priuilegio. Nam eam legem, quæ pro priuato commodo ſtatueretur, ille cenſet dicendam eſſe priuilegium. Quo fit, vt ſi princeps, lege ab eo data, omnes ſuos ſubditos ad tributum aliquod iniuſtum illi perpetuò perſoluendum cogeret, lex illa, iuxta gloſſatoris ſententiam, ſit dicenda priuilegium, quia pro ſolo priuato ipſius principis commodo, eſſet ſtatuta. Hoc autem quàm longè à veritate diſtet, quilibet vel mediocriter doctus intelliget. Nam priuilegium à lege communi per hoc diſtinguitur,quòd lex communis omnibus datur, & omnes obligat: priuilegium verò non omnes, ſed priuatam perſonam reſpicit. Ideo illam particulam ab Iſidoro vltimo loco poſitam,aliter intelligendā eſſe arbitror,ita vt per illam

oſtend

oſtendatur diſcrimen inter legem iuſtam & iniuſtam atq; tyrannicam. Quæ pro communi ciuium vtilitate ſtatuitur, iuſta eſt lex. Quæ verò pro priuato commodo lex daretur communis, iniuſta eſſet dicenda & mera tyrannis. Quam iniuſti-
Rom. 12. tiam, ipſa natura docente, facilè poterimus demõſtrare. Nam in corpore humano, ad cuius imitationem (vt Paulus ait) vera reſpublica componenda eſt, quodlibet particulare membrum, natura ad hoc inclinante, libentiſsimè patitur ſibi aliquid detrahi, & ſe totum interire, vt totum corpus ſeruetur incolume. Huius autem contrarium fieri, vt videlicet toti corpori detrimentum inferatur pro alicuius membri, etiam ſi caput illud ſit, pari vtilitate aſſequenda, natura repugnat. Nam etſi quodlibet particulare membrum ſigillatim ſe pro capitis tutela cuilibet exponat periculo, vt omnia tamen ſimul periculum ſubeant, natura non patitur. Quoniam pereuntibus reliquis omnibus membris, caput ſolum ſaluum conſiſtere non poſſet. Ita in recta republica, quæ ad imitationem corporis humani formanda eſt, fieri oportet. Quilibet particularis homo, etiam ſi rex ille ſit, quia tanquã particulare totius reipublicæ membrum cenſetur, potius toti reipublicæ, quàm ſibi ſoli conſulere debet: & potius reipublicæ vtilitatem, quàm ſuã debet optare. Et inde apertiſsimè conuincitur, vt lex, quæ ſpreta cõmuni vtilitate pro ſolo particulari aliquo commodo aliquid ſtatueret, iniuſta ſit cenſen-
Ariſtot. dą, & rationi naturali apertè contraria. Ideo Ariſtoteles 4. Politicorũ. cap. j. dixit. Sunt enim leges omnes ad rempublic. accommodandæ, non autem reſpublicæ ad leges. Et eodem libro cap. x. de ſpeciebus tyrannidis loquens, ait. Tertia autem ſpecies tyrannidis, quæ maximè propriè videtur id nomen habere, oppoſita eſt regiæ poteſtati abſolutè. Hanc neceſſe eſt tyrannidem vnius principatum eſſe, qui nullis ſubiaceat legibus, & dominetur æqualium & meliorũ omnium ad propriam vtilitatem, non ad vtilitatem ſubditorum. Hæc Ariſto-
Baſilius. teles. Et beatus Baſilius in quadam homilia ſuper principium prouerbiorum ait. Hoc enim tyrannus à rege differt, quod ille ſua ipſius quomodocunq; & vndecunq; reſpicit ac tuetur: hic tantũ ſubditis conſulere quærit. Hæc Baſilius. Cæterum ſi alicuius hominis particulare commodum, in bonum totius reipublicæ cedat, de illo iuſtè poterit lex ſtatui, non quatenus particulari bono, ſed quatenus totius reipublicæ commod

A commodo per illam prouidetur. Et ob hanc cauſam multæ leges iuſtæ de vectigalibus & de tributis regi reddendis ſtatutæ ſunt. Multæ etiam leges de Prætoribus, de Aedilibus, aliiſque id genus magiſtratibus. Quoniam hi omnes, etſi in ſe conſiderati, perſonæ ſint particulares: quatenus tamen officia publica gerunt, communes cenſentur perſonæ. Et hinc euenit, vt leges, quæ pro cõmodo illorum, quatenus perſonæ communes ſunt, aliquid ſtatuunt, iuſtæ meritò dici poſsint, ſi reliqua, quæ ad iuſtam legẽ exiguntur, ſimul adſint. Nam, quod ſic pro illorum commodo ſtatutum fuerit, non tam illorum, quàm totius reipublicæ commodum cenſendum erit. Ob eandem cauſam leges, quæ pupillis & orphanis, & minoribus vigintiquinque annis, & ſeruis meritò fauent, iuſtæ cenſentur. Quoniam & ſi pro priuato illorum commodo ſtatutæ videantur, in bonum tamen totius reipublicæ cedunt. Nam expedit reipublicæ, ne quis re ſua malè vtatur, vt dicitur inſtit. de his qui ſunt ſui vel alieni iuris. §. ſed hoc tempore. Expedit etiam reipublicæ ciues ſuos eſſe locupletes, & quod nullus alteri inferat iniuriam aut damnum. Si autem pro alicuius iſtorum commodo quidquam lex ſtatuat, ex quo B nullam poſsit reſpublica extorquere vtilitatem, ſed potius detrimentum, lex illa ex Iſidori ſententia cenſebitur iniuſta: quia pro particulari commodo, & non pro ciuium vtilitate, fuit ſtatuta. Hæ ſunt iuſtæ legis conditiones ab Iſidoro enumeratæ in illo ſæpe citato cap. Erit autem lex, quas omnes ego, breuitati ſtudens, duabus voculis comprehendi, quum à principio huius capitis legem definiens, dixi illam eſſe rectam voluntatem, hoc eſt, volitionem aut nolitionem rectæ rationi conformem. Nam omnes illæ legis iuſtæ conditiones (vt planè oſtendimus) ſunt rectæ rationi conformes. His igitur ſic declaratis, opus eſt vt ad reliquas noſtræ definitionis partes interpretandas accedamus.

Poſtquàm in definitione legis per me data dicitur illam eſſe rectam voluntatem, ſtatim ſubduntur hæc verba, Eius qui curam populi gerit. Quæ verba ad hoc ibidem collocata ſunt, vt per illa legiſlatoris poteſtas explicetur. Non enim quiuis homo poteſt legem condere, & inde ſequitur, vt non cuiuſcunque voluntas quamlibet recta, ſed illius ſolùm, qui ad hoc curam populi tenet, ſit pro lege tenenda. Nam lex (vt Ariſtoteles docet decimo Ethicorum) neceſſariò habet vim *Ariſtot.*

cogent

cogentem, & efficaciter inducentem ad opus. Is autem, qui C populi curam non habet, licet poſsit alios ad bonum adhortari, non tamen illos cogere, & ideo nec leges illis dare. Hæc autem populi cura, & poteſtas ſuper illum, licet omnis (vt
Rom. 13. Paulus ad Romanos ait) ſit à deo: attamen diuerſo modo illam homines à deo habent, iuxta diuerſitatem poteſtatis & curæ, quæ ſuper populum habenda eſt. Eſt enim quædam poteſtas eccleſiaſtica, quæ hunc præcipuum habet ſui regiminis finem, vt videlicet populum ſibi cõmiſſum ad æternam perducat beatitudinem. Et qui hanc curam & poteſtatẽ habet, licet ad hoc ſit ab homine electus, à deo tamen poteſtatẽ illam ſuſcipit: & per illam ſuſcipit poteſtatem leges condendi. Eſt alia poteſtas laica, cuius hic ſolus eſt finis, vt populum in pace cuſtodiat: & hæc poteſtas licet ſit ſemper à deo, non tamen immediatè, ſed ſæpe per populi conſenſum, à quo primum deo annuente aut permittente illam accepit, nec maiorem quàm illi populus ab initio conceſsit. Et qui talem populi regendi curam dedit, eo ipſo dedit poteſtatem eas condendi leges, ſine quibus populus benè regi non poſſet. Conſtat enim poteſtatem legem ſtatuendi, iure naturæ populo conceſſam eſſe, præſertim ad eas leges ſibi condendas, quæ ſuperioris ſui D vero & legitimo dominio nequaquam repugnant. Nam quilibet particularis homo poteſt ſibiipſi ſtatuere regulam, qua vitam ſuam regat & moderetur, etiam cum obligatione faciendi id, quod lege decreuerit, ſi id quod apud ſe ſtatuit, nulli ſuperioris ſui legitimo decreto obuiat. Quilibet enim eſt rei ſuæ moderator, rector, & arbiter, vt dicitur in l. in re mandata. C. mandati. Idem prorſus de toto populo, aut tota republica dicere oportet. Quoniam nulla recta ratio patitur, vt totus populus in legibus ferendis circa ſe ipſum non habeat eam poteſtatem, quam quiuis particularis homo habet in ſeipſo. An autem ea rationis regula, quam homo ad vitæ ſuæ regimen ſibi ipſi ſtatuit, ſit lex dicenda, an non: parum refert ad id, quod intendimus. Scio enim eſſe aliquos, qui cenſent illam non eſſe dicendam legem, propterea quòd ea, quæ homo ſibi ipſi ſtatuit, non reſpiciunt bonum commune, ſed ſolum bonum illius particulare. De qua re nolo nunc diſputare, quoniam & ſi conſtaret illam non reſpicere bonum commune, ac proinde regulam illam non eſſe dicendam legem, negari tamen non poſſet quemlibet hominem habere

poteſt

A poteſtatem ſtatuendi ſibi talem regulam, quæ ſuperioris voluntati non repugnet: & inde ſequitur, vt multo melius populus habeat talem poteſtatem. Præterea, ſicut ſe habet totum hominis corpus ad quodlibet eius particulare membrum: ita ſe habet totus populus ad quemlibet hominem totius populi. At corpus hominis ſingulis quibuſque membris imperat, & illis ad ſuam vtilitatem vtitur. Oportet igitur vt populus totus ſingulis quibuſque illius hominibus imperare poſsit, & illis ad commodum ſuum vti: & inde apertè conſequitur, vt illis omnibus iuſtè poſsit leges dare. Tam aperta & manifeſta eſt hæc populi poteſtas, vt antiqui Philoſophi nihil aliud dixerint eſſe legem, quàm populi conſenſum, qui quid faciendum quídve fugiendum ſit, declarat. Nam Xenophon libro primo de factis & dictis Socratis, refert Periclem his verbis legem definiſſe. Omnes, quas in vnum conueniens & conſentiens vulgus conſcripſit, explanans quæ ſunt faciunda quæue fugienda, ſunt leges. Et libro quarto, refert Hippiam cum Socrate diſputantem, & eiſdem ferè verbis leges definientem. Denique Iulianus Iuriſconſultus in l. de quibus. ff. de legibus, cenſet leges nulla alia ex cauſa obligare,
B quàm quòd iudicio populi receptæ ſunt. Sed quia ſæpe euenit, vt vbi eſt multitudo, ibi ſit confuſio, ideo decuit vt populus hanc poteſtatem, quæ ſibi iure naturæ conceſſa erat, in aliquem aut aliquos tranſferret, qui re benè (vt oportet) circunſpecta, leges toti populo daret, quibus ille vitam pacificam agere poſſet, vt habetur. ff. de origine iuris. l. ij. §. deinde quia difficile. & in l. j. ff. de conſtitutionibus principum. Iure naturæ etiam poſtquam illa deprauata fuit, nullus eſt populi rex aut dominus, ſed hi principatus, aut dominia, quæ iuſtè tenentur, ex populi conſenſu euenerunt. Primus rex, qui eſt à Deo hominibus datus (vt Regum narrat hiſtoria) non niſi populo primum petente fuit illi conceſſus. Deinde populi varij, varios ſibi reges elegerunt, eos videlicet (vt Iuſtinus in principio ſuæ hiſtoriæ refert) qui prudentia & rectis moribus reliquos excedebant, & qui rectius rem publicam gubernare poſſent. Poſtea verò, quia apud multos regnum in tyrannidem verſum eſt, regni nomen multi populi delere curarunt, & gubernandi poteſtatem, non vni ſoli homini, ſed multis commiſerunt. Qui gubernandi modus non vnus vbique ſeruatus eſt, quoniam

Xenophon.
Pericles.
1. Reg. 8.
Iuſtinus.

vna reſpublica pauculis aliquot hãc rem delegauit: Alia mul- C
tis, ſed qui omnes eſſent ex optimatibus, pars ex mediocribus, pars ex infima plebe. Quocunq; autem modo hæc plebs regatur, conſtat illam gubernandi poteſtatem, quæ iuſta dicenda eſt, ex populi conſenſu eſſe ortam: & inde ſequitur vt poteſtas, quæ nullam habuit ex populi conſenſu originem, non iuſta, ſed tyrannica ſit dicenda. Niſi fortè talis poteſtas fuerit ab ipſo deo alicui ad populum regendum tradita, quoniam is qui ex tali poteſtate ſibi conceſſa populum regeret, non tyrannicè ſed iuſtiſsimè ageret, etiã ſi tali poteſtate, non ex populi conſenſu, ſed cum illius contradictione vteretur.

1.Reg.16 Nam Dauid etſi non à populo regni gubernacula ſuſcepit, non tyrannus ſed verus Iſraelitici populi rex cenſetur: quoniam Deus per Samuelem hanc gubernandi poteſtatem illi conceſsit. Et ideo iuſtiſsimè populo illi leges dare potuit. Ob eandem cauſam Petrus apoſtolus iuſtè totius Eccleſiæ regimen habuit, quia licet nullus ad hoc ipſius Eccleſiæ conſenſus fuerit requiſitus, ipſe tamen Saluator hanc illi dedit po-
Ioan. 21. teſtatem, ter dicens. Paſce oues meas. Qua poteſtate vtens, iuſtè potuit toti Eccleſiæ dare leges, quæ ad bonum illius regimen viderentur neceſſariæ. Idem aliis Petri ſucceſſoribus D
contingit, qui licet ab Eccleſia ad illius regimen eligantur, non tamen ab ipſa Eccleſia, ſed à Chriſto hanc habent ſupremam poteſtatem, qui eam omnibus illis in Petro conceſsit. Ille igitur principatus aut magiſtratus, ſiue in vno ſiue in pluribus conſiſtat, qui à populo accepit poteſtatem gubernationis, ab illo etiam accepit poteſtatem leges condendi, quæ ad bonam reipublicæ moderationem vtiles videbuntur. Cui hec poteſtas non eſt à populo delegata, ſicut nec gubernare, ita nec leges condere poteſt. Leges, quæ ab his principibus aut magiſtratibus conditæ ſunt, ideo validæ dicendæ ſunt, quia ex ipſius populi conſenſu prodiiſſe cenſentur. Et hinc ego deduco eam legem, quæ de re, iure diuino minime neceſſaria exiſtens, à principe aut quouis magiſtratu, toto populo contradicente, condita foret, nullius prorſus eſſe roboris, niſi forte populus omnem ſuam poteſtatem in principem aut in ſenatum tranſtuliſſet nihil ſibi reſeruans. Hanc tamen tam prodigam ſuæ poteſtatis & libertatis effuſionem vix credi poteſt populum aliquem feciſſe. An autem populus tam prodigus ſuæ poteſtatis fuerit, an non, ex conſuetudine ipſa &

vſu

A vſu coniectari poterit. Nam ſi princeps aut magiſtratus, cui hæc poteſtas eſt à populo tradita, ſolet ab antiquis temporibus ſine populi conſenſu, imò illo inuito aliquid ſtatuere, quod populus ſeruare cogatur, aperte conuincitur populum omnem ſuã poteſtatem in principem aut magiſtratum trãſtuliſſe. Eo tamen dato non per hoc tollitur, quin populus poſſit à legibus illis nouiter datis appellare, aut ſupplicare. Et tunc erit neceſſariò audiendus, ſi cauſam iuſtam reddat, propter quam nõ ſit ad tales leges obligandus: quam ſi non reddiderit, inuitus poterit iuſtè ad illarum obſeruationem cogi. Si verò in aliis rebus princeps aut magiſtratus, cui hæc poteſtas leges condendi eſt à populo commiſſa, nihil contra populi conſenſum ſtatuere ſolet, inde conuincitur populum non omnino renunciaſſe iuri ſuo, nec omnem ſuam poteſtatem in alium transtuliſſe. Et inde, mea ſententia, deducitur, vt ſi princeps aut magiſtratus talem poteſtatem à populo habens, vellet lege ab eo condita populum contradicentem cogere ad aliquid, lege diuina aut naturali minimè neceſſarium, ſit tyrannus dicendus: quia maiorem poteſtatem erga populum ſibi commiſſum exercet, quam verè habeat. Hoc autem de ſola

B laica poteſtate intelligi volo, quoniam hæc ſola à populo accipit ſuæ poteſtatis robur. Eccleſiaſtica autem poteſtas, quia (vt diximus) non à populo, ſed ab ipſo Deo vim ſuæ poteſtatis habet: ideo etiam ſine populi conſenſu poſſet leges condere de his rebus, quæ ad finem vltimum aſſequẽdum eſſent neceſſariæ, aut valde conducibiles. Sed hìc forte dubitabit aliquis, an hi, qui poſt legem à poteſtate laica conditam nati ſunt, teneantur ad eiuſdem legis obſeruationem, cùm illi nõ conſenſerint legi, nec illorum conſenſus ſit requiſitus. Reſpondeo, illos omnes, qui poſt datam legem ſuccedunt, etiam ſi longiſsimè ab illa legis creatione diſtent, obligari ad eiuſdem legis obſeruationem, quouſque lex ſit per contrariam conſuetudinem aut per aliam legem abrogata. Quoniam illi etſi non proprio & expreſſo conſenſu ſint ligati: ligantur tamen per conſenſum præſumptum, & quem neceſſariò præſtare tenentur. Nam aliàs oporteret à quolibet homine nato petere conſenſum, aut nouis hominibus naſcentibus, nouas ſemper condere leges. Hoc autem quàm ſit abſurdum & à ratione alienum, nemo eſt qui non videat. Quia quocunque homine particulari nato non variatur populus, vt propter illius

natiuitatem alius populus cenſeatur,ſed idem ſemper dicitur C
& eodem vocatur nomine Nam ob hanc cauſam Eccleſia Catholica, quæ à primo iuſto incipiens vſque ad finem mundi protenditur,vna tantùm Chriſti ſponſa eſſe cenſetur. Ipſe
Cantic. 6. enim ſponſus vnicam illam eſſe dicit,ſic inquiens. Vna eſt columba mea, perfecta mea: vna eſt matri ſuæ,electa genitrici ſuæ. Et Paulus Apoſtolus apertius declarat vnicã eſſe Chri-
2.Cor. 11. ſti ſponſam,ſic dicens. Deſpondi vos vni viro virginem caſtã exhibere Chriſto. In quibus verbis id annotandum eſt,quòd dixit virginem,& non dixit virgines:vt vnicam illam eſſe oſtenderet. At,ſi aliis atque aliis ſuccedentibus hominibus,aliã ſemper oporteret dicere rempublicam, aliúmque populum, neceſſe eſſet fateri, tot Eccleſias Catholicas ſucceſſu temporũ fluxiſſe,quot ſæcula præterierunt. Deinde,ſi princeps priuilegia aliqua concedat alicui ciuitati,etſi omnes, qui tunc viuebant,moriantur, non eo ipſo priuilegia perire dicentur: ſed ad poſteros deriuata eſſe iudicabuntur,propterea quòd poſteriores cum prioribus cenſentur eſſe idem populus. Et inde apertè deducitur, vt idem ſit etiam dicendum in legum obligatione,ita vt qui poſt legem æditam nati ſunt,teneantur ad illius obſeruationem, cui priores conſenſerunt. Quia quan- D
diu totus populus tacet, & legi antiquæ non contradicit, conſentire videtur. Cui populi conſenſui quilibet particularis homo ſe conformare tenetur,& per conſequens legi obedire.

Additur deinde in definitione legis per me data,quòd lex ſit voce aut ſcripto promulgata. Quæ promulgatio ad hoc neceſſaria eſt in lege,vt per illam legiſlatoris voluntas innoteſcere poſsit his, quibus lex datur. Non eſt enim æquum, aut rationi conſentaneum, vt quis poſsit obligari ad faciendum id, quod nullo modo implere poteſt. Conſtat autem neminem poſſe velle id,quod prorſus ignorat. At neceſſe eſt,legiſlatoris voluntatem,quæ nec voce,nec ſcripto manifeſta eſt,eſſe prorſus ignotã. Et inde apertiſsimè ſequitur,vt legiſlatoris ignotæ voluntati,nemo poſsit obedire. Ex quo vlteriùs deducitur, vt legiſlator neminem ſua voluntate obligare poſsit ad aliquid faciendum, niſi priùs ſuam voluntatem illi notam fecerit. Hæc autem niſi voce aut ſcripto manifeſtetur, vix poterit alicui (vt oportet) eſſe nota. Tanta eſt in ſtatuenda lege publicationis neceſsitas, vt Deus ipſe,cui rerum eſt ſumma poteſtas,non poſsit lege poſitiua ab eo data,citra eiuſdem legis
public

A publicationem, aliquem ad illius obſeruationem obligare. Execramur (inquit Hyeronimus ad Damaſum) eorum blaſphemiam, qui dicũt, impoſsibile aliquid homini præceptum eſſe, & mandata non à ſingulis poſſe ſeruari. Hæc Hieronymus. Et Ambroſius libro primo de Iacob & vita beata: capite 3. ait. Nemo tenetur ad culpam, niſi voluntate propria deflexerit. Hæc ille. At non poteſt propria voluntate ab aliquo deflectere, qui ignorat id, à quo deflectit. Quoniam (vt Auguſtinus ait) voluntas non fertur in incognitum. Denique, ipſa veritas hoc idem apertiſsime decet, ſic inquiens. Si non veniſſem, & loquutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent. Quibus verbis, non de omnis Iudæorum peccato Chriſtus loquens, ſed de ſolo infidelitatis peccato quo noluerunt credere, illum eſſe verum Deum, dixit illos fuiſſe ab illo peccato excuſandos, ſi de illa re non fuiſſent ab eo plenè edocti. Quia poterant legitimam prætexere excuſationem, dicentes ſe nihil tale audiuiſſe, nunquam hanc veritatem fuiſſe illis legitimè publicatam. Hoc tamen hac conditione intelligendum eſt, ſi ipſe non impediuit, vt lex non publicaretur: quia tunc ſi ipſe B impediuit publicationem, non excuſaretur per ignorantiam. Vnde Auguſtinus ait. Ille ignorans poteſt excuſari à pœna, qui, quod diſceret, non inuenit. Illis autem hoc ignoſci non poterit, qui habentes à quo diſcerent, operam non dederunt. Hæc Auguſtinus. Et citatur à Gratiano in capit. finali. diſtinctione trigeſimaſeptima. Et inde ſequitur, vt multò minus excuſari poſsint, qui habentes, à quo diſcerent, non ſolum operam non dederunt, ſed obſtiterunt his, qui docere volebant. Tanta eſt ad legis rigorem neceſsitas publicationis, vt Gratianus cenſeat tunc leges inſtitui, quum promulgantur. cap. In iſtis. diſtinctione quarta. Tunc quidem inſtitui dicuntur, quia tunc ex ipſa promulgatione incipiunt obligare ſubditos, ad quorum notitiam per talem ſolennem promulgationem perueniunt. Nam etſi lex aliquando duorum menſium ſpatium ſtatuat, vt lex obliget poſt publicationem, prout habetur in Authen. vt fac. no. conſtitu. collatio. vj. hoc tamen ſpacium ad forum exterius referendum eſt, & non ad forum conſcientiæ. Quoniam ſi his duobus menſibus poſt publicationem tranſactis, quis talem legem eſſe ſolenniter promulgatam, ſine cul-

Hierony.
Ambroſ.
Auguſti.
Ioan. 15.
Auguſtinus.

pa ſua ignorauerit, is nondum in conſcientia obligatur ad illius obſeruationem. Quia non eſt æquum, nec rationi conſentaneum, vt quis obligetur ad id, quod ſine culpa ſua ignorat: quoniam obligaretur ad impoſsibile, quod nullatenus eſt admittendum. Præterea is, qui poſt tempus publicationis à lege præfixum, legem tranſgreſſus eſt, & vult probare ignorantiam ſuam, admittitur ad probationem: vt docet Panormitanus, in capit. Cognoſcentes. de conſtitutio. & colligitur ex cap. finali. qui matrimo. accuſar. poſſunt. & cap. primo. de poſtula. præla. vbi dicitur: quòd illis, qui ignorantiam allegant, non facilè credendi facultas tribuitur. Ex quo ſequitur, quòd admitti poteſt ad probationem, quanuis eam difficulter præſtare poſsit. Fruſtra autem admitteretur ad probationem ignorantiæ, ſi illa probata non excuſaretur à culpa. Et inde apertiſsimè conuincitur, vt nullus, qui ſine culpa ſua legem ignorat, ſit obligatus in conſcientia ad eiuſdem legis obſeruationem, quamuis ſit illa ſolenniter promulgata, & promulgationis ſpatium à lege præfixum iam fuerit elapſum. Ob hanc cauſam grauiter olim puniebantur, qui delebant librum prætorum, in quo tales leges ſcribebantur. l. ſi quis id. ff. de iuriſdictio. omnium iudi. & inſtit. de iure naturali gētium & ciuili. §. Prætorum quoque edicta, & gloſſa ibi in verbo, edicta. Sic enim ſcripturam delētes, impediebant ne legum notitia ad poſteros tranſiret, & ſic obligatio obſeruationis præteriret. Oportet autē leges, quæ conſtringūt hominū vitas, ab hominibus ſciri & intelligi, vt vniuerſi, præſcripto earū manifeſtius cognito, vel inhibita declinent, vel permiſſa ſectentur. C. de legibus. l. leges ſacratiſsimæ. Hæc tamen omnia, quæ de neceſsitate publicationis diximus, non ſunt de lege naturali intelligenda, quoniam hæc, cùm ſit in cordibus hominū ſcripta, nō indiget aliqua alia publicatione.

Panorm. C D

Vltimò additum eſt in definitione legis ſuperius data, quòd ſit cum intentione obligandi ſubditos ad parendum illi. Nō enim quælibet legiſlatoris voluntas, etiam ſi voce aut ſcripto fuerit ſufficienter promulgata, eſt pro lege tenenda: niſi talis ſit, quæ ſubditos conſtringat ad id, quòd lege decretum eſt. Nam ſi legiſlator aliquid ſubditis ſuis conſuleret, tali cōſilio apertè ſuam voluntatem illis patefaceret: illa tamen voluntas non eſſet pro lege tenenda: quia per illam nequaquam ſubditi cogerentur ad aliquid faciendum, aut ab illo fugiendum

giendum

A giendum. Lex autem (vt Ariſtot.10.Ethico.cap.i*.docet) vim habet cogentem & neceſsitantem. At neceſsitare & ad opus impellere non poteſt legiſlator, niſi præcipiendo aut prohibendo: ergo ſola illa legiſlatoris voluntas, quæ per præceptum aut prohibitionem manifeſtatur, eſt pro lege tenenda. Sed fortè contra hoc quis argumentabitur, quòd voluntas legiſlatoris, quæ permiſsione manifeſtatur, eſt pro lege tenenda, vt patet per legem, legis virtus. ff. de legibus. Vbi inter legis virtutes recenſetur permiſsio, perinde ac præceptum & prohibitio: ergo tale decretum, quo aliquid legiſlator permittit, erit pro lege tenendum, veluti quando militi permittit, vt poſt ſententiã vti poſsit exceptionibus ſuis. C. de iuris & facti ignoran. l. j. Reſpondeo, huiuſmodi legiſlatoris permiſsiones eſſe pro legibus tenendas: quia in omnibus talibus ſunt quædam præcepta latenter permiſta. Nam eo ipſo, quòd militi permittit, vt poſt ſententiam vti poſsit exceptione, iudici præcipit, ne illum à tali ſuffragio repellat. *Ariſtot.*

B *Quomodo ſint intelligendæ quædam legis definitiones à Cicerone datæ, & quædam aliæ à varijs Iuriſconſultis redditæ in titulo de legibus, libro primo Digeſtorum.*

CAPVT II.

OSTENSA iam & ſufficienter declarata verá legis definitione, ſupereſt, vt iuxta id, quod promiſimus, definitiones legis, ab aliis viris ſapientibus datas, perſcrutemur, & illarum defectus prodamus, aut benignè illas interpretemur: vt illarum authoribus honoré aliquem deferamus. Cicero lib. j. de legibus legem definiens, ait. Lex eſt ratio ſumma inſita in natura, quæ iubet ea, quæ facienda ſunt, prohibétq; contraria. Quæ definitio etſi adeò Ciceroni placuerit, vt ſæpe illam in eodem libro iterauerit, bifariam tamen meo iudicio peccat. Primò quia falſum eſt quod dicit, & ſecum pugnantia continet. Lex quidem non eſt opus intellectus, ſed voluntatis. Non enim per hoc lex ſtatuitur, quòd legiſlator aliquid iuſtè faciendum eſſe intelligit, ſed per hoc, quòd ille id, quod iuſtum eſt, ab his, qui illi ſubduntur, ita fieri vult. Nam (vt dicitur, Inſtitu. de iure naturali. §. ſed & quod principi) quod *Cicero.*

principi placuit, legis habet vigorem. Præterea, in definitione illa dicitur legem iubere ea, quæ facienda ſunt, prohiberéque contraria. Si lex iubet aut prohibet, ergo non eſt ratio: quia iubere & prohibere, opera ſunt voluntatis & non intellectus. Secundò peccat illa definitio, quia etſi daremus voluntatem quodammodo ad rationem pertinere, & partem aliquam illius eſſe, adhuc definitio illa non eſſet bona, quia non omni legi, ſed ſoli legi naturali conuenit. Ea enim ſola eſt, quæ in noſtra natura inſita eſt: aliæ autem non ſunt inſitæ in natura. Quod ex eo apertiſsimè conſtat, quod non ſunt, imò nec eſſe poſſunt, omnibus notæ, ſed multæ ex illis à doctiſsimis viris abſque vllo peccato ignorantur. Hoc autem contingere non poſſet, ſi omnes illæ leges eſſent inſitæ in natura. Nam ob hanc ſolam cauſam Theologi omnes concorditer docent, ignorantiam legis naturæ neminem excuſare à tranſgreſsione illius legis, quia cùm ſit homini inſita à natura, nullus, niſi qui per peccatum excœcatus fuerit, illam ignorare poteſt. Hæc eſt enim illa lex, quam Paulus in ea, quæ eſt ad Romanos epiſtola, dicit eſſe ſcriptam in cordibus hominum, ac proinde homines naturaliter ea, quæ legis ſunt, facere cenſet: quia naturali ratione ſuadente, ſine aliquo alio præceptore intelligere valent ea, quæ lex in Decalogo præcipit. Si multæ ſunt leges, quæ citra omnem culpam ignorantur, conuincitur inde, illas omnes non eſſe in ipſa natura inſitas: & per conſequens definitionem legis à Cicerone datam, illis minimè conuenire. Deinde, ſi omnes leges eſſent in ipſa natura inſitæ, omnes etiam eſſent eædem apud omnes. Nam Ariſtoteles in quinto Ethicorum dicit, ius naturale eſſe illud, quod vbique habet eandem potentiã. Non ſunt autem eædem leges apud omnes, ſed variantur iuxta varias locorum conſuetudines, & iuxta id, quod temporum varietati conuenit, prout declaratum eſt in capite præcedenti: ergo non omnis lex eſt in ipſa natura inſita. Et inde manifeſtè colligitur, definitionem legis à Cicerone ſcriptam, non omni legi, ſed ſoli naturali conuenire. Rurſum, ſi omnis lex eſſet inſita in ipſa natura, nulla lex mutari poſſet, & iuſtè abrogari: quoniam ea, quæ naturæ inſita ſunt perpetuo fœdere, ſunt ipſi naturæ coniuncta, nec ab ea vnquã diuelli poſſunt. At multæ ſunt leges, quas tẽporum ſucceſſu mutandas eſſe, ipſa natura & rerũ experientia docet.

Rom. 2.

Ariſtote.

C

D

A docet. Vnde Ariſtoteles eximius naturæ indagator, quærens an expediat vnquam patrias leges mutare, in ſecundo Politicorum, capitulo ſexto, per hæc verba reſpondet. Melius videri poteſt, vt mutationem recipiant. Nam in aliis quidem ſcientiis hoc prodeſt, ceu ſi Medicina ab inſtitutis patriis mutetur, & Gymnaſtica & aliæ artes atq; facultates: quarum cùm vna ſit ponenda ciuilis diſciplina, patet in ea quoq; eandem rationem eſſe tenendam. Probari autem hoc dicet aliquis, & in ipſis legibus. Antiquę enim leges nimium rudes erant & barbaræ. Armati ſiquidem ferro incedebant Græci, & vxores emebant inuicem: & quotcunq; vetuſta iura alicubi extant, penitus rudia ſunt. Hactenus Ariſtoteles. Ex quibus verbis apertè conſtat erraſſe Lycurgum Lacedæmonum legislatorem, qui cenſuit leges prorſus non immutandas. Nam poſtquam leges Lacedæmoniis dederat, optans eas perpetuò conſtantes fore, dixit ſe Delphos adire velle, vt illic Apollinis oraculum conſuleret, rogátq; Lacedæmonios, vt conſtitutis ab eo legibus inſiſterent, neq; ex illis quicquam immutarent, quouſque ex Delphis ipſe reuerteretur, & Apollinis reſponſum rediens, illis nunciaret. Cui petitioni cùm omnes Ariſtot.

B conſentirent, vt firmam & indubitatam illorum promiſsionem faceret, iuramentum ab optimatibus & populo vt promiſſa ſeruarent, accepit. Abiens autem Lycurgus nunquam rediit, ſed Cretæ obiens (vt Plutarchus Ariſtocratis teſtimonio in vita illius refert) hoſpites ſuos precatus eſt vt corpus exurerent, & cineres in mare diſpergerent, ne quando fortè reliquiis eius delatis Lacedæmonem, illi ob hanc cauſam ſe à iuramento liberos eſſe putarent, & ſic leges ab eo conditas mutare tentarent. Quæ res etſi à rudi illa antiquitate nimium celebrata fuerit, indigna tamen eſt, quæ laude decoretur. Quoniam etſi bonum ſit (vt in præcedenti capitulo Ariſtotelis teſtimonio diximus) leges non facilè mutare: non tamen neceſſarium eſt illas eſſe prorſus immutabiles, ſed iuſta temporum varietatem ſæpe illas mutare oportet. Et inde conuincitur eas, quæ mutabiles ſunt, non eſſe in ipſa natura inſitas, & per conſequens iuxta Ciceronis definitionem non eſſe leges dicendas. Sed in excuſationem Ciceronis dici poſſet, omnem legem eſſe inſitam in natura: propterea quòd in ipſa natura ſunt inſita principia legis naturalis, à quibus reliquæ omnes leges deriuantur, quamuis non omnes eo- Plutarc.

dem modo ab illis principiis deducuntur. Aliquæ enim ſunt, C
quæ à principiis legis naturalis deducuntur, tanquã effectus neceſſariò à cauſa naturali producti: ſicut concluſiones producuntur à principiis per medium bonæ conſequentiæ. Talis eſt lex prohibens vſuram, quæ ex prohibitione furti proximè deriuatur: & vltimò deducitur ex illo primo principio legis naturæ. Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Talis etiam eſt lex, quę fraudem alteri fieri prohibet, & fraudem nemini opitulari præcipit. Quæ lex ex illo primo legis naturæ principio nunc proximè citato, manifeſtè deducitur. Tales leges etſi ab hominibus latæ dicantur, quia ingenio humano à principiis naturæ deriuatæ & explicatæ ſunt: leges tamen naturales verè dici poſſent, potius quàm humanæ, quia nihil à voluntate humana, ſed totum ſuum robur ab ipſa natura accipiunt. Nam omni legislatoris humana voluntate ſecluſa, ita vt nullus vnquam homo de illis aliquid ſtatuiſſet, nihilominus illæ plenam ſuam vim ad obligandum haberent. Aliæ ſunt leges humanæ, quæ à lege naturali deriuantur per modum ſpecificationis aut determinationis: ſicut ſpecies in rebus artificialibus quodammodo deriuantur à genere. In qua deductione, licet ſit neceſsitas, qua aliquam certam ſpeciem D
ſtatuat artifex in operando: quòd tamen hanc aut illã ſtatuat, ex mera artificis pendet voluntate. Tales ſunt omnes leges, quæ præmium aliquod virtuti, aut pœnã vitio ſtatuunt: quarum nullæ ex primis legis naturæ principiis neceſſaria conſequentia deduci poſſunt. Nam licet neceſſarium ſit ex lege naturæ, vt virtuti præmiũ, & vitio pœna reddatur: non tamen ex eadem lege eſt neceſſariũ, vt hoc aut illud præmiũ virtuti, & hæc aut illa pœna vitio reddatur. Tales ergo leges, licet verè humanæ dicantur, quia ab hominum voluntate pendent, vt ſubditos obligare poſſent: non tamen eſt ſola in illis humana voluntas, ita vt ſine illa ſimilitudine aut ſpecificatione legis naturalis, illa ſola ſubditis neceſsitatẽ & obligationem imponere poſſet. Poſſunt ergo huiuſmodi leges quodammodo extenſa vocis ſignificatione naturales dici: quia per illas id in ſpecie diſcernitur, quod in genere abſq; vlla ſpecificatione lex naturalis faciendum eſſe decernit. Si enim lex humana omnino à lege naturali diſcederet, illa iuſta non eſſet, etſi nihil extra legem naturalem præciperet, iam nõ humana, ſed
Vlpianus lex naturalis diceretur. Nam Vlpianus Iuriſconſultus in l. ius
ciuile

A ciuile.ff.de iuſti.& iure.ita ait. Ius ciuile eſt,quod neq; in totum à naturali iure vel gentium recedit, neq; per omnia ei ſeruit. Itaq; cùm aliquid addimus vel detrahimus iuri communi,ius proprium, id eſt,ciuile efficimus. Hæc ille. In quibus verbis ius commune, ad oſtendendam vocum idem ſignificantium varietatem, poſuit pro iure naturali: & merito, quoniam (vt ex teſtimonio Ariſtotelis ſuprà citato conſtat) ius naturale eſt idem apud omnes. Si quis igitur illam legis definitionem de omni lege intelligendam eſſe contenderit, tunc dicet omnem legem inſitam eſſe in natura, quia radix prima, hoc eſt,lex naturæ, à qua (vt diximus) omnis lex deriuatur, eſt inſita in natura. Et hanc fuiſſe Ciceronis mentem illo loco, coniici poteſt ex alia definitione legis,quam ille tertio libro de legibus, reddit his verbis. Lex eſt iuſtorum iniuſtorúmq; diſtinctio, ad illam antiquiſsimam & rerum omnium principem expreſſa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ ſupplicio improbos afficiunt, & defendunt,& tuentur bonos. Quam definitionem de ſola lege naturæ datam eſſe conſtat, & ad hanc leges hominum dirigendas eſſe dicit. Sed hæc definitio etiam ſi de ſola lege *Cicero.*
B naturæ intelligatur,nulli eam benè cōſideranti placere vndiq; poteſt. Non enim exprimit ipſius legis eſſentiam, ſed ſolùm indicat quendam legis effectum, qui eſt diſtinguere iuſtos ab iniuſtis: ita vt iuſtus dicatur,qui legibus paret,iniuſtus verò, qui contra legū præcepta operatur. His igitur Ciceronis definitionibus relictis,ad alias legis definitiones inueſtigandas, accedamus. Aliæ legis definitiones dantur à variis Iuriſconſultis in libro primo digeſtorum ſiue Pandectarum,titulo de legibus:quas omnes ſingulatim ſuo ordine examinare decreui,& experiri,an aliquam illarum probare poſsim, & pro vera legis definitione illam amplecti. Papinianus Iuriſconſultus legem his verbis definit. Lex eſt commune præceptum virorum prudentum conſultū:delictorum,quæ ſpōte vel ignorantia contrahuntur,cohertio:communis reipublicæ ſponſio. Quam definitionem (vt ingenuè fatear)ego nequaquam probare poſſum. Quia multa illi deſunt, quæ ad bonam definitionem exiguntur. Primò quidem non conuenit omni legi, quod erat ſummè neceſſarium, vt bona eſſet legis definitio. Nam ſi hac voce, præceptum, vtitur ille vt ſignificat aliquid diſtinctum à prohibitione, conſtat definitionem illam non *Papinia.*

conuenire illis legibus, quibus nihil fieri præcipitur, ſed ſola vitia interdicuntur. Si verò præcepti nomine intelligit Papinianus (vt illic Accurſius annotauit) omnes legis effectus, qui infra.l. legis virtus, eodem titulo explicantur, adhuc ſunt alia, quæ definitionem illam vitiatam eſſe apertè oſtendunt. Primò quidem conſtat aliquas eſſe leges, vt puta illæ, quæ particularibus perſonis dantur, quas conſtat non eſſe commune præceptum, id eſt (vt Accurſius illic exponit & declarat) toti vniuerſitati factum. Et certè hoc argumēto victus Accurſius, fatetur illam nō eſſe legis definitionem, propterea quòd non omni legi conuenit, ſed cenſet appellandam eſſe deſcriptionem. Qua in re apertè hallucinatus eſt Accurſius, putans non eſſe neceſſarium, vt deſcriptio conueniat omnibus, quæ continentur ſub eo, quod deſcribitur, ſicut definitio omnibus, quæ continentur ſub definito. Definitio enim & deſcriptio (vel vt recentiorum Dialecticorum more loquar) definitio quiditatiua & definitio deſcriptiua non differunt per hoc, quòd vna conuenit omnibus contentis ſub definito, alia verò non omnibus, ſed aliquibus. Nam vtramque illarum oportet eſſe æqualem ei, quod definitur aut deſcribitur: ita vt nec excedat illud, nec excedatur ab illo. Per hoc autem ſolùm ſeparatur vna ab altera, quòd definitio explicat rei ſubſtantiam vel quiditatem: deſcriptio verò ſola rei accidentia manifeſtat. Talis eſt illa legis deſcriptio data ab Iſidoro, quæ citatur à Gratiano in capi. Erit autem lex. diſtinctio.iiij. Nam ea, quæ illic referuntur, ferè omnia ſunt legis accidentia, & ob hanc cauſam verius illa dicetur legis deſcriptio, quàm definitio. Cùm igitur illa legis explicatio, quam reddit Papinianus, non conuenit omni legi, conuincitur inde, illam nec definitionem, nec deſcriptionem dicendam eſſe. Sed eſt adhuc aliud, quod multo apertiùs vitiat illam definitionem vel deſcriptionem. Nam poſtea additur in illa, quod ſit delictorum, quæ ſponte vel per ignorantiam contrahuntur coërtio. Quæ verba ſoli prohibitioni, & non omni, ſed illi, qui pœnam tranſgreſſori minatur, conueniunt. Quoniam nuda delicti prohibitio, niſi adiungatur pœna, quæ malè cupientes deterreat, nunquam illos à perpetratione delicti coërcebit. Fit itaq; neceſſariò, vt his verbis in definitione aut deſcriptione legis adiunctis, definitio illa non poſsit alicui alteri præter legem, quæ pœnam minatur, conue

A conuenire. Et inde apertiſsimè conuincitur, illam neq; eſſe bonam legis definitionem,neq; bonam deſcriptionem.

Pergamus igitur vltrà,& alias duas legis definitiones,quæ ſub Martiani nomine in eodē Digeſtorū titulo collocantur, diſcutiamus,an fortè illæ meliores ſint. Martianus ſiquidem authoritati Demoſthenis illuſtriſsimi oratoris, & Chryſippi Stoicæ ſectæ philoſophi innixus, duas reddit legis definitiones. Prima,quæ ex Demoſtheni in oratione prima in Ariſtogitonem ſumpta eſt,ſic ait.Lex eſt,cui omnes homines decet obedire. Quæ legis explicatio adeò in multis deficit, vt nec definitio nec deſcriptio dici mereatur. Imprimis ſiquidē illa non explicat ipſius legis ſubſtantiam,ſed id ſolùm,quod conuenit illis, quibus lex datur. Nam obedire legi, illis cōuenit, ad quos lex data eſt. Deinde,definitio illa non omni,ſed ſoli legi diuinæ & naturali cōuenit. Nam aliis legibus,quæ purè humanæ ſunt, & iuxta variam cuiuſq; patriæ conditionē variantur,non omnes obedire decet. Non enim omnes eaſdem habent inclinationes,neq; omnes ad eadē vitia ſunt proni:& ideo non decet eaſdem leges omnibus dari. Variæ etiam ſunt diuerſarum nationum conſuetudines,variiq; mores:in veſti- B mentorum materia,in ciborū delectu, in domorū & aliorum ædificiorum cōſtructione,in domorum ornatu,in nuptiarum ritibus & cæremoniis,in accuſationibus inferendis, in defenſionibus accuſatorum, in litibus terminandis & definiendis. De quibus omnibus,licet variæ nimiúmq; diuerſæ ſint in diuerſis nationibus conſuetudines, fieri poteſt, vt cuiuſq; illarum nationum conſuetudo, conſiderata nationis inclinatione, in multis huiuſmodi rebus laudabilis ſit. Et inde apertè conſequitur, vt non ſit decens,quamlibet illarum nationum legibus alterius obedire: præſertim quum multæ conſuetudines tales ſint, vt ſine ſcandalo & quidem graui tolli non poſsint, vnde euenit vt ſint neceſſariò ſeruandæ. Tales igitur leges, iuxta Demoſthenis definitionem, non eſſent leges dicendæ, propterea quòd illis non omnes, vt modo diximus, obedire decet. Præterea, illa Demoſthenis definitio, quam Martianus laudat, excedit ipſam legem: quoniam alicui præter legem conuenit.. Nam ſi quis eſſet orbis monarcha, illi omnes obedire deceret: ſicut modò ſummo Eccleſiæ præſidi omnes Chriſtianos obedire decet. Ineptè tamen ſupremum Eccleſiæ antiſtitem aut totius orbis monar

Martianus.

Demoſth.

monarcham quis appellaret legem, niſi eo locutionis tropo, C
quo cauſam nomine effectus appellare ſolemus. Sicut enim
Rom. 7. Paulus concupiſcentiā carnis appellauit peccatum, non quòd
illa verè ſit peccatum: ſed quia eſt cauſa vnde peccatum ori-
tur, aut quia eſt peccati originalis effectus. Et ſicut idem
Rom. 8. Paulus alibi dicit. Spiritum ſanctum poſtulare pro nobis ge-
mitibus inenarrabilibus, non quòd ipſe Spiritus ſanctus po-
ſtulare aliquid, aut gemere poſsit, ſed quia eos, quos inhabi-
tat, poſtulare & gemere facit: ita etiam ipſe orbis monarcha
imo & quilibet legiſlator poſſet, iuxta hunc loquendi mo-
dum dici lex: quia eſt legis cauſa & conditor eius. Si autem
hunc loquutionis tropum excludamus, & ſine vlla figura lo-
qui velimus: ipſe legiſlator lex dici non poterit. Nam cauſæ
æquiuocæ, hoc eſt, quæ effectus à ſe ſpecie diſtinctos produ-
cunt, non poſſunt eodem nomine cenſeri, quo cenſentur effe-
ctus earum. Nam ædificator domus & ipſa domus non eo-
dem nomine ſpecifico dicuntur. Ad eundem modum legiſ-
lator non poteſt dici lex, ſicut ea, quæ eſt ædita ab illo. Si ta-
men iuxta Demoſthenis definitionem de legiſlatore iudican-
dum eſt, etiam dicetur ille lex perinde ac illa. Rurſum, etſi
illa Demoſthenis definitio omni & ſoli legi conueniret, ni- D
Ariſtot. mia tamen illius breuitas, iuxta Ariſtotelis doctrinam ſexto
Topicorum libro capit. primo, illam vitiare poteſt. Nam etſi
oporteat definitionem eſſe breuem, vt excludat omnem ver-
borum ſuperfluitatem, non tamen adeò breuem in ſenten-
tia, vt non valeat explicare ſubſtantiam aut proprietates rei,
quæ per illam definitur. Oportet enim definitionem eſſe de-
claratiuam & manifeſtatiuam ipſius, quæ per illam defini-
tur, alioqui ſi rem nullo modo declarat, ſed illam æquè ob-
ſcuram & ignotam relinquit, definitio illius dici non pote-
rit. Quæ tamen nimium breuis eſt ſententia, vix poteſt eſſe
clara, vt optimè quidam dixit. Dum breuis eſſe volo, obſcu-
Ariſtot. rus fio. Ob hanc cauſam Ariſtoteles in 7. Metaphiſicæ textu
commenti. 54. docet, definitionem dari debere per multa no-
mina: quoniam aliàs ſi per vnam vocem daretur, maneret
(vt ille exiſtimat) obſcurum & ignotum, quod definitur. Et
hæc nimia in definitionibus breuitas magis vitioſa eſt in
Rhetoribus quàm in Philoſophis aut Dialecticis. Nam etſi
Rhetoribus aliqui alii definitionis defectus ſint aliquando
condonandi, vitium tamen breuitatis nunquam eſt illis in-
dulgend

A dulgendum. Nam Ariſtoteles in primo libro Rhetoricorum ad Theodectem cap. iij. in fine de Rhetorum definitionibus differens, hæc ait. Oportet autem definitiones has ſufficientes putare, ſi ita ſe habent, vt de vnoquoque neque obſcuræ ſint neque exactæ. Hæc ille. Ex quibus conuincitur, vt licet alios definitionis defectus Demoſtheni condonare velimus, nimiæ tamen breuitatis & obſcuritatis vitiũ illi veluti Rhetori eminentiſsimo non ſit dimittendum. In gratiam tamen Demoſthenis ego illum tueri cupiens, illius verba aliter quàm Martianus Iuriſconſultus interpretanda eſſe cenſeo. *Ariſtot.*

Non enim credo Demoſthenem illis verbis legem definire, vt Martianus de illo putauit: ſed ſolum legis encomium, id eſt, illius laudem expreſsiſſe. Neque enim fieri neceſſe eſt, vt quoties aliquid per hoc verbum, eſt, de alio enuntiatur: ſtatim illa oratio ſit putanda illius rei definitio, etiã ſi multa de illo in illa oratione dicantur, quoniam multæ tales orationes ad ſolam illius rei, de qua ſit ſermo, laudem referuntur, & non ad illius definitionem. Nam huiuſmodi laudibus Oratores & Rhetores ſæpiſsime vtuntur, cùm aliquid perſuadere conantur. Quoniam laus cuiuſque rei hoc habet B proprium, vt audientis animum ad amorem eiuſdem rei excitare valeat. De qua re non eſt opus, vt aliunde exemplum petamus, quod in hac re, de qua loquimur, facilè præſtare poſſumus. Cicero enim in ea oratione, quam pro Aulo Cluentio habuit, volens probare indignum eſſe in ea ciuitate, quæ legibus contineatur, diſcedi à legibus, multas præclaras legis laudes concinnat, ſic inquiens. Hoc enim vinculum eſt huius dignitatis, qua fruimur in republica, hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis, mens, & animus, & conſilium, & ſententia ciuitatis poſita eſt in legibus. Vt corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine lege: ſuis partibus vt neruis ac ſanguine & membris vti non poteſt. Hæc Cicero. Quæ verba nullus niſi rudis & parum intelligens dicet eſſe legis definitionem, ſed ſolum illius encomium, quo multa legum merita explicantur. Nam dicens Cicero legem eſſe vinculum ciuitatis, aut fundamentum libertatis, aut fontem æquitatis, non definiuit legem, ſed eam laudauit, vt vel ſic iudicibus perſuaderet, dignum & iuſtum eſſe leges ab omnibus ſeruari. Idem ego puto Demoſtheni contigiſſe, cùm in illa oratione prima, quæ eſt in Ariſto *Cicero.*

ſto

ſtogitonem, dixit. Lex eſt, cui omnes homines decet obedire, & cætera, quæ ibidem ſubnectuntur. C

Chryſippus. Aliam definitionem citat eodem loco Martianus Iuriſconſultus ex Chryſippo Stoicæ ſectæ philoſopho, his verbis. Lex eſt omnium diuinarum humanarúmq; rerum notitia. Quam definitionē Accurſius ſic intelligendam putat, quòd in ſcientia iuris ciuilis tractatur tam de rebus diuinis quàm humanis. Nam illic (vt ait) tractatur de myſterio trinitatis, & de ſacro ſanctis eccleſiis, & de epiſcopis, & de monachis, & de rebus aliis humanis. Atque ideo putat Chryſippum dixiſſe, legem eſſe omnium diuinarum & humanarum rerum notitiam. Tanquam ſi Chryſippus, qui per multos annos Romanorum Imperium præceſsit, de Codice aut libris Digeſtorum à Iuſtiniano Imperatore æditis, loqueretur. Nam ſi de illis loquebatur, vera non eſſent, quæ ille dicit. Quoniam etſi in libris Iuris ciuilis aliqua de diuinis tradantur, non tamen omnia diuina illic traduntur, ſed paucißima. At Chryſippus dicit legem eſſe non ſolùm aliquarum, ſed omnium diuinarum & humanarum rerum notitiam. Deinde, falſum eſt illam rerum notitiam eſſe legem. Non enim tunc ipſa lex condita eſſe putatur, quando legiſlator agnoſcit aliquid expedire reipublicæ, ſed quando (vt ſuprà diximus) id faciendum eſſe præcipit. Et inde apertißimè conſequitur, vt ipſa rerum notitia lex dici non poſsit, cùm lex conſiſtat in Imperio voluntatis illius, qui imperare poteſt. Præſupponit tamen lex ipſam rerum notitiam, ſicut actus voluntatis actum intellectus. Rurſum, ſi illa legis definitio à Chryſippo data, vt Accurſius cenſet, eſſet intelligenda, nulli prorſus particulari legi, ſed omnibus legum voluminibus ſimul iunctis, conueniret. Nulla ſiquidem eſt particularis aliqua lex, quæ in ſe contineat omnium diuinarum humanarúmque rerum notitiam, ſed vnaquæque illarum, aut de diuinis, aut de humanis tantum rebus diſponit: & ita oporteret illum fateri, vt (iuxta definitionem legis à Chryſippo datam) nullum particulare cuiuſcunque Imperatoris decretum, ſit lex dicendum. Quapropter, ego illa Chryſippi verba longè aliter quàm Accurſius puto eſſe intelligenda. Ego enim cenſeo, (& credo me in hac parte non falli) per illa verba non dari legis definitionem, ſed exprimi id, quod eſt neceſſarium in legiſlatore, vt iuſtam legem condere poſsit. Oportet D

enim,

A enim, vt omnes leges diuinas optimè intelligat, ne legem condens aliquid ſtatuat, quod alicui legi diuinæ aliqua ex parte repugnet. Nam ſi aliquid contra legem diuinam lex humana præciperet aut prohiberet, lex illa nullius eſſet roboris, nec homines ad illius obſeruationem eſſent aſtricti. Quia (vt beatus Petrus dixit) obedire oportet Deo magis quàm hominibus. *Act. 5.* Oportet etiam, vt omnium legum humanarum, quæ vim & robur retinent, habeat notitiam, ne leges ſibiipſis aduerſentur: & contra ſeipſas pugnent. Oportet denique, vt res omnes humanas, de quibus aliquid ſtatuere debet, optimè intelligat, ne aliquid præcipiat, quod ſit homini impoſsibile, aut illi nimis difficile, aut moribus patriæ minimè conueniens. Quum igitur Chryſippus ait, legem eſſe omnium diuinarum humanarúmque rerum notitiam, ego illa verba non per identitatem, ſed per cauſalitatem intelligenda eſſe puto, ita vt illorum verborum talis ſit ſenſus. Lex oritur ſiue procedit ex notitia omnium diuinarum humanarúmque rerum, quæ ſcilicet ſunt homini neceſſariæ. Cætera autem, quæ in verbis Chryſippi adduntur, varios legis effectus explicant, vt puta, quòd præſtat
B bonis & malis, quòd ſit princeps & dux, quòd ſit regula iuſtorum & iniuſtorum. Omnium ergo illorum verborum Chryſippi, prima pars cauſam legis potiſsimam, quocunque nomine illa cenſeatur, explicat: quæ eſt perfecta rerum notitia, ſine qua nulla lex iuſta ſtatui poteſt: reliquæ verò omnes partes, ſolos legis effectus exprimunt. Nam quòd rerum diuinarum notitia ſit legiſlatori ſummè neceſſaria, vt iuſtam legem condere poſsit, vel ex hoc apertè conuincitur, quòd aliquæ ſunt leges iniuſtæ & peſsimæ, à Romanis Imperatoribus æditæ, ob ſolam ignorãtiam legis diuinæ, quam ſi bene (vt oportebat) intellexiſſent, nunquam tales leges condidiſſent. Omitto eas leges, quas Imperatores idolatræ, & Deum verum prorſus ignorantes, condiderunt. De illis, quæ à Chriſtiano & verè Catholico Imperatore conditæ ſunt, vnam & alteram in teſtimonium proferam, vt ex illis verum eſſe quod dicimus, apertiſsimè conſtare poſsit. Imperator Iuſtinianus, quem omnes Catholicum fuiſſe referunt, in Authent. de nuptiis. §. diſtrahuntur. collat. iiij. ſtatuit, matrimonia per copulam carnalem conſummata, poſſe diſſolui ad alterius partis arbitrium per ingreſſum religionis. *Iuſtin. Imper.*

nis. Hæc autem lex quàm iniqua ſit, apertè docet beatus Gregorius in quadam epiſtola ad Theotiſtam Patritiam, cuius verba citantur à Gratiano in cap. Sunt qui. xxvij. quæſt. ij. & idem docet Alexander tertius in cap. ex publico. extra de conuerſione coniugatorum. Idem Iuſtinianus Imperator, in Authen. vt ſponſalitia largitas. §. rurſus. coll. ix. ſtatuit, malæ ſidei poſſeſſorem contra verum alicuius rei dominum præſcribere poſſe, poſt ſpacium decem annorum inter præſentes, & viginti inter abſentes, ſi dominus rei, ſciens rem ſibi competere, noluerit rei poſſeſſorem infra illud tempus conteſtari. Hanc tamen legem, quia iniuſta erat & legi diuinæ contraria, ius canonicum ſæpe irritam fecit: vt patet in cap. Vigilanti. & in cap. Quoniam extra, de præſcriptio. & in regula Poſſeſſor. de regulis iuris in ſexto. Si Iuſtinianus Imperator, aut quos ille ad has leges condendas conſuluit, perfectam habuiſſent legis diuinæ notitiam, nunquam ille tales leges ſtatuiſſet, quæ apertè ſunt legi diuinæ repugnantes. Et huic noſtræ ſententiæ fauet gloſſa in cap. Lege Imperatorum. diſtinct. x. quærens quomodo Iuſtinianus Imperator, qui verè Catholicus fuit, talem legem de diſſolutione matrimonij cauſa religionis, fuit auſus condere, cùm tam apertè repugnet legi diuinæ: reſpondet illum per ignorantiam legis diuinæ talem legem ſtatuiſſe. Ob hanc igitur cauſam rectè Chryſippus dixit, legem eſſe diuinarum humanarúmque rerum ſcientiam: quia illarum omnium rerum notitiam habere, & illas omnes reſpicere oportet, qui iuſtam legem condere debet, prout ipſa ſapientia, teſte Salomone, clamat, dicens. Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt.

C (margin) · D (margin) · *Prouer. 8* (margin)

Quid ſit pœna, & quid ſit etiam lex pœnalis.

CAPVT III.

VT omnia, quæ ad legis pœnalis perfectam definitionem habendam, à principio diximus eſſe neceſſaria, compleamus: supereſt declarandum quid ſit pœna, & inde apertè conſtare poterit, quid ſit lex pœnalis. Pœna eſt paſsio inferens nocumentum illam ſuſtinenti, aut ſaltem apta ad inferendum, niſi aliunde impediatur, inflicta aut contracta propter

prop

A proprium peccatum præteritum. Dixi pœnam eſſe paſſionem & non actionem: quia licet multi in actionibus aut operationibus ſuis pœnam ſentiant, vt puta ſcribendo, aut pingendo, aut terram fodiendo, aut ligna ſcindendo, aut aliud quoduis ſimile faciendo: non tamen ea ratione, qua agunt, pœnam ſentiunt, ſed qua patiuntur. Omne enim agens (vt Ariſtoteles ait) in agendo repatitur. Et ex hac repaſſione, quam ſuſtinet agens ab illo in quod agit, euenit, vt ex longa & continua actione vires illi decreſcant, ac paulatim minuantur. Suſtinet igitur homo pœnam in multis ſuis actionibus, non quia agit: ſed quia in operatione ſua laſſatur & fatigatur. Calamus enim & penniculus, & quoduis aliud paruum inſtrumentum, aliquantulum reſiſtit manui motoris: & ex hac qualibet parua reſiſtentia oritur, vt manus tandem laſſetur in continuo & longo motu talis inſtrumenti, & ſic pœnam ſentiat in motu. Et ſi nihil aliud quàm ſeipſam moueret manus, nihilominus fatigaretur in motu: tum propter grauitatem manus reſiſtentem poten- *Ariſtot.*

B tiæ motiuæ: tum etiam quia ex longo motu ſpiritus animales minuuntur, quibus diminutis, neceſſe eſt motoris vires debiliores effici, & ſic tandem laſſari & pœnam ſentire. Cùm igitur homo aliquid agens, non ob eam rationem pœnam ſentiat, quia agit, ſed quia agendo repatitur: meritò diximus pœnam eſſe paſſionem. Aliquando autem actio aut ipſum agens dici ſolet pœna: vt puta, quum dicimus ignem inferni, aut vermes, aut fœtorem eſſe pœnam damnatorum. Hoc tamen ea loquutionis figura dicimus, qua cauſam pro effectu nominare ſolemus, hoc eſt, per ſynedochen. Hæc enim omnia, quæ nunc proximè recenſuimus, pœnæ dicuntur: non quia ſint, ſed quia pœnas cauſant in ipſis damnatis. De hoc tamen admonere decreui lectorem, vt non putet pœnam ſemper eſſe paſſionem, prout de paſſione tractant Phyſici aut Logici. Hi enim illam ſolam dicunt paſſionem, quæ opponitur actioni, & illam reſpicit tanquam ſuum correlatiuum: prout eſt calefieri aut calere, cuius oppoſitum correlatiuum eſt calefacere: & frigeſcere, cuius oppoſitum eſt frigefacere, & multa alia ſimilia. Eſt adhuc aliud paſſionis genus, iuxta Grammaticorum regulam, qui paſſionem dicunt omne, quod verbo paſſiuo nominatur. Et iuxta hoc paſſionis genus, dicimus videri, & audiri,

& tangi,eſſe paſsiones:quanuis nec res viſa,nec audita, nec C tacta,aliquid recipiat à vidente, aut audiente, aut tangente. Iuxta hunc etiam modum dicimus,rerum priuationes eſſe quaſdam paſsiones,quamuis talis priuatio per nullam actionem ſit inducta,imò potius per defectum actionis. Nam aliquem priuari re aliqua, vt puta diuitiis,ſanitate, parentibus, filiis,honore, dignitate, officio, beneficio, paſsiuo verbo deſignatur. Cùm ergo dicimus pœnam eſſe paſsionem (vt optimè beatus Thomas docet)nō eſt ſumendum paſsionis nomen prout ſoli Phyſici aut Logici illo vtuntur, ſed etiam iuxta Grāmaticorum conſuetudinem. Quoniam (vt ex ſequentibus clarè patebit) ſola rei alicuius priuatio, abſque aliqua actione eſſe poteſt pœna. De qua re (vt alia multa exempla omittam) perpetua beatitudinis priuatio, quæ maxima eſt damnatorum pœna,apertiſsimum reddit teſtimonium. Hæc enim pœna nihil reale eſt in ipſo damnato,neque per aliquā actionem diuinam,ſed per ſolam carentiam voluntatis diuinæ poteſt inferri: quia Deo non volente reddere damnato beatitudinem,neceſſe eſt illum perpetuò beatitudine carere. D Illam ergo perpetuam beatitudinis priuationem, ſicut dicimus eſſe pœnam,ita etiam dicimus eſſe paſsionem: quia verbo paſsiuo expreſſam. Nam qui illam ſuſtinet, priuatus eſſe dicitur beatitudine,quam vehementer deſiderat. Et idem dicendum eſt de mulcta pecuniarum,de infamia, de priuatione officij aut beneficij: quia hæ omnes, ſicut pœnæ meritò dicuntur,ita etiam paſsiones dicendæ ſunt,prout nunc de paſſionibus loquimur. Additum eſt deinde in definitione pœnæ,quod inferat nocumentum illam ſuſtinenti, aut ſaltem ſit ex ſe apta ad inferēdum. Non enim omnes paſsiones (etiā ſi Phiſicorum aut Dialecticorum more eas appellemus) nocet illas toleranti,neque etiam omnes ex ſe aptæ ſunt ad nocēdum:ſed multę ex illis potius proſunt ſuſtinenti, & delectationem quandam atque voluptatem inferunt illi. Variant ſiquidem paſsiones per concordiam aut diſcordiam agentis cum patiente. Nam ſi agens conuenit patienti,cauſat coniunctione aut actione ſua delectationem in illo: vt ſi cibus dulcis & ſuauis contingat linguam, aut aliquid leue & blandum attingat carnem. Hinc Auicenna 8.Methaphiſi.cap vltimo dicit delectationem eſſe coniunctionem conuenientis cum conuenienti. Quæ definitio (vt Dialecticorum more

S. Tho. in 4.ſent.diſtin.xxxv.q.j. ad 4.

Auicēna

A re loquar) cauſalis eſt, & non identica. Non enim explicat quid ſit delectatio, ſed vnde cauſetur. Nam cauſatur illa ex coniunctione duorum inter ſe conuenientium. Si agens non conuenit patienti, tunc non ſolùm non proderit illi, ſed potius nocebit: nec delectatione confert, ſed dolorē & afflictionem: veluti ſi ferrum aut lapis contingat pupillam oculi, aut ſi tribuli, aut vrticæ tangant reliquas corporis partes nudas. Tales enim paſsiones, quæ ab huiuſmodi agentibus cauſantur, pœnę dicendæ ſunt, quia nocent patienti. Nocumentū autem, quod ab huiuſmodi paſsionibus prouenire poteſt, duplex eſſe contingit, ſicut duplex etiam eſſe poteſt cōmodum, quod per tale nocumentum tollitur. Nocere ſiquidem priuationem actiuam, dicit potiùs quàm poſitionem. Nocere itaque eſt, aliquo commodo priuare: & nocere dici verè non poteſt, qui nullum commodum tollit. Quo ergo maius eſt commodum, quod ab aliquo tollitur: eo maius eſt nocumentum, quod illi infertur: & per conſequens, maior eſt pœna, quam ille ſuſtinet. Commodum autem duplex eſſe poteſt: alterum, quod eſt in perſona illa, cui infertur, & non extra illam, vt ſunt bona ſpiritualia, videlicet ſcientia, rerum præteritarum
B memoria, gratia diuina, & virtutes omnes morales. Bona etiā, quæ corpori ſunt inſita, vt eſt vita, ſalus, bona complexio, membrorum integritas, corporis agilitas, robur, quies, ſomnus, & reliqua his ſimilia ſunt cōmoda, perſonæ inhærentia. Nocumentum, per quod homo aliquo iſtorum commodorum priuaretur, diceretur nocumentum perſonæ: quia per illud priuatur homo iis rebus, quæ ſunt ſibi coniunctæ. Alterum eſt commodum extrinſecum, & eſt omnis res quæ extra ipſum hominem exiſtens, illum quodāmodo iuuare poteſt, & aliquam illi conferre vtilitatem. Talia ſunt, diuitiæ corporales, honores, dignitates, officia, beneficia, parētes, vxores, filij, conſanguinei, affines, amici, & ſi quę ſunt alia his ſimilia. Nam quodlibet horum poteſt homini (vt conſtat) aliquo modo prodeſſe. Quicquid igitur hominem aliquo torum, ſiue in toto, ſiue in parte priuare illi nocere diceretur: & pœnam inferre. Illa igitur paſsio, quæ altero iſto-iſtorum modorum nocuerit illam ſuſtinēti, videlicet in perſona propria, aut in rebus externis illam concernentibus, pœna dicetur illi, cui nocet. Ex his omnibus ſequitur, aliquid eſſe pœnam, adhibitum vni, quod non eſt pœna al-

teri: quia quod vni nocet altero iſtorum modorum, alteri eodem modo non nocet. Et primò quidem, de nocumento perſonæ, præſertim de illo, quod corpori infertur facilè conſtare poterit, ſi aduertamus aliquid eſſe vni valdè conueniens, quod alteri minimè conuenit, propter diuerſam huius & illius cõplexionem, aut variam corporis diſpoſitionem. Nam calida nocet colericis, quæ tamen valdè conferunt flegmaticis: frigida è contrario & nimium humida, nocent flegmaticis, & ſæpe proſunt colericis. Sanus corpore & eſuriens, comedendo cibum bonum natura ſuauem, delectatur: æger tamen corpore, & faſtidiens eundẽ, ſi illũ comederet, pœnã ſentiret. Poteſt etiã talis varietas prouenire ex vario habitu, & ex diuerſa vtriuſq; cõſuetudine: quia videlicet circa cõtraria ſunt aſſuefacti. Nam aſſuefactus ad ieiunandum, nullam ſentit pœnam ieiunans: aſſuetus vigiliis & orationi, ſæpe ex ipſa vigilia & oratione delectationem capit, tantum abeſt vt pœnam ſentiat. Non tamen ob hoc, aut ieiunium, aut vigilia, aut oratio, deſinet dici opus pœnale. Quia licet huiuſmodi rebus aſſueti, ex illis non fatigentur, neque alio quouis modo ab illis lædantur: hoc non prouenit ex natura illarum rerum; quia videlicet illæ non ſint ex ſua natura potentes inferre laborem, aut aliquod aliud nocumentum: ſed eſt ex conſuetudine illorũ, qui talibus rebus ſunt aſſueti. Conſuetudo enim ſæpe mutat res in alteram naturam. Conſtat autem, quòd ieiunium ieiunanti, & vigilia vigilanti, & oratio oranti, apta ſunt ex ſuis naturis præbere aliquam offenſionem, aut aliquod corporis nocumentum, & inde ſequitur, vt quodlibet eorum ſit pœna dicendum abſolutè. Nam cùm rerum eſſentias explicamus, & cùm proprias illarum definitiones reddimus, non conſideramus ea, quæ extra res illas ſunt, & quæ ſunt illis aduentitia, ſed quæ ſunt illis intrinſeca: nec conſideramus quid circa vnum aut alterum efficere valeant, ſed quid ex ſuis naturis præſtare conētur. Ad iſtum modum etiam cenſet doctor ſubtilis Scotus intelligendum eſſe nomen difficultatis, quæ poni ſolet tanquam commune omnium virtutum obiectum, cùm dicitur virtutem eſſe circa difficile. Vt enim opus aliquod dici mereatur opus virtutis, non eſt neceſſarium, vt huic aut illi operãti ſit difficile. Quia licet ipſe operãs nullam prorſus, quum illud agit, ſentiat difficultatem: ſatis tamen eſt, quòd opus ipſum ex ſua natura habeat

Sco. in iiij. ſenten. q. vlt. ad 2.

A habeat aliquam difficultatem. Licet enim aſſueto ieiuniis non ſit difficile ieiunare, ipſum tamen ieiunium ex ſua natura aliquam habet difficultatem. Inter alias habitus proprietates hæc vna eſt, quòd præbet operanti facilitatem & delectationem: nec tamen per hoc impedire valet quin opus ipſum, ex habitu & conſuetudine factum, dici valeat difficile, aut pœnale abſolutè. Sunt adhuc aliæ duæ cauſæ, videlicet, amor, & odium aut contemptus, quæ impedire valent, vt res, quæ ex natura ſua affligere aut lædere poſſunt, non affligant neque lædant. Nam amor illius, propter quem triſtabilia tolerantur, facit illa ſuauia & facilia. Amanti ſiquidem nihil eſt difficile. Et de ſuauitate teſtatur Iob, qui ait. Animæ eſurienti etiam amara dulcia eſſe videntur. Similiter, qui aliquid prorſus contemnit, ex illius amiſsione nequaquam affligitur, nec vllam pœnam ſentit. Quocunque igitur modo, ſiue hoc aut illo impediatur res, quæ ex ſua natura erat apta offendere aut nocere, ne offendat aut noceat: res tamen illa ſemper dicetur pœnalis, & illius paſsio dicetur pœna. Quia (vt diximus) non eſt conſiderandum, quid circa vnum aut alterum res efficiat, ſed quid ex ſe, ſi non impediretur, præſta- *Iob 6.*
B re valeret. Quo fit, vt res, quæ ex ſe non eſt apta offendere aut nocere, ſi aliquem fortè offendat aut alicui noceat, non ſit abſolutè dicenda pœna, dicetur tamen pœna cum reſtrictione, videlicet pœna huic aut illi. Talis eſt cibus ſuauis & ſanus, qui ægrum faſtidientem offendit: quia hic licet poſsit dici pœnalis illi ægro, non tamen eſt dignus vt abſolutè dicatur pœnalis, aut illius manducatio dicatur pœna. Duobus itaque modis aliquid poteſt dici pœna, & opus aliquod dici pœnale: videlicet abſolutè, & cum reſtrictione, hoc eſt, aut quia res ipſa ex ſua natura apta eſt ad offendendum & nocendum: aut quia, licet illa ex ſe non poſsit, is tamen, qui illam ſuſtinet propter ſuam proprietatem, ab illa offenditur & læditur. Et propter hanc cauſam, in definitione pœnæ vtrunque iſtorum modorum poſui ſub diſtinctione, dicens pœnam eſſe paſsionem, quæ noceat ſuſtinenti illam, aut ſaltem ex ſua natura ſit apta nocere. Et inde ſequitur, vt quocunque iſtorum modorum res ſit pœnalis, poſsit iuſtè in ſacramentali pœnitentia dari pro ſatisfactione peccatorum, & à iudice dari in punitionem delicti. Nam quamuis aliquis ex nimia conſuetudine ieiunandi nullam prorſus fatigationem

patiatur ex ieiunio, poteſt tamen ſacerdos illi ieiunium C
in ſacramentali pœnitentia iniungere, pro ſatisfactione ſuorum delictorum: etſi pœnitens ille poſt talem impoſitionem ieiunet, ſatisfaciet per illud iuxta illius valorem, Deo pro ſuis peccatis. Ieiunium ſiquidem ex ſua natura res eſt laborioſa & pœnalis, per quam peccatores pro ſuis delictis Deo ſatisfacere ſolent. Non eſt autem rationi conſentaneum, vt diuturno & longo ieiunio aſſuetus, priuetur hac indulgentia, vt videlicet deinceps ieiunans, iam non poſsit pro ſuis pecatis Deo ſatisfacere: quia iam nullum ieiunando ſentit laborem. Idem etiam dicendum cenſeo in pœnis, quæ à iure aut iudice pro diuerſis criminibus infliguntur. Si quis enim crimen aliquod, cui à iure eſt aliqua certa pœna decreta, commiſiſſet, quamuis ille criminis patrator nullam ex tolerantia illius pœnæ ſentiret afflictionem, non propter hoc eſſet alia infligenda pœna, niſi illa, quæ eſſet à iure inſtituta. Si etiam nulla eſſet à iure tali crimini pœna aſsignata, ſed ex arbitrio iudicis penderet pœna, qua tale crimen deberet puniri, poſſet iudex quacunque re, quæ ex natura eſſet offenſiua & nociua, delinquentem iuſtè punire, quamuis ille nullam prorſus afflictionem ex illa ſentiret. Et hoc idem D
dicendum puto de re illa, quæ ex natura ſua non eſt offenſiua aut nociua, ſed propter propriam alicuius corporis diſpoſitionem, aut propter proprium alicuius animi ingenium, nocet alicui particulari, quæ alteri non eſſet apta nocere. Nam huiuſmodi res poſſet iuſtè in pœnitentia ſacramentali pro peccatorum ſatisfactione infligi illi, qui ab ea offenditur & per illam affligitur. Si quis ob aliquam quamlibet cauſam cibum alioqui ſanum & natura ſuauem faſtidiret, & vehementer horreret, non dubito quin poſsit huic tali ſacerdos in ſacramentali pœnitentia iuſtè præcipere, vt talem cibum comederet pro ſuorum ſatisfactione peccatorum. Et ipſemet pœnitens abſque vllo ſacerdotis præcepto poſſet talem cibum ſanum & ſuauem, quem acriter abominatur, velle comedere, vt per illum laborem, quem comedendo ſuſtinet, Deo pro ſuis peccatis ſatisfaciat.

Vltimò, additum eſt in definitione pœnæ per me ſuperius data, quòd ſit contracta vel inflicta propter peccatum præteritum. In quibus verbis multa ſunt, quæ admonitione indigent. Primò quidem admonere oportet duplicem eſſe pœ-

nam

A nam, alteram contractam, & alteram inflictam. Pœna contracta eſt illa, quæ ſine noua aliqua alterius actione ſtatim oritur ex peccato, prout eſt fomes concupiſcentiæ, & priuatio gratiæ, remorſus conſcientiæ. Et talem eſſe meritò dicendam pœnam, docet beatus Bonauentura in primo ſent. diſtin, xl. arti. iij. q. j. quo loco ipſe hanc pœnã appellat pœnam contractam. Sanctus autem Thomas in ij. ſenten. diſtin. xxvij. q. j. quamuis dicat remorſum conſcientiæ eſſe meritò dicendum pœnam, non tamen illum appellat pœnam contractam, ſed pœnam concomitantem, propterea quòd ſemper concomitatur ipſam culpam, prout Auguſtinus libro primo confeſsionum teſtatur, ſic inquiens. Iuſsiſti domine, & ita eſt, vt omnis inordinatus animus ſit ſibi pœna. Pœna inflicta eſt, quæ non ſemper oritur neceſſariò ex peccato, neque illud concomitatur, ſed poſtea infligitur aut à Deo, aut ab homine iudice. Illa verò, quam homo ſibiipſi ex arbitrio ſuo infligit, etiam ſi illam pro peccatis ſuis ſumat, non eſt propriè dicenda pœna. Quia (vt ſanctus Thomas ait) de ratione pœnę eſt, quod ſit contraria voluntati. Deinde aduertendum eſt, quòd non omnis paſsio quamlibet offenſiua ſiue concomi-

S. Bonauentura. *S. Tho.* *Auguſti.* *Tho. 1. 2. q. 46. artic. 6.*

B tans, ſiue inflicta, eſt dicenda pœna, niſi illa habeat aliquem ordinem ad peccatum, vtputa, quod per illam quodammodo puniatur peccatum. Ideo Ioannes Gerſon lectione prima de vita ſpirituali animæ, dicit pœnam & culpam dici correlatiuè: & idem dicit de punitione & culpa. Propter quod afflictiones, quas iuſti in hac vita ſæpe ſine culpa præcedente tolerant, non eſſe dicendas pœnas docet Auguſti. lib. iiij. de ciuitate Dei. cap. iij. ſic inquiens. Nam iuſtis quicquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non eſt pœna criminis, ſed virtutis examen. Hæc ille. Pœnæ enim propriè conuenit ordinare culpam, vt videlicet corrigat ordinem, quem peruerterat culpa. Nam omne peccatum eſt actus inordinatus, & omnis peccans cõtra aliquem ordinem agit, & ideo oportet, vt ad eundem ordinem per pœnam redigatur, quem peccando deſeruerat. Et hinc eſt, quod à tribus (vt beatus Thomas ait) homo iuſte puniri poteſt, quia à triplici ſubiectione peccans receſsit. Subditur quidem homo ordini propriæ rationis, deinde ſubditur ordini exterioris hominis gubernantis vel ſpiritualiter, vel corporaliter, politice, aut œconomicè: vltimo ſubditur ordini diuinæ & ſupremæ gubernationis.

Gerſon. *Auguſti.* *Tho. 1. 2. q. 87. ar. 1*

Contingit autem vt peccans hos tres ordines peruertat, agens C
contra rationem naturalem, & contra legem humanam, &
contra legem diuinam. Oportet igitur, vt qui talis eſt, triplicem pœnam ſuſcipiat, per quam ad ordinem, quem peruerterat redigatur. Punitur quidem homo à ſeipſo per remorſum conſcientiæ, deinde ab homine per varia nocumenta: & poſtremò à Deo. Et ſic punitus redigitur in ordinem, quia illi, à quo pœnam patitur, vel inuitus ſubditur, cui ſubiici noluit peccando. Ex iſtis ſequitur aliqua eſſe, quæ etſi vulgariter & ex communi vſu pœnæ dicantur, tamen iuxta veram & propriam vocis ſignificationem, pœnæ verè dici non poſſunt: quia propter nullam præteritam culpam inflictæ. Nam irregularitas, quam iudex patitur ex iuſta ſanguinis ſententia contra alium per eum lata, aut quam incurrit is, qui ſecundam, poſt mortem prioris, duxit vxorem, aut quam ſuſtinet is, qui contraxit cum ea, quam putauit eſſe virginem, quæ tamen non erat, pœna ab omnibus nominatur, ob hoc ſolùm, quia irregularitas eſt. Sed licet aliæ irregularitates, quæ ob culpas aliquas præcedentes infligun-tur, pœnæ meritò dici poſsint: hæ tamen, quas nunc proximè expreſsimus, iuxta legitimam vocis ſignificationem D
pœnæ dicendæ non ſunt: quia propter nullam præcedentem culpam ſuſtinentur. Alioqui etiam oporteret dicere, pœnam eſſe omnem inhabilitatem aut indignitatem ad officium aliquod ſuſcipiendum & adminiſtrandum. Et ita diceremus, pœnam eſſe pueritiam, literarum ignorantiam, cæcitatem, digitorum priuationem, quoniam per hæc omnia quis efficitur indignus ſacerdotio, & inhabilis ad multa alia miniſteria exercenda. Licet enim hæc omnia pœnæ dicantur, quia nocent eis, qui illa patiuntur, non ſunt tamen pœnæ dicendæ, vt nunc loquimur de pœna: quia non ſunt propter culpam inflictæ: quod tamen iuxta doctrinam beati Thomæ & beati Bonauenturæ eſt ſummè neceſſarium, vt pœnæ meritò dici poſsint. Hoc enim apertè docet
Auguſti. Auguſtinus libro primo retractionum, capitulo nono, ſic inquiens. Omnis pœna ſi iuſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur. Hæc ille. Ex his ſequitur apertè, aliquid eſſe pœnam dicendum ad vnam perſonam relatum, quod ſi ad perſonam, cui etiam nocet, referatur, non erit pœna dicendum. Nam interdictum, per quod perſonæ laicæ ab

A ab Eccleſia excluduntur, ne interſint celebrationi miſſarum, aut aliis diuinis officiis, ſi ad perſonam illam referas, propter cuius culpam locus eſt interdictus, pœna dicetur, & erit. Si verò illud referas ad reliquas perſonas, quæ nullam prorſus cauſam interdicto dederunt, afflictio fortè dicetur, aut alio quouis nomine cenſebitur: pœna tamen verè dici non poterit prout nunc loquimur de pœna, quæ videlicet habet ordinem & reſpectum ad culpam. Idem prorſus dicendum eſt de pœnis, quas filiis Catholicis propter hæreſim patris iura decernunt, quæ ſi ad patris crimen referantur, meritò pœnæ dicentur: ſi verò ad ipſos filios comparentur, pœnæ minimè dici merentur. Sed de hac re oportet adhuc admonere lectorem, vt non putet ſatis eſſe vt pœna meritò dicatur, quod ſit inflicta propter peccatum, ſed opus eſt vt peccatum illud ſit proprium, & ſit iam præteritum. Non eſt enim iuſtum, vt quis pro peccato alterius puniatur. Nam *Exo. 20.* etſi Deus aliquando viſitet (vt ipſemet ait) iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem, ipſa tamen viſitatio aut afflictio, quam filiis impendit, reſpectu filiorum non eſt pœna neq; punitio dicenda: quia non pro illorum

B proprio peccato eſt illis inflicta, ſed in illis huiuſmodi afflictio eſt veluti quædam animę medicina, quoniam prodeſt illis ad bonum animæ ſpirituale, ſi illam patienter tolerent. Reſpectu autem patrum pœna & punitio cenſetur, quia pro illorum peccatis filij torquentur, & ita patres per filiorum ſupplicia puniuntur. De qua re nolo quicquam nunc diſſerere, quia ſatis me dixiſſe memini in illo opere, quod de iuſta hæreticorum punitione ſcripſi, lib. ij. cap. x. Eſt tamen hîc aduertendum, quòd afflictio aliqua pœnalis poteſt bifariam conſiderari, aut in ratione ſatisfactionis, aut in vera ratione pœnæ. Pœna, ſi ea ſola ratione conſideretur, qua eſt ſatisfactoria, non obſtat quin vnus innocens poſsit illam pro alio peccatore ſuſtinere, prout Chriſtus redemptor noſter fecit, qui (vt beatus Petrus ait) peccatum non fecit, nec *1. Pet. 2.* dolus inuentus eſt in ore eius, & tamen peccata omnium noſtrum pertulit in corpore ſuo ſuper lignum. Nam in rebus forenſibus videmus ſæpe aliquem transferre in ſe debitum alterius, & ſe obligari ad ſoluendum debitum quod alter contraxerat. Simile quid fecit Chriſtus, quum paſsionem crucis tolerans, pro nobis omnibus Deo ſatisfacere va-

luit. Iuxta quod ipſe per regium Prophetam ait. Quæ non C
Pſal.68. rapui tunc exoluebam. Si verò pœna conſideretur in ſola ratione pœnæ, hoc eſt, inquantum eſt vindicta & punitio, nunquam infligitur niſi propter culpam propriam, ſiue actualem, ſiue originalem. Nam propter peccatum cuiuſque proprium originale, punitur omnis homo, & anima, & corpore. Punitur quidem homo in anima, quia ſibi relinquitur, deſtitutus auxilio iuſtitiæ originalis: & ab hac pœna liberatur per collationẽ gratiæ diuinæ, quæ illi confertur in baptiſmo. Punitur etiam in corpore per multas calamitates & miſerias, quæ poſt peccatum originale hominem conſequuntur. Et ita fit, vt dolores & cruciatus, quos infantes etiam poſt baptiſmum tolerant, pœnæ meritò dici poſſint, quia pro peccato ſuo quiſq; illorum ea patitur. Nam ab huiuſmodi pœnis nequaquam liberatur homo per baptiſmum, ſed Deus ſapiens & miſericors eas in nobis perſiſtere voluit, vt nobis loco medicinarum ſeruirent, ad ſatisfaciendum pro peccatis præteritis, & reſecandum futura. Quod autem vltimò additum eſt, vt peccatum, pro quo talis pœna infligitur ſit præteritum, ideo dictum eſt, quia ſemper culpa debet præcedere pœnam,
Auguſti. & non ſequi. Nam (vt Auguſtinus ait) non prius Deus eſt vltor quàm aliquis ſit peccator. Non tamen oportet vt ſemper D
culpa præcedat tempore pœnam, ſed ſatis eſt vt præcedat natura. Quod dico propter eas pœnas, quas ſanctus Thomas vocat concomitantes, & ſanctus Bonauentura (vt dixi) vocat contractas, vt ſunt fomes concupiſcentiæ, quæ ſimul tempore eſt cum peccato originali, & remorſus conſcientiæ, qui aliquando ſimul eſt cum ipſo peccato.

Ex his, quæ in hoc capite & duobus aliis præcedentibus diximus, facilè cuique conſtare poterit quid ſit lex pœnalis. Lex pœnalis eſt lex, quæ ſtatuit pœnam alicui infligi propter culpam commiſſam. Neque, vt ego opinor, eſt neceſſarium, quod ſtatuat pœnam infligi propter culpam propriam, prout nunc proximè diximus de pœna. Satis enim mihi eſſe videtur, quòd pœna, quæ per legem decernitur, reſpiciat culpam propriam illius, qui talem pœnam ſuſtinet, vt pœna dici mereatur. Lex, quæ filios hæreticorum nota infamiæ inurit, & illos indignos officiis & beneficiis efficit, meritò pœnalis dicetur. Quia licet illas, non propter ſuam, ſed propter parentum culpam, lex filiis hæreticorum

A ticorum imponat:afflictiones tamen illæ (vt diximus) ad parentes eorum relatæ, meritò pœnæ dicuntur, & ſunt. Et hoc ſatis eſſe cenſeo, vt lex illa verè dici poſsit pœnalis. Si cui verò hæc ſententia non placet, nolo aduerſus illum pro re tam modica, quæ nullius prorſus eſt momenti, contendere. Parum enim refert an idem de lege dicamus, quod ſuprà de pœna, iuxta communem Theologorum ſententiam, docuimus: an contrà. Is ergo, qui idem dicendum eſſe putauerit, conſequenter dicere cogetur, leges illas, quæ contra Catholicos filios hæreticorum pœnas aliquas ſtatuunt, ſi ad parentes illorum referantur, eſſe dicendas pœnales: ſi verò ad ipſos filios comparentur, minimè ſic eſſe appellandas. Siue hoc ſiue illud quis dicat, hoc ſemper ſine vlla controuerſia erit certum, leges illas eſſe verè pœnales. Eſt tamen hic aduertendum, leges pœnales non ſemper eſſe eiuſdem formæ & conditionis, ſed nimium eas variare ex vario modo, quem tenent in pœnis ſtatuendis. Aliquando lex ſtatuit pœnam, non tamen ſpeciem pœnæ exprimit, & tunc eo ipſo lex reliquiſſe videtur arbitrio iudicis pœnam, qua ille, quem lex punire voluit, ſit puniendus. Aliquando lex præcipit pœnam ali-
B quam expreſſam & taxatam, ſed à iudice infligendam. Sicut ſi lex hoc modo dicat. Qui hoc aut illud fecerit, relegetur, aut mulctetur pœna decem ducatorum, aut excommunicetur, aut priuetur officio aut beneficio. Lex, quæ talibus vtitur verbis, non imponit pœnam, ſed ſtatuit, vt à iudice, cui competit, imponatur. Et ideo Iuriſperiti dicunt, tales leges continere ſententiam ferendam aut comminatoriam, & non ſententiam latam. Aliquando lex ſtatuit pœnam expreſſam & taxatam, quam non committit iudici, vt ab eo imponatur: ſed ipſamet lex committit reo, vt ille in ſeipſo pœnam exequatur. Tales ſunt mulctæ in iure Canonico & ciuili, vt ſunt illæ, quæ condemnant reum ad exilium, aut ad alicuius pecuniæ ſolutionem. Hæc enim, poſtquam ad illa damnatus eſt (vt libro ſecundo dicemus) tenetur reus in ſeipſo exequi: nec debet expectare, vt ab alio ſibi infligantur, ſed ſatis eſt illi, vt ſit damnatus ad illa. Tales ſunt etiam aliquæ leges in variis monachorum religionibus, ſi tamen eorum conſtitutiones, leges appellare licet. In ſtatutis fratrum Minorum habetur, quod qui nõ ſurrexerit media nocte, & iuerit ad cantandum matutinale officium cum aliis fratribus in choro

comedat

comedat in prandio ſequenti, iacens in terra coram fratribus C in communi refectionis loco, panem & aquam tantùm. Statuta fratrum Prædicatorum præcipiunt, vt qui ab vna capitulari congregatione, vſque ad proximè ſequentem ruperit ſepties ſilentium, ſedeat in vno prandio in terra. Certum eſt, has omnes leges committere ipſis delinquentibus, vt ipſimet pœnas illas ſibiipſis infligant, nec expectent, vt à ſuis prælatis, ad illas ſuſcipiendas cogantur. Nam qui hoc expectant, ob hoc ſolum grauiter à ſuis ſuperioribus reprehenduntur. Eſt adhuc alius quartus modus legis pœnalis, quando ſcilicet lex ſtatuit & exprimit pœnam taxatam, nec committit iudici aut reo, vt ille eam exequatur, ſed ipſamet lex talem pœnam exequitur in reo. Tales ſunt multæ leges in vtroque iure, quæ videlicet non ſententiam ferendam aut comminatoriam, ſed ſententiam latam continent, his aut aliis ſimilibus verbis vtentes. Qui hoc aut illud fecerit, ſit ipſo iure excommunicatus, aut irregularis, aut ſit priuatus beneficio, aut poſſeſsione bonorum ſuorum. Quanta ſit huiuſmodi legum poteſtas, & quantũ poſsint reum in conſcientia obligare, & quomodo poſsint agnoſci, & vna ab altera diſcerni, infrà, Deo duce, ſatis abundè pertractabimus. Nam D hæc lex, eſt præcipuus noſtri laboris finis, ad quem tota huius operis intentio potiſsimum dirigitur.

Quòd lex humana poteſt obligare ad culpam mortalem.

CAPVT IIII.

DVO ſunt, quæ legum pœnalium poteſtas reſpicere poteſt, culpa videlicet & pœna: de quibus ſingulatim diſſerere oportet. Sed ante omnia video eſſe neceſſarium inquirere, an ſuperior eccleſiaſticus ſiue ſecularis, per poteſtatem illi à Deo conceſſam, poſsit per legem ab eo æditam, ſic obligare ſubditos ſuos ad aliquid faciendum vel omittendum, vt ſi illam legẽ tranſgrediãtur, fiant illi æterna damnatione digni. De qua re, omiſſa Lutheri & aliorum hæreticorum ſententia, qui dicunt, nec particularem aliquem præpoſitum, imò nec totam Eccleſiam, poſſe homines ad aliquid, vltra legem diuinam obligare, varia eſt adhuc inter viros Catholicos

tholicos

A tholicos ſententia,nec inter omnes de hac re conuenit. Nam Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis,vir quidem pius,perinde ac doctus,lectione quarta de vita ſpirituali animæ, cenſet,ſolum Deum poſſe dare leges & præcepta, quorum transgreſsio ſit tam noxia, vt hominem ad pœnam conſtringat æternam.Quia (vt ait) ſolus Deus eſt,qui poteſt homini pœnam infligere æternam.Et ex hac ſua ſententia deducit, nullam legem purè naturalem,aut purè humanam, quatenus talis eſt, poſſe hominem ad aliquid ſub pœna mortis æternæ obligare. Poteſt quidem (vt ille ait) lex humana aut naturalis, obligare illius tranſgreſſorem ad peccatum mortale, ſed hoc non faciet quatenus talis eſt, ſed quatenus cum lege diuina miſcetur. Vt gratia exempli, ſi præpoſitus aliquis præcipiat lege ſua,non furandum,aut non adulterandum eſſe,peccabit mortaliter, qui aliquam iſtarũ legum fuerit tranſgreſſus:non quidem quatenus humana eſt,ſed quatenus cum lege diuina miſcetur,idem,quod illa, præcipiens. Ac proinde dicit iſtam conſequentiam non valere, & nullius prorſus eſſe momenti. Tranſgrediens legem humanam, peccat mortaliter: ergo tranſgreſsio illius legis, quatenus eſt humana, eſt mortale peccatum. Et dat exemplum in medico, qui docẽs ægrotum,cibum aliquem eſſe mortiferum, & admonẽs vt ab illo, tanquam à veneno,abſtineat,non obligat ægrotum, ſi comederit,ad pœnam æternam,quamuis ille contra medici præceptum comedens,mortaliter peccet. Aeger itaq; tranſgrediens medici præceptum,peccat mortaliter,hæc tamẽ tranſgreſsio, quatenus talis (vt Gerſon ait) non eſt mortalis, ſed quatenus eſt tranſgreſsio diuini præcepti, quo præcipit, vt neminem occidamus.Denique ſententiam ſuam concludens corollario tertio decimo prædictæ lectionis,dicit prælatos Eccleſiæ non poſſe obligare ſubditos ad aliqua non contenta in Euangelica regula, quam in baptiſmo profeſsi ſunt: ſicut monachorum prælati, non poſſunt obligare monachos ſibi ſubditos, vltra ea,quæ in ſua regulari profeſsione continentur.Hæc tamen Gerſonis ſententia, tam falſa ferè omnibus doctoribus Theologis videtur,vt multi ſint,qui cenſeant illam eſſe hæreticam,aut hæreſi nimium vicinam. Nam ex hac occaſionem ſui erroris ſumpſit Lutherus, & quotquot illius partes tuentur, negantes Eccleſiam poſſe quouis modo homines ad aliquid obligare,cuius tranſgreſsio ſit mortalis.Et certè,niſi me fallit

Ioannes Gerſon.

B

fallit memoria, hanc Gerſonis ſententiam, Lutherus in ſui C
erroris confirmationẽ adducit, & illius teſtimonio ſuam hæreſim tueri conatur. Et ſic omnia humana præcepta, veluti, quæ ad nihilum poſſunt homines obligare, reiicit & contemnit. Quod quàm pernicioſum ſit, nemo Catholicus & prudens eſt, qui non videat. Hanc igitur Gerſonis ſentẽtiam, quæ remiſsis & pigris multorum malorum occaſionem præbere poteſt, oportet multis clariſque argumentis conuincere, vt illius falſitas clariſsimè pateat, & ſic magna ſocordiæ & deſidiæ occaſio ab omnibus tollatur. Sed ante omnia oportet impugnare aliam illius ſentẽtiam, quam velut baſim & fundamentum ſui ædificij ponit. Is enim, lectione ſecunda operis proximè citati, corollario quinto, dicit: legem naturalem non poſſe verè & propriè dici, legem diuinam. Quia (vt ille ait) lex diuina eſt illa, quæ per ſolam Dei reuelationem habetur, & quæ ad præmium æternum illius obſeruatores, aut ad pœnam æternam illius tranſgreſſores ordinat. Neutrum autem horum (vt ait) legi naturali competit. Quoniam lex naturalis, non per Dei reuelationem, ſed natura docente habetur: & illa, neque ad præmium æternum, nec ad pœnam æternam ordinat. Hæc autem ſententia, meo quidem iudicio, fal- D
ſiſsima eſt: quoniam non poſſum intelligere, quomodo lex naturalis poſsit à lege diuina protinus ſeparari. Nam cùm conſtet naturalem legem dari à Deo, qui eſt conditor naturæ, parum referre mihi videtur, quòd hoc aut illo modo detur ab eo, videlicet per reuelationem, aut per naturæ donationem. Deinde, Paulus ipſam legem naturalem appellat le-
Rom. 1. gem Dei. Nam in epiſtola ad Romanos, poſtquam gentilium peccata expreſſerat, eos acerbius reprehendens, quòd non ob ignorantiam, ſed ſcientes illa commiſiſſent, hoc modo ait. Qui cùm iuſtitiam Dei cognouiſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte. Quem locum inter-
Ambroſi. pretans Ambroſius, ait. Vſque adeò iuſtitiam Dei cognouerunt, vt non negent hæc omnia, quæ faciunt, pœna digna & morte. Hæc Ambroſius. Idem ſentit Chryſoſtomus, qui Ho-
Chryſoſt. milia quinta ſuper epiſtolam ad Romanos, hæc Pauli verba interpretans, ait. Obiectionibus duabus hìc poſitis, vtraſque præcipuè ſuſtulit. Quidnam enim (ait) allegare poſsis, quòd neſcias, quæ agenda ſint? Tu verò, vt id maximè ignores, in cauſa ſanè eſt, vtpote, qui Deum id tibi indicantem, deſerue-
ris.

A ris. Nunc autem & quidem multis rationibus oſtendimus, te id nec negare, & vltrò tamen peccare. At ab ipſo traheris affectu? Quid igitur & adiuuas & laudas? Non enim ſolùm ea faciunt (inquit) ſed & aſſentimur iis, qui faciunt. Difficiliore igitur obiectione, & ea, quæ nullam planè veniam meretur, prius poſita, vt aduerſarium euincat. Eſt enim peccante multò deterior, qui peccatum commendatione proſequitur. Hæc Chryſoſtomus. Eidem ſententiæ concinit Theophilactus, ſic inquiens. Oſtendit ſuperius, quemadmodum, qui Dei habere notionem noluiſſent, omni ſint iniquitate oppleti. Nunc verò arguit, neque eſſe hos venia dignos, cùm dicere nequeant, boni ignorantia tenebamur. Norunt enim Dei iuſtitiam, ergo id vltrà factitant, & ſpontè committunt. Hæc Theophilactus. In iſtorum doctorum verbis, multa ſunt annotatione digna, quæ noſtro propoſito ſeruiunt. Sed ante omnia obiter annotare oportuit, in illo Pauli loco proximè citato, non haberi in Græcis exemplaribus, quæ videre licuit, hæc verba, non intellexerunt. Nam in æditione Veneta, quæ fuit apud Aldum, non habentur verba illa: neque in Biblia Trilingui Compluti impreſſa, B neque in aliqua Germaniæ impreſsione, neque etiam in aliqua ex multis impreſsionibus Galliæ, & (quod pluris æſtimandum eſt) Chryſoſtomus in Homilia quinta ſuper epiſtolam ad Romanos, illa verba neque legit, neque interpretatur. Et ob hanc cauſam nec Eraſmus Roterodamus, nec Pagninus Lucenſis, in ſuis tranſlationibus illa poſuerunt. Et certè, ſi ponantur illa duo verba, & legantur eo modo, quo legi ſolent, nullo pacto (vt apertiſsimè conſtat) poterunt illis conuenire interpretationes illæ, quas ex Ambroſio, & Chryſoſtomo, & Theophilacto, citauimus. Nam omnes illi dicunt, optimè Gentiles noſſe, peccata illa digna eſſe morte. Quæ ſententia, nequaquam cum verbis Pauli (vt vulgo leguntur) conuenit. Quapropter, vt verbis illis, quæ in exemplaribus Græcorum deſunt, adhuc ſeruatis & minimè abraſis, expoſitio iſtorum doctorum ſanctorum conueniat: admoneo, vt verba illa legantur cum interrogatione, cui ſolet reſpondere affirmatio, quando id quæritur per negationem, quod certiſsimum eſt aliter eſſe. Ita vt ſic legas. Non intellexerunt, quoniam qui talia agunt digni ſunt morte? Et huic interrogationi reſpondent, quæ ſequuntur, per affirmationem.

nem. Non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt C facientibus. Eodem loquutionis modo vſus eſt Paulus in eadem epiſtola ad Romanos, dicens. Nunquid non audierunt?

Rom. 10

Quæ interrogatio per negationem valet pro contraria affirmatione certiſsima, ac ſi dixiſſet. Audierunt. Nam hoc, reſponſio ſequens apertiſsimè indicat, ſic dicens. Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum. Ex oppoſito etiam, interrogatio per affirmationem ſolet in ſacris literis valere pro negatione, quales in libro Iob plurimæ reperiuntur. Secundò, in illis Pauli verbis annotare oportet, quòd legem naturalem appellauit legem Dei. Nam Paulus dicens Gentiles cognouiſſe iuſtitiam Dei, non dicit illos ſciuiſſe Deum eſſe iuſtum, prout quidam malè interpretantur: ſed (vt ex interpretatione Ambroſij, Chryſoſtomi, & Theophilacti conſtat) dicit illos cognouiſſe ea, quæ agenda erant, & habuiſſe veram boni notitiam. Cùm igitur Paulus dixit, Gentiles cognouiſſe Dei iuſtitiam, his verbis apertè docuit, legem naturalem, quam Gentiles nouerant, eſſe Dei iuſtitiam: quia per nihil aliud nouerant bonum, quod agendum erat, quàm per legem naturalem. Et inde deducitur, legem naturalem eſſe legem Dei: quia illa Dei iuſtitia, quam Gentiles cognouerunt, non eſt illa iuſtitia, qua Deus iuſtus eſt: ſed illa, quam D nobis Deus oſtendit, vt iuſti fiamus, & ſimus. Hæc autem iuſtitia, quam Deus nobis oſtendit, non eſt aliud, quàm lex eius: ergo lex naturalis eſt lex Dei, quia eſt illius iuſtitia. Tertiò, in illis Pauli verbis eſt annotandum, quòd ait Gentiles cognouiſſe ea, quæ agebant, digna eſſe morte. Nam hunc eſſe Pauli ſenſum apertè indicat expoſitio Ambroſij, quam ſuprà citauimus. Et ipſa Pauli verba apertiſsimè ſuum ſenſum aperiunt, ſi illa iuxta veritatem Græcam, nullo alio verbo addito, referantur. Verba enim Pauli ex veritate linguæ Græcæ in linguam Latinam verſa, ſic habent. Qui cùm Dei iuſtitiam nouerint, nempe quòd ij, qui talia faciunt, digni ſunt morte, non ſolùm ea faciunt, verumetiam aſſentiuntur iis, qui faciunt. Sic enim tranſtulit Eraſmus Roterodamus vir linguæ Græcæ peritiſsimus. Eidem conſonat Pagninus Lucenſis. Et eodem modo, & ſub eiſdem verbis habentur hæc verba Pauli in Chryſoſtomo, Homilia quinta ſuper epiſtolam ad Romanos. Hæc igitur Pauli verba iuxta Græcam veritatē apertè docent Gentiles cognouiſſe ea, quæ

Iob 38. *&* 39.

facieb

A faciebant, digna eſſe morte. Et inde ſequitur, legem naturalem obligare illius tranſgreſſorem ad pœnam æternã. Nam alioqui Gentiles, qui nullam aliam legem quàm naturalem à Deo acceperant, intelligere non poterant ea quæ faciebant, digna eſſe morte. Conſtat igitur falſum eſſe quod Ioannes Gerſon ait, legem naturalem, quatenus talis eſt, non obligare illius tranſgreſſorem ad pœnam æternam. Hoc igitur oſtenſo, ad primum huius noſtrę diſputationis caput accedamus (vt probemus falſum eſſe, quod Ioannes Gerſon) ait, nullam legem niſi diuinam, poſſe obligare hominem illius tranſgreſſorem ad pœnam æternam. Primò quidem ex eo apertiſsimè conuincitur illius ſententiæ falſitas, quod Salomon in Prouer. ait. Conſerua fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legẽ matris tuæ. In quibus verbis non ſola Dei, qui verus eſt pater noſter, præcepta conſeruanda eſſe docet, ſed etiam Eccleſiæ, quæ vera eſt mater noſtra, legem dicit non eſſe dimittendam. Nam gloſſa, quam vocant interlinealem, nomine patris illo loco intelligit Deum, & nomine matris Eccleſiam. Præterea, veteris legis ſacerdos poterat ſibi ſubditos obligare ad *Prouer.6*
B aliquid ſub pœna culpæ mortalis, ergo idem etiam poterit euangelicæ legis ſacerdos. Aſſumptum eſt manifeſtum ex illo, quod habetur in Deuterono. Qui ſuperbierit nolẽs obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael: cũctúſque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. Conſtat autẽ ex omnium Theologorum ſententia, pro nullo peccato mortem tunc fuiſſe ex lege illa Moſaica inflictam, niſi pro peccato mortali. Conſequentia huius noſtræ principalis argumentationis inde eſt manifeſta, quòd non licet opinari ſacerdotium legis euangelicæ minoris eſſe poteſtatis in his, quæ ad Eccleſiæ gubernationem ſpectãt, quàm fuit olim ſacerdotium legis Moſaicæ ad regimen ſynagogæ. Nam Paulus apoſtolus in ea, quæ eſt ad Hebræos epiſtola, docet multò præſtantius eſſe euangelicum ſacerdotium quàm illud veteris legis ſacerdotium. Rurſum, pręceptum patris poteſt obligare filium ad aliquid faciendum ſub pœna mortis æternæ: ergo tranſgreſsio legis humanæ eſt culpa mortalis. Aſſumptum eſt manifeſtum ex eo, quod Pau- *Deut.17.* *Hebr.7*

lus inter multa & grauia Gentilium peccata, quæ in epi- C
Rom.1. ſtola ad Romanos enumerat parentum inobediẽtiam inſerit, & tandem omnibus enumeratis dicit. Qui talia agũt, digni ſunt morte. Quibus verbis apertè docuit Paulus, omnia illa peccata per eum illic nominata eſſe mortalia, & per conſequens etiam parentum inobedientiam eſſe mor-
Ambroſ. talem. Ideo Ambroſius illa Pauli verba interpretans ait. Quanta autem inſolentia arrepti ſunt, vt neque parentes ſuos, quos authores in natiuitate habent, agnoſcerẽt, quique ſe natos gauderent, illos, per quos eſſe cœperant, contemnebant, hoc eſt eſſe ſine intellectu, ſine charitate, ſcilicet Dei. Hæc Ambroſius. In quibus verbis id annotandum eſt, quod ait, filium inobedientem eſſe ſine charitate Dei: & inde deducitur, peccatum mortale, eſſe parentum inobedientiam, per quam Dei charitas excluditur. Conſtat autem Gentes, de quibus ſolis tunc Paulus loquebatur, nulla alia lege quàm naturali, tunc ad parentum obedientiam obligari. Quoniam lex aliqua diuina poſitiua non fuerat illis data: imò nec ipſa lex naturalis fuerat illis voce aut D ſcripto manifeſtata. ſed per ſolam naturæ collationem ſimul cũ ipſa natura fuerat data. Ex quo apertiſsimè cõuincitur, legem purè naturalem aut purè humanam, quatenus talis eſt, poſſe hominem ſic obligare, vt illam tranſgrediens, fiat mortis æternæ reus. Et hanc argumentationem confirmat, quòd lege diuina olim morte plectebatur fi-
Deut.22 lius rebellis & contumax. Si genuerit homo (inquit lex) filium contumacem & proteruum, qui non audierit patris aut matris imperium, & coërcitus obedire contempſerit, apprehendent eum, & ducent ad ſeniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij, dicéntque ad eos. Filius noſter iſte proteruus & contumax eſt, monita noſtra audire contemnit, comeſſationibus vacat, & luxuriæ atque conuiciis: Lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur: vt auferatis malum de medio veſtri, & vniuerſus Iſrael audiens pertimeſcat. Pœna autem mortis (vt in præcedenti argumẽto annotauimus) nũquàm niſi pro peccato mortali, eóque graui, imponebatur. Fortè huic argumento aliquis Gerſonis defenſor reſpondebit, fatendo parentum inobedientiam eſſe peccatum mortale, quando parentes idem, quod Deus, præcipiunt: veluti ſi pater præcipiat filio, non

forn

A fornicari,aut non furari,& tunc duplex eſſe peccatum talẽ inobedientiam: alterum,quia Deo non obtemperat: alterum,quia patri non obedit. Quando verò pater non idem præcipit, quod Deus, tunc fortè dicet patris inobedientiã non eſſe peccatum. Sed hæc reſponſio duplici via conuinci poteſt eſſe falſa.Primò quidem,quia hoc dicens,ſuam priorem ſententiam oppugnat. Nam ſi illo caſu filius inobediens duplex peccatum committit,hoc eſt,quia duplex præceptum trãſgreditur. Et inde apertiſsimè conſequitur,præceptum humanum,quatenus tale eſt,obligare illius tranſgreſſorem ad peccatum mortale. Quoniam præceptum diuinum ex ſe non obligat illius tranſgreſſorem,niſi ad vnicum peccatum mortale ratione vnius tranſgreſsionis:ergo propter coniunctionem præcepti humani non obligabit ipſum præceptũ ad aliud peccatum. Quo fit,vt præceptum patris, quod obligat illius tranſgreſſorem ad ſecundum peccatum, non ſit dicendum ratione diuini præcepti, cui coniungitur,ſed ratione ſua obligare ad illud. Quia ſi ratione diuini præcepti obligaret ad ſecundum peccatum, multò fortius ipſummet diuinum præceptum obligaret

B ad illud ſecundum. Vulgata eſt enim & iam ab omnibus recepta illa Ariſtotelis ſentẽtia,Propter vnũquodq; tale,& illud magis.Diuinũ præceptum,cui humanũ coniungitur, non obligat ad ſecundum peccatũ:ergo præceptum humanum,quod diuino cõiungitur,nõ ratione illius,ſed ratione ſua obligat ad illud.Deinde,illa reſponſio eſt contra ſacrorum Doctorum ſententiam,qui illum Pauli locum exponentes,dicunt filiorum inobedientiam, non ſolùm in rebus, quæ ſunt à Deo præceptæ, ſed etiam in aliis, quæ ad rem domeſticam pertinent,eſſe peccatum mortale. Theophilactus ſiquidem, illa Pauli verba, parentibus non obedientes, exponens, ait. Quin etiam vel naturam ipſam impugnant, quippe vel genitoribus repugnant. Hæc ille. Quibus verbis filios inobedientes non ideo dixit peccare, quia ſic agentes,præceptum Dei idem præcipientis tranſgrediuntur, ſed apertè docet illos ea ratione peccare, quia parentibus non obediendo contra naturam agunt, quæ docet parentibus obedire. Quomodo autem filij inobedientes naturam impugnent,beatus Anſelmus illa Pauli verba interpretans, explicuit ſic di- *Theophil.* *Anſelm.*

d

ceos. Qui verò ſunt parentibus inobedientes, feris ſunt in- C
domabiliores: quoniam feræ ſuis parentibus ſunt ſubditæ, & acquieſcunt. Hæc Anſelmus. Naturam ergo impugnare dicuntur filij inobedientes, quia contra legem naturæ agunt, quam feræ beſtiæ ſequuntur, & illam obſeruando homines docent, vt illam obſeruare conentur. Et inde deducitur, vt lex naturalis, quatenus talis eſt, poſſit illius tranſgreſſorem peccati mortalis reum efficere. Quia Gentiles, quibus Paulus loquebatur (vt dixi) nullam aliam legem præter naturalem à Deo acceperant. Et ex-
Auguſt. preſsiùs probatur per Auguſtinum, qui in expoſitione prima ſuper Pſal. 70. ait, Ionadab homo fuit quidem, cōmen-
Hier. 35. datur nobis ex prophetia Hieremiæ, qui filiis ſuis præceperat, vt vinū non biberent, neq; in domibus reſiderēt, ſed habitarent in tabernaculis. Præceptum autē patris filij tenuerunt, & ſeruauerunt, & ex hoc benedici à Domino meruerunt. Dominus autem hoc non præceperat, ſed pater ipſorum. Sic autem hoc acceperunt, tanquam præceptum à domino Deo ſuo: quia etſi dominus nō præceperat, vt non biberent vinum, & in tabernaculis habitarent, præceperat autem dominus vt filij patri obedirent. Et paucis interpo- D
ſitis ſubdit, Vbi enim hoc iubet pater, quod contra Dominum non ſit, ſic audiendus eſt, quomodo Deus: quia obedire patri iuſsit Deus. Hæc Auguſtinus. Ex quibus verbis conſtat, filij inobedientiam eſſe peccatum mortale, etiam quando præcipit quod non eſt præceptum à Deo, quia tunc dicit eſſe obediendum patri ſicut Deo.

Tertiò, contra eandem opinionē argumentari poſſumus ex his, quæ nunc in proximè præcedenti argumentatione probauimus. Maius & potentius eſt imperium principis ſupra ſubditos ſuos, quàm patris ſupra filios. Pater poteſt obligare filium ad aliquid faciendum vel omittendū ſub pœna mortis æternæ: ergo multò melius id poterit princeps circa ſubditos ſuos. Conſequentia iſta eſt manifeſta per locum à minori ad maius. Minor in antecedente collocata etiam eſt manifeſta ex his, quæ in proximè præcedenti argumentatione adduximus. Solùm igitur ſupereſt probare maiorem. Pro cuius clariori probatione & intelligentia, oportet prius admonere, hæc duo imperia, videlicet principis & patris, eſſe inter ſe valde diuerſa, etiā ſi ad eandem

A dem perſonam ſubditam ambo cõparentur. Diſtinguntur enim non ratione perſonæ, cui præſunt, cùm ambo eidem perſonæ dominari poſsint: ſed diſtinguntur ratione finis, ad quem vtrunq; imperium tendit, & ratione rerum, quas præcipere poſſunt, ordinando eas ad proprij finis conſequutionem. Imperium principis pacificam regni, aut ciuitatis conſeruationem, tanquam præcipuum ſui regiminis finem reſpicit, & ideo ea, quæ ad hunc finem propè tendunt, velut ſunt res ciuiles, præcipere poteſt: reliqua verò, quæ ab hoc fine longè diſtant, eius imperio minimè ſubduntur. Et ob hanc cauſam, circa res domeſticas nihil præcipere poteſt, niſi quatenus illæ ad bonum commune regni aut ciuitatis diriguntur, velut pars ad totum, aut tanquam membra hominis particularia ad totius corporis bonum ordinantur. Imperium itaq; regis aut cuiuſlibet magiſtratus, dicitur imperium politicum aut ciuile, quia bonum regni aut ciuitatis reſpicit. Imperium paternum eſt œconomicum, quia ad ſolam rem domeſticam & pacificam illius cõſeruationem dirigitur. Et inde eſt, quòd ea ſola præcipere poteſt filio, quæ ad rem domeſticam conducunt, & ſunt illi propinqua. Conducit autem valde ad rem
B domeſticam, filios & ſeruos eſſe bene morigeratos, & ideo vtriſque ea, quæ ad bonos mores ſpectant, potiſsimũ mandare valet. Cæterum ea, quæ extra rem domeſticam ſunt, etiam ſi communi ciuitatis aut regni bono conueniat, pater præcipere non poteſt, ſed princeps debet in hac re filio præcipere: quia ad patrem hæc res non ſpectat, nec tam late patet eius imperium. Si autem caſus occurreret, quo ciuitas aut regnum aliqua ope filij valde egeret, tunc filius ipſe abſque patris imperio teneretur opem ferre, veluti membrum ex inclinatione naturæ ſubuenit corporis neceſsitati. Hęc duo imperia ſic diuerſa ſe inuicem excedũt, & quodlibet eſt altero fortius atque potentius in ea re, circa quam potiſsimum verſatur, & quæ ad ſuum proprium finem propius accedit. Et hinc ſequitur, vt licet principi magis quàm patri ſit in re ciuili obediendum, in re tamen domeſtica magis patri quàm principi parere oportet, niſi fortè res domeſtica eſſet neceſſaria ad bonum commune. Vt gratia exempli, res domeſticæ ſunt, agros arare, meſſem colligere, vindemiam facere, arbores plantare.

Si aliquid horum rex facere iubeat aut prohibeat filio alterius, non tenetur obedire, niſi fortè inde aliquod commune & honeſtum proueniret commodum. Si tamen horum aliquod filio præcipiat pater, erit illi neceſſariò parendum. Iſto modo, conſideratis his duobus imperiis, non comparauimus illa, cùm in illa priore huius noſtræ argumentationis diximus, maius & fortius eſſe imperium principis erga ſubditum ſuum, quàm patris circa filium ſuum. Sed comparamus ea ad inuicem, cùm vterque imperans eidem perſonæ præcipit id, quod ſuo imperio ſubeſt, & tunc ſi mandata amborum contra ſe pugnent, fortius & potentius eſſet principis quàm patris imperium. Si pater, gratia exempli, iubeat filium agrum colere, princeps verò pro regni tutela iubeat eidem ad bellum ire, potêtius erit regis quàm patris mandatum, & principi potius quàm patri tenebitur filius obedire. Quia bonum ciuile melius eſt & communius bono domeſtico: & bonum domeſticum ordinatur (vt ait Ariſtoteles lib. j. Politicorum. cap. j.) ad bonum totius ciuitatis, tanquam pars ad totius compoſitionem & ſubſiſtentiam. At bonum commune (vt omnibus conſtat) præferendum eſt ſemper bono particulari. Præterea, quando ſunt poteſtates diuerſæ & ſubordinatæ, potius ſuperiori quàm inferiori obediendum eſt. Poteſtates iſtæ, videlicet patris & principis, ſubordinatæ ſunt: quia pater in rebus ciuilibus ſubditur principi: ergo filius, qui vtrique ſubditur, potius principi in re ciuili, quàm patri in re domeſtica obedire debet. Et confirmatur hoc teſtimonio Auguſtini, qui ſermone ſexto de verbis Domini ſecundum Matthæum, hæc ait. Diſcute nunc maiores tuos. Primi tibi ſunt pater & mater: ſi rectè educantes, ſi in Chriſtum nutrientes, audiendi in omnibus, obtemperandum eis in omni iuſsione, contra maiorem ſi nihil iubeant, & ſeruiatur illis. Quis eſt, inquis, maior eo, qui me genuit? An ille, qui te ipſum creauit? Generat enim homo: creauit Deus. Vnde generat homo neſcit, quid generatus ſit neſcit: ille qui te vidit vt faceret antequam eſſet, quem fecit, certè maior eſt patre tuo. Maior ſit patria ipſis parentibus tuis, vt quicquid iuſſerint parentes contra patriam, non audiantur: & quicquid iuſſerit patria contra Deum, non audiatur. Hæc Auguſtinus. Si parentes

Ariſtot. *Auguſt.*

C D

A non ſunt audiendi, quum aliquid contra patriam præcipiunt, ergo nec etiam ſunt audiendi, cùm præcipiunt aliquid contra præceptum principis, qui patriã gubernat, & illius vtilitatem in cunctis ſuis præceptis & legibus exquirere debet. Ex his omnibus apertè colligitur id, quod in hac noſtra argumentatione primò intendebamus, præceptum videlicet ſuperioris poſſe obligare illius tranſgreſſorem ad mortem æternam. Quoniam præceptum patris (vt in proximè præcedenti argumento probauimus) id facere poteſt:& præceptũ prælati aut principis(vt nunc clarè oſtendimus)eſt precepto patris multò fortius atq; potẽtius.

Quartò, contra eandem opinionem ſic argumentor. Prælatus eccleſiaſticus poteſt ſtatuere canonem obligantem illius tranſgreſſorem ad excommunicationem ipſo facto incurrendam: ergo poteſt ſtatuere canonem obligantem ad peccatum mortale. Aſſumptum probatione non indiget,cùm tam multi canones ſint in iure Canonico latam excommunicationem continentes, præſertim cùm multi ex illis ſint,non à Papa ſolo,ſed à conciliis generalibus legitimè congregatis conditi. Nam ſi à ſolo Papa conB diti fuiſſent,fortè non vereretur Ioannes Gerſon aut illius patronus dicere,Papam tales canones condentem erraſſe: quia aliàs ſæpe docet Papam etiam in definitionibus fidei poſſe errare. At,de concilio generali legitimè cõgregato, nunquam eſt auſus quidquam ſimile fateri. Conſequentia huius noſtræ argumẽtationis inde apertè conuincitur eſſe bona,quòd nulla maior excõmunicatio poteſt alicui, niſi pro peccato mortali inferri.Sed fortè huic argumentationi reſpondebit aliquis, fatendo neminem poſſe excommunicari niſi pro peccato mortali,eóq; graui,& cui eſt adiuncta contumacia: illud tamen peccatum mortale, propter quod quis excommunicatur, nunquam committitur propter ſolam præcepti humani tranſgreſsionẽ. Hanc tamen reſponſionem facilè conuincunt multæ excõmunicationes à iure impoſitæ propter ea, quæ ſolo iure humano ſunt prohibita,ex quibus apertiſsimè probatur, ius humanum obligaſſe illius tranſgreſſores ad peccatum mortale: quoniam aliàs non potuiſſet propter ſolam illam tranſgreſsionem illos excõmunicare.In cap.ſuper ſpecula.ex.ne clerici vel monachi. prohibetur clericis ſecularibus alicuius certi

ordinis & ſtatus, leges aut Medicinam in ſcholis audire, C
& ſi vltra duos menſes auditionem protraxerint, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant. Clericos autem vltra duos menſes ius ciuile aut Medicinam audire, non eſt ex ratione ſua contra aliquam legem diuinam, quæ illius tranſgreſſorem efficiat reum culpæ mortalis. In concilio Vienenſi ſub Clemente Quinto decretum eſt, excōmunicatos ipſo iure eſſe eos, qui tēpore interdicti ſepeliunt in Eccleſia aliquem extra caſus à iure conceſſos, vt patet in Clementina prima de ſepulturis. Conſtat autem, quòd ſi præceptum humanum hoc loco ſecludas, nullo modo peccaret mortaliter, qui tempore interdicti corpus humanum Eccleſiaſticæ traderet ſepulturæ. In concilio Lateranenſi ſub Leone decimo ſeſsione decima, præceptum eſt, vt nullus librorum impreſſor aliquem librum imprimere audeat, antequam per iudices ibidem nominatos, ſit examinatus & approbatus. Et qui contra hoc fecerit, decernit concilium, vt ſit ipſo facto excommunicatus. Nullus autem ſanæ mentis dicet, impreſſorem librorum, qui ſine vlla præuia examinatione librum aliquem ante hoc humanum præceptum typis excuſiſſet, peccaſſet mortaliter. At, D
cùm nunc (niſi aliud obſtet) excommunicationem incurrat, qui contra illud decretum impreſſerit, cōuincitur illum ſic facientem peccare mortaliter, & non niſi propter tranſgreſsionē legis humanæ: ergo lex humana, quatenus talis eſt, poteſt obligare illius tranſgreſſorē ad peccatū mortale.

Quintò, contra eandem opinionem ſic argumentor. Præcepta humana iuſta cenſentur eſſe diuina, & ſic appellantur ab ea, ergo illis, perinde ac diuinis præceptis erit obediendum, quoniam quæ illi rectè præcipiunt, à Deo
Luc.1. præcepta eſſe dicuntur. Nam ſicut Deus ea, quæ credere nos voluit, loquutus eſt nobis per os ſanctorum, qui à ſeculo ſunt prophetarum eius: ita etiam piè credere oportet, illum ſæpe ea, quæ nos facere oportet, præcipere nobis per os paſtorum ſuorum, quibus nos oues eius commiſit. Et ob hanc cauſam præcepta præpoſitorum, qui curam populi habent, meritò præcepta diuina cenſentur, quia à Deo poteſtatem illam receperunt, vt populo ſibi commiſſo ea, quæ ad legis Dei obſeruationē maximè conducunt, præcipere poſſent. Vnde Ambroſius exponens illud
Pauli

A Pauli ad Roma. Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt, ait. *Rom.* 13
Vt nemo putet quaſi humana commenta cõtemnenda. Vident enim ius diuinũ humanis autoritatibus deputatum. Hic ergo ſubiectus eſt poteſtati, qui ſe terrore Dei ab his *Ambro.*
abſtinet, quę prohibet. Hęc Ambro. Sed apertius hoc ipſum probari poteſt ex ſacris literis. Quum populus Iſraël murmuraſſet contra Moyſen & Aaron fratrem eius, dixit illis Moyſes. Dabit vobis Dominus veſperè carnes edere, & manè panes in ſaturitate, eo quòd audiuit murmurationes veſtras, quibus murmurati eſtis contra eum. Nos enim quid ſumus? Nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum. Hoc ideo dixit Moyſes, quia illi à Deo miſsi erant, & poteſtatem à Deo ad populi regimen acceperant: & ob hanc cauſam, iniuriam illis illatam Deo inferri cenſebat. Sed apertius eſt, quod Paulus in prima ad Theſſalonicenſes epiſtola, ait. Scitis, inquit ille, quæ præcepta dederim vobis per dominum Ieſum. Et paucis interpoſitis, ſubdit. Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit ſpiritum ſuum ſanctum in nobis. Multò etiam manifeſtius eſt, quod idem Paulus, poſtquam
B nonnulla ſtatuerat, quæ in ſcripturis antè non erant expreſſa, ſtatim ſubiunxit. Si quis videtur propheta eſſe aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis: quia Domini ſunt mandata. Ex quibus tribus ſcripturæ locis nunc proximè citatis, palam omnibus fit iuſta prælatorum præcepta non eſſe duntaxat humana dicenda, cùm vim ſuam & robur habeant à Deo, qui præcepit vt ſuperioribus noſtris obedientiam præſtaremus. Et inde ſequitur, vt præpoſitis noſtris perinde ac Deo, ſub obligatione peccati mortalis, in multis rebus obedire teneamur. Si ducibus à rege miſsis (vt ait beatus Petrus) obedire oportet, multò magis oportebit obedire præpoſitis, quos Deus nobis dedit.

Exo. 16.

1. Theſ. 4.

1. Cor. 14

1. Petr. 2.

Sextò, contra eandem opinionem argumentari poſſumus multis teſtimoniis ſacræ ſcripturæ, quæ dicunt, ſuperioribus noſtris eſſe obedientiam neceſſariò pręſtandam ſub pœna mortis æternæ. Chriſtus ſaluator noſter, Apoſtolos ad prædicandum mittens, ait illis. Quicunq; non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerem de pedi- *Mat.* 10

A quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri. Sed his omnibus multò apertius eſt teſtimonium, quod Paulus ad Romanos ſcribens, ait. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Quid autem ſit poteſtati reſiſtere, Theophilactus declarat, qui illa Pauli verba interpretans, ait. Ne fortè illud fideles obiicerent, nos ipſe reddis abiectiores, qui cùm ſimus regno cœlorum potituri, principibus ſubdas, oſtendit Deo eſſe ſubiectos qui magiſtratibus parent. Quin etiam quod eſt horribilius adiicit, eum videlicet, qui his minus paruerit, Deo obſiſtere, qui illos inſtituit. Qui verò obſtiterit, cum Deo, tum hominibus pœnas daturum. Quod ſanè per illud ſignificatur, quod inquit, damnationem ſibi acquirunt. Hæc Theophilactus. Eadem Pauli verba poſt Theophilactum apertius interpretatur Anſelmus, ſic inquiens. Hoc enim contra illos dicitur, qui ſe putabant ita debere vti libertate Chriſtiana, vt nulli vel honorem deferrent, vel tributa redderent: vnde

Rom. 13

Theo ſ. phila.

Anſelmus.

B magnum poterat aduerſus Chriſtianam religionem ſcandalum naſci à principibus ſeculi. De bona poteſtate patet, quòd eam perfecit Deus rationabiliter. De mala quoque videri poteſt, dum & boni per eam purgantur, & mali damnantur, & ipſa deteriùs præcipitatur. Qui poteſtati reſiſtit, cùm Deus eam ordinauerit, Dei ordinationi reſiſtit. Sed hoc tam graue peccatum eſt, quòd qui reſiſtunt ipſi, pro contumacia & peruerſitate ſibi damnationem æternæ mortis acquirunt. Et ideo non debet quis reſiſtere, ſed ſubiici. Hæc Anſelmus. Ex cuius verbis apertè conſtat, illum, qui ſuperioribus obedire recuſat, mortaliter peccare. Quod ſi quis fortè interpretari conetur de ſolo illo ſuperioris præcepto, quo id præcipit ſuperior, quod Deus antè præceperat, ita vt illi reſiſtens mortaliter peccet: non autem ſi reſiſtat ſuperiori præcipienti id, quod Deus nunquam iuſſerat. Hæc reſponſio iam ſuperiùs ſufficienter conuicta eſt, per ea, quæ in ſecundo & quarto argumentis probauimus, & multò apertiùs conuincetur ex his, quæ nunc in proximè ſequenti argumento dicemus.

Septimò, contra eandem opinionem argumentor per C multa exempla in ſacra ſcriptura contenta, in quibus conſtat, legum humanarum trãſgreſſores mortaliter peccaſſe, & eorum aliquos velut culpæ mortalis reos fuiſſe à Deo punitos, cùm tamen ea, quæ lege humana præcipiebantur, non fuerant lege diuina præcepta. Primo igitur loco vxorem Loth in exemplum propono, cui ab incendio Sodomæ & Gomorrhæ fugienti præcepit angelus, vt non aſpi-
Geneſ. 19 ceret retrorſum. Quæ quoniam contra præceptum angeli, quem hominem putabat, retrorſum aſpexit, in ſtatuam ſalis conuerſa eſt. Hoc autem angeli præceptum conſtat non eſſe de ea re, quæ lege diuina fuiſſet olim interdicta, nec illi fuit ab angelo nomine Dei datum. Quòd autem illa contra præceptum agens mortaliter peccauerit, ipſa peccati punitio apertè conuincit. Et ob hanc cauſam, poſtquam Chriſtus ſaluator noſter admonuerat eos, qui in temporibus Antichriſti futuri ſunt, vt ad malam vitam, quam olim reliquerant, non reuertantur, vxorem Loth illis ad memo-
Luc. 17. riam reuocauit, dicens. Memores eſtote vxoris Loth. Nam quod propter peccatum illius & eiuſdem punitionem, ad memoriam illam reuocauerit, & illis in exemplum pro- D poſuerit, docet Theophilactus, qui illa Chriſti verba in
Theophila. Commentariis ſuper Lucam exponens, hæc ait. Affert item exemplum mulieris Loth, quæ cùm conuerſa eſt retrò, in ſtatuam ſalis riguit, hoc eſt, non exiit à malitia, ſed manſit in ſalſugine ſua tota facta mala: ac celebrè faciens, & quaſi columnæ inſcribens malum, quod paſſa eſt: obſtinata enim manſit in malitia ſua. Hæc Theophilactus. Aliud exem-
Ioannes Methina plum ex veteris teſtamenti hiſtoria contra Ioannis Gerſonis opinionem, affert quidam vir doctus in ſuo Codice de pœnitentia, in quæſtione de neceſsitate ieiunij, ex facto
1. *Reg.* 14 illo, quod Ionathæ Saulis filio contigit, qui (vt Regum hiſtoria narrat) guſtauit parum mellis contra præceptum patris, qui diſtrictè præceperat, vt nullus ante veſperam quidquam comederet. In qua præcepti tranſgreſsione (vt ille argumentando ait) Ionathas peccauit: quia Deus ob hoc iratus eſt contra populum, & illi reſponſa (vt ſolebat) dare noluit. Sed re vera in hoc exemplo vir ille, quamuis doctiſsimus, valde deceptus eſt, putans in eo caſu Ionathan peccaſſe cùm fauum mellis guſtauit. Nam etſi contra

præcep

A præceptum patris & regis hoc fecit, duplici tamen ratione à peccato excuſatur. Prima, quia Ionathas ignorabat præceptum patris, vt ex textu conſtat: & inde conuincitur illum non obligari ad obſeruationem illius præcepti, quod inuincibiliter ignorabat. Secunda, quia licet Ionathas optimè præceptum patris nouiſſet, ad illud tamen, in graui neceſsitate poſitus, non tenebatur. Nam ipſe Saul tale præceptum proferens, ſi rectè ſapuiſſet, caſum neceſsitatis aut verbo aut mente excipere debuiſſet. Et ob hanc cauſam Nicolaus de Lyra cenſet Saulem ſic præcipientem erraſſe, & quia præceptum ſtultum & temerarium iuramento firmauerat, peccaſſe. Et illius ſententiæ conſentire videtur Paulus Burgenſis, quia illum non reprehendit, quod tamen, ſi Nicolai ſententia non ſibi placeret, nequaquam omiſiſſet homo, qui ex induſtria quæſiſſe videtur, quid in illo poſſet arguere. Quòd verò dicitur Deum, propter factum Ionathæ noluiſſe (vt ſolebat) populo petenti dare reſponſa, nihil mouet: quoniam ſicut Deus reſponſa illa, non propter populi merita, ſed gratis & ex mera ſua voluntate dabat: ita è *Nicolaus Lyranus*

B contrario, non ſemper ob aliquod peccatum, ſed mera voluntate ob aliquod illius ſecretum conſilium ſubtraxit. Quòd autem Ionathas fuit ſortè deprehenſus, hoc magis ad Ionathæ innocentiam, quàm ad illius condemnationem oſtendendam, Deus efficere voluit. Multi quidem ex populo nouerant Ionatham comediſſe, qui tamen neſciebant illum ignoraſſe patris præceptum, & neceſsitate compulſum hoc feciſſe: ideo Deus voluit illum publicè deprehendi, vt coram omnibus ſe excuſans, ſuam omnibus palam faceret innocentiam: quæ ab omni populo cognita, populus, qui fortè de illius manducatione ſcandalum ſumpſerat, non ſolùm iam non ſcandalizaretur, ſed illum velut innocentem, ſicut fecit, liberare conaretur. Hoc ergo exemplo dimiſſo, aliud ego ex nouo teſtamento proferam, quod apertiſsimè noſtram probat ſententiam. Cùm olim exorta eſſet contentio, an poſt manifeſtationem legis euangelicæ tenerentur homines ad obſeruationem earum cæremoniarum & ſacrificiorum & iudiciorum, quæ in lege Moyſi fuerant præcepta, deuoluta eſt cauſa ad apoſtolos & ſeniores, qui

erant in Hieruſalem, qui facta prius magna inquiſitione, C & re (vt oportebat) diligentiſsimè examinata, talem per epiſtolam, quam ad Gentes miſerunt, dedere ſententiam.

Act. 15 Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum. & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione: à quibus cuſtodientes vos bene agetis. Hæc quatuor, quæ apoſtoli decreuerunt tanquam neceſſaria gentibus præcipere, certum eſt non eſſe illis, ſicuti nec nobis, in lege euangelica à Deo præcepta: & ob hanc cauſam temporis ſucceſſu & neceſsitate ceſſante, tria ex illis quatuor deſierunt eſſe neceſſaria. Et hoc ipſum annotauit Chryſo-

Chryſoſt. ſtomus Homil. 23. ſuper actus apoſtolorum, ſic dicens. Hæc noua lex nō præcipit. Nunquam enim de his diſſerit Chriſtus, ſed à lege hæc ſumunt. Hæc Chryſoſtomus. Verum etſi hæc à Deo non fuiſſent præcepta, apoſtoli tamen non erubuerunt hæc tanquam neceſſaria gentibus iniungere, & meritò. Timuerunt enim, ſi omnes legis Moſaicæ cæremonias ſimul Gentes reiicerent, ne hac occaſione Iudæorum & Gentilium cōmiſtio aut cōmunio impediretur, aut etiam eadem occaſione aliqui ex Iudæis à ſuſceptione legis D euangelicæ deterrerentur. Ob hanc igitur tam iuſtam cauſam, Apoſtoli & ſeniores, qui Hieroſolymæ conuenerant, inhibuerunt illa quatuor Gentilibus, vt facilius Eccleſia ex Iudæis & Gentilibus congregaretur. Non eſt autem dubium, Gentiles, qui illo tempore aliquod horum quatuor præteriiſſent, peccaſſe mortaliter. Nam hoc ex duabus vocibus, quæ in illo præcepto apoſtolico continentur, apertiſsimè conſtat. Primò enim dicunt Apoſtoli, eſſe onus tale præceptum Gētibus datum. Niſi autem obligationem per illud præceptum Gentibus expoſuiſſent, non rectè illud appellaſſent onus, quia non premeret ſuſtinentem. Deinde, dicunt illa quatuor eſſe neceſſaria. Sed conſtat illa non eſſe neceſſaria abſoluta neceſsitate: quia potuiſſent, ſi nollent præcepto obedire, contra omnia illa agere: ergo erant tunc neceſſaria neceſsitate finis conſequendi: ita vt ad gloriam aſſequendam eſſent neceſſaria, ſine quorum obſeruatione gloriam æternam aſſequi non potuiſſent. Tertium adhuc profero manifeſtiſsimum exemplum, vt in teſtimonio trium exemplorum veritas noſtræ ſententiæ fortiùs & apert

apert

A apertiùs comprobetur. Paulus apoſtolus præcepit virum fidelem manere cum vxore infideli, aut fidelem vxorem cum viro infideli, ſi alter coniunx infidelis nullum incommodum inferat fidei alterius, & velit cum altero fideli permanere: & ſi diſceſſerit infidelis nollens cum fideli habitare, dicit fidelem manere liberum ad ſuſceptionem alterius coniugis. Quod Pauli præceptum ſi quis fidelis nunc tranſgrediatur, diſcedens ab vxore infideli, quæ citra fidei periculum cum illo manere vult, & aliam duxerit, tota Eccleſia iudicabit illum peccare mortaliter, & eſſe ſemper in ſtatu damnationis, quouſq; ad priorem redeat vxorem. Hoc tamen præceptum nõ fuit à Deo datum, vt conſtat ex eo, quod Paulus hoc præcipiens, dixit. Dico ego, non dominus. Et hinc manifeſtiſsimè conuincitur, aliquam legem humanam, quatenus talis eſt, poſſe hominem illius tranſgreſſorem obligare ad pœnam æternam. *1. Cor. 7*

Octauò adhuc & vltimò, contra eandem Gerſonis opinionem argumentari poſſumus teſtimoniis plurimorum ſacrorum doctorum, qui contrariam in ſuis ſcriptis docent ſententiam. Hieronymus in commentariis ſuper B Eccleſiaſtem interpretans illud eiuſdem Eccleſiaſtes. Qui diſsipat ſepem, mordebit eum coluber. Hæc ait. Sepis autem maceriæ'que euulſio, eccleſiaſtica dogmata ſunt, & inſtitutio ab apoſtolis prophetíſque fundata, quæ qui diſſoluerit & voluerit præterire, in eo ipſo, quo negligit, à ſerpente percutitur. De quo ſerpente & in Amos ſcriptum eſt, ſi deſcenderint in infernum, mandabo ſerpenti & mordebit eos. Hæc Hieronymus. Et in epiſtola ad Bonifacium Comitem beatus Auguſtinus ait. Qui legibus Imperatorum, quæ pro Dei voluntate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande ſupplicium. Hæc Auguſtinus. Et beatus Damaſus ſummus Eccleſiæ pontifex ait. Violatores canonum voluntariè grauiter à ſanctis patribus iudicantur, & à ſancto ſpiritu, inſtinctu cuius ac dono dicati ſunt, damnantur: quia blaſphemare ſpiritum ſanctum non incongruè videntur, qui contra eoſdem ſacros canones non neceſsitate compulſi, ſed libenter (vt præmiſſum eſt) aliquid aut proteruè agunt, aut loqui præſumunt, aut facere volentibus ſponte conſentiunt. Hæc Damaſus, & citantur à Gratiano in cap. *Eccleſ. 10* *Hierony.* *Amos 9* *Auguſti.* *Damaſus.*

Viol

Chryſoſt. Violatores xxv. quæſt. j. Chryſoſtomus Homil. 34. ſuper C epiſtolam ad Hebræos ait. Malum quidem eſt vbi nullus eſt principatus, & multarum cladium hæc res exiſtit occaſio, & confuſionis eſt turbationiſque principium. Sicut enim ſi ex choro ipſum principem auferas, nequaquam modulatur chorus, vel ordinatus exiſtit: & phalanx militum ſi ducem non habeat, nullo modo numeroſè acies illa, vel ordinatè procedit:& nauis ſi gubernatore priuetur, peſſum eat neceſſe eſt: & gregi ſi paſtorem abſtuleris, cunctus diſpergetur & peribit. Malum igitur eſt vbi nullus eſt principatus, ſubuerſionis quippe hoc eſt argumentum. Malum autem eſt non minus & in obedientia eorum, qui reguntur à principe:idem malum quippe contingit. Populus enim ſi nõ obſequitur principi, ſimilis eſt populo principem non habenti, imò etiam deterior. Illi quidem ſaltem veniam habent, pro quo indiſpoſitè atque inordinatè verſantur, ſi quidem ordinatore priuati ſunt:hi autem veniam non merentur, quin etiam puniuntur. Hæc Chryſoſt. In quibus verbis id annotandum eſt, quod vltimò dixit, inobedientes veniam nõ mereri, quod de venia apud Deum, & non de venia apud homines habenda, eſt intelligẽdum. D Quoniam de illis, qui principe carent, dixit eos eſſe venia dignos: quæ venia ab homine dari non poſſet, cùm illi nulli homini ſubduntur, qui poſſet illis veniam condonare. Idem etiam apertiſsimè docent Theophilactus & Anſelmus, vt conſtat ex illorum Commentariis ſuper Paulum, quorum fragmenta ſuprà citauimus.

Hoc ſolum mihi iam ſupereſſe video, vt videlicet reſpondeam illis, quæ Ioannes Gerſon pro ſuæ opinionis probatione adducit. Primò quidem ſic arguit. Adimpletio diuinorum præceptorum ſufficit ſemper ad aſſequutionem vitæ æternæ: ergo ſola tranſgreſsio præcepti humani nunquam valebit hominem impedire ad eiuſdem vitæ conſequutionem. Conſequentia eſt manifeſta, & aſſumptũ probat per illud, quod ſaluator noſter à quodam interrogatus, Mat. 19. quid faciendo vitam æternam haberet, reſpondit. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Exponens autem, quæ eſſent mandata, ſolum enumerat præcepta Decalogi, & præceptum de dilectione proximi, quod eſt quaſi compendium quoddam & ſumma ſeptem præceptorum Decalogi. Hæc

autem

A autem enumerans, nullam prorſus mentionem fecit de obedientia ſuperioribus exhibenda: ergo ſine obedientia, imò cum inobedientia ſuperiorum, poterit homo vitam conſequi ſempiternam. Ad hoc argumentum reſpondeo, fatendo ſolam diuinorum præceptorum impletionem ſatis eſſe ad vitam æternã aſſequendam: nego tamen ſuperiorũ obedientiã nõ eſſe in aliquo præcepto Decalogi præceptam. Nam quartum illud præceptum Decalogi, quo Deus præcipit honorem parentibus eſſe deferendum, non ſolùm de patribus carnalibus, ſed etiam de ſpiritualibus intelligendum eſt. Prælati enim etiam patres vocantur: quia etſi carnem non generant, ad ſpiritualem tamen generationem aliquid velut Dei miniſtri operantur. Nam Paulus Corinthiis ſcribens, ait. In Chriſto Ieſu, per euangelium ipſe vos genui. Et Galathis ſcribens, filios eos vocat, ſic inquiens. Filioli mei, quos iterum parturio. Et Ioannes Apoſtolus eos, quibus ſuam primam canonicam epiſtolam ſcribit, ſæpiſsime filiolos vocat. Et Salomon in prouer. veteres illos ſapientes, qui veram doctrinam, qua poſteri docerentur, reliquerunt, patres poſteriorum ap- *1. Cor. 4.* *Galath. 4* *1. Ioan. 2. & 3.*
B pellat, ſic inquiens. Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui. Nam verba hæc interpretans Hieronymus, nomine patrum doctores Catholicos interpretatur, ſic inquiens. Ne tranſgrediaris terminos fidei, quos Catholici ab initio ſtatuerunt doctores. Hæc ille. Nomine autem honoris in illo quarto Dei præcepto, non ſolùm intelligitur cultus ille, qui ſignis quibuſdam exterioribus exhibetur, ſed etiã intelligitur ſubuentio, quã filij parẽtibus egẽtibus præbere tenẽtur. Hoc enim optimè annotauit Hieronymus in Commentariis ſuper 15. Matthæi caput. Intelligitur etiam nomine honoris obedientia, & meritò: quoniam qui patri non obedit, minimè illum honorat. Ideo Paulus admonens filios vt parentibus ſuis obediant in Domino, ad hoc perſuadendum, nihil aliud quàm præceptum de honore parentum adducit, & per illud videtur cogere filios ad obedientiam parentibus exhibendã. Sic enim in epiſtola ad Epheſios ait, Filij obedite parentibus veſtris in Domino: hoc enim eſt iuſtum. Honora patrem tuum, & matrem tuam. Ecce vides Paulum, argumento ex honore parentum ſumpto, præcipere filiis, *Prouerb. 22.* *Hierony.* *Epheſ. 6*

vt parentibus ſuis in domino obediant. Quæ Pauli verba C
non ſolùm de parentibus carnalibus, ſed etiam de ſpiri-
Hierony. tualibus intelligenda eſſe docet Hieronymus, qui in commentariis ſuper eandem Pauli epiſtolam, hæc ait. Ambiguè dictum, vtrum in Domino parentibus ſuis filii debeāt obedire: an certè parentibus ſuis filij obediāt in Domino. Quod vtrũq; faciendũ: vt & his parentibus, qui nos in Domino genuere, qualis fuit Paulus & Apoſtoli, obediamus, & ea faciamus, quæcũque præceperint: & parētibus noſtris, de quibus ſecundum carnem nati ſumus, obtemperemus in domino, implentes ea, quæ non ſunt Domini contraria voluntati. Hæc Hieronymus. Ex quibus omnibus manifeſtum relinquitur, diuinam legem tranſgredi filium, qui parenti obedire recuſat: quia Deus præcepit filiis, vt parentibus obedirent. Et inde etiam patet, quomodo filiorum inobedientia ſit peccatum, iuxta definitionem peccati quā
Auguſt. reddit Auguſtinus, ſic inquiens, Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Nam filius inobediens non ſolùm peccat contra præceptũ patris, ſed etiam contra legem Dei, quæ pręcipit parentibus obedire.

Secundò, argumentantur alij, qui Gerſonis opinioni D patrocinari conantur, teſtimoniis ſacræ ſcripturæ, & primò proferunt illud, quod Deus legem donās, ait. Non ad-
Deut. 4. detis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis. Qui hoc afferunt argumentum, hæretici ſunt moderni: qui plus probare nituntur quàm id, quod Ioannes Gerſon ſenſit. Hoc enim teſtimonio Lutherani putant ſe conuincere, nullas leges, nullóſque canones eſſe condendos, ſed ſoli legi diuinæ ſtandum eſſe. Ab iſtorum errore longiſſimè diſtat Ioannes Gerſon, qui leges humanas iuſtas laudat, & illis obediendum eſſe admonet, & in illarum obſeruatione meritum aliquod eſſe dicit, ſi propter Deum illis obediatur, quamuis dicat eas non poſſe illarum tranſgreſſores ad pœnam æternam obligare. Vt igitur hæreticis reſpondeam, dico illum eſſe intelligendum addere aliquid mandatis diuinis, aut alteri ſcripturæ ſacræ, qui dicit aliquid eſſe mandatum diuinum, quod verè non eſt, aut aliquā ſcripturam eſſe diuinā, quæ verè non eſt. At, qui ad meliorem præceptorum diuinorum obſeruationem, aliqua

præcip

A præcipit,nec tamen illa dicit eſſe diuina pręcepta, ſed humana: & ideo præcipi ab eo,non quia Deus ea præceperit: ſed vt melius ea,quæ Deus præcipit,obſeruentur, is nihil verè addit in diuinis:& ideo nec agit contra præceptum Dei præcipientis nihil ſuis mandatis eſſe addendum. Et hoc eſt quod Salomon in prouerbiis ait.Omnis ſermo Dei ignitus,clypeus eſt ſperantibus in ſe. Ne addas quicquam verbis illius,& arguaris,inueniariſque mendax. Ecce quã additionẽ prohibet eam ſcilicet,per quam aliquod falſum mendacium additur. Et huiuſmodi ſic addentibus ad diuina mandata,aut ad ſacras ſcripturas, eas deprauando, corrumpendo,detorquendo,prout hæretici facere ſolent,Deus minatur plagas diuerſas. Si quis,inquit ipſe,appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. His autem, qui addunt ſcripturis ſacris expoſitiones aut interpretationes, per quas melius illæ intelligi poſsint, aut diuinis mandatis addunt leges aut conſtitutiones, ad illorum meliorem obſeruationem promittitur vitæ æternæ præmium.

Prouerb. 30.

Appo. vl.

Tertiò,ſuam opinionem probare conatur Ioannes Gerſon per hoc,quod nulla humana poteſtas valet illi,qui eius legem fuerit tranſgreſſus,pœnam infligere æternam,& inde putat ille neceſſariò ſequi,nullam etiam humanam poteſtatem poſſe condere legem, quæ illius tranſgreſſorem obliget ad pœnam æternam. Quoniam (vt ille ait) nullus poteſt legem ſub aliqua pœna obligantem condere, niſi qui pœnã illam potuerit tranſgreſſoribus infligere.Et quia hoc eſt,illius iudicio,fortiſsimum argumentum, cui ille innititur ad ſuæ opinionis probationem, ideo illius infirmitatem & impotentiã apertè oſtendere volo,vt inde conſtet, ſuper quam debile fundamentum ſuam ſtabilierit opinionẽ.Nam apertè falſum eſt id, quod generaliter aſſumit,neminem videlicet poſſe cõdere legem obligantẽ ad aliquam pœnã,niſi qui pœnã illam potuerit tranſgreſſoribus infligere.Hoc enim dictũ in illis tantummodo veritatem ſortitur,qui propria & nõ aliena autoritate leges condunt. Et iuxta hunc modum ego etiam fateor, nullum hominem poſſe propria autoritate legem condere, obligantem illius tranſgreſſorem ad pœnam æternam. Et ob eandem cauſam, etiam nullus poteſt propria autori-

tate ſacramentum aliquod inſtituere, quia nullus homo C poteſt gratiam per ſacramentum deſignatam efficaciter alicui conferre. Illi verò, qui non propria, ſed aliena & ſibi ab alio delegata autoritate leges cōdunt, ſæpe ad pœnam obligant, quam ipſi minimè poſſunt ſuæ legis tranſgreſſori infligere. De qua re exempla aliqua, cùm in rebus ſacris, tum etiam in prophanis præſtare valemus. Aperta & ab omnibus Catholicis confeſſa eſt poteſtas, quam prælati eccleſiaſtici à Deo habent, conceſſam ad inferendum excō municationem contra peccatorem rebellem atq; protervum. Poteſt igitur prælatus aliquid lege præcipere, tali conditione, vt qui legem fuerit tranſgreſſus, ſit eo ipſo excommunicatus. Multi enim ſimiles canones ſunt in iure canonico, cùm tamen conſtet, effectū illius excommunicationis, qui inter alios eſt, hominem excommunicatum priuari multis & non contemnendis bonis ſpiritualibus, nullum hominem poſſe efficere, ſed ſolum Deum. Præterea ſacerdos rectè ordinatus, poteſt peccatorem ſibi ſubditum, D poſtquam illius audierit peccata, ab illis abſoluere. Per quam abſolutionem (vt verior Theologorum ſentētia docet, quam & ipſe Gerſon tuetur) ſacerdos pœnitentē à pœna æterna abſoluit, & eā in pœnam temporalem tanquam iudex præcipiendo commutat. Huius tamen abſolutionis effectum, ſacerdos ipſe præbere non poteſt: quia nō poteſt illum virtute & potētia ſua à pœna inferni eripere, nec pœnam temporalem, in quam commutauit æternam, illi infligere. Deinde ſummus pontifex ſæpe ob aliquam iuſtam cauſam cōcedit lege perpetua, vt quicunq; hoc aut illud fecerit, veniam pœnarum, quæ ſuis peccatis debentur, conſequatur. Ab hac tamen pœna, nō papa, ſed ſolus Deus efficaciter eripere poteſt. Sicut igitur homo poteſt legem condere liberantem à pœna, quam ipſe legiſlator virtute propria tollere non poteſt: quid obſtat, vt è contrario legem condere poſsit obligantem tranſgreſſorem illius ad pœnam, quam ipſe legiſlator infligere non poteſt, ſed ille ſolus, à quo poteſtatem talem legem condendi habuit? Accedit ad hæc, quòd ſimile aliquid in politia humana fieri experimur, vbi aliqui habent poteſtatem condendi leges, quæ tranſgreſſoribus illarum varias pœnas minantur, cùm tamen ipſi legiſlatores illas pœnas infligere non

valeant

A valeant. Intellexi enim ego ipſe Burgis in Flandria, quum illic per aliquot annos moram traherem, eum magiſtratum, qui Burgi magiſtri & Scabinorum nominibus comprehenſus, ad regimen illius inſignis oppidi à principe deputatus eſt, habere hanc à principe poteſtatem, vt quas viderint populo ſuo conducere leges, ſtatuere poſsint. Pœnas tamen corporales, quæ per leges illas ſunt contra illarum tranſgreſſores decretæ, ille magiſtratus non poteſt eiſdem tranſgreſſoribus infligere, neque hoc alicui illorum miniſtro mandare: ſed eſt quidam alius principis miniſter, vulgo dictus Scotetus, cuius officium eſt, eas corporales pœnas executioni mandare, quæ fuerint per magiſtratum decretæ. Magiſtratus itaque leges conſtituit, princeps tamen aut eius miniſter, pœnam mortis per legem decretam, tranſgreſſoribus infligit: quia hoc ciuitatis magiſtratui concedere noluit, ſed ſibi ſoli ſeruari decreuit. Simillimum eſt huic, quod de legibus humanis ad pœnam æternam obligantibus, hactenus diximus. Dedit Deus prælatis eccleſiaſticis & principibus ſecularibus poteſtatem condendi leges obligantes ad pœnam æternam,
B quamuis illis non conceſsit poteſtatem infligendi talem pœnam æternam, ſed eam ſibi ſoli ſeruauerit.

Quod tandem argumentatur per ſimilitudinem medici dicentis ægroto cibum aliquem eſſe mortiferum vt abſtineat ab eo, nihil certè ad id, quod intendit, valet. Fateor quidem ægrotum peccare mortaliter, comedendo cibum mortiferum, de quo fuerat à medico admonitus, & medicum ſuo pręcepto non obligare ſub pœna peccati mortalis ægrotũ, vt abſtineat à cibo mortifero. Et hoc euenit inde, quòd medicus non habet vim pręceptiuam erga ægrotum, ſed ſolùm virtutem & poteſtatem conſiliandi, & docendi illum quid agere debeat. Et ſi æger aliquid noxium contra medici conſilium fecerit, peccabit: non quia agit contra præceptum medici, qui illi præcipere non poteſt, ſed quia agit contra præceptum Dei, pręcipientis vt non occidamus nos ipſos, ſicut nec alios. Hoc tamen habet ægrotus à medico, quòd didicit ab illo, huius aut illius cibi eſum eſſe mortiferum, ac proinde lege diuina prohibitum: quod niſi medicus docuiſſet, ipſe prorſus ignorabat. Si aliqua eſt igitur ſimilitudo inter morbos corporis & animæ, medi-

cum corporalem cõparare poterimus viro docto, nullam C penitus iuriſdictionem aut poteſtatem ſuper virum idiotam habenti. Hic enim vir doctus admonens talem virum idiotã, vt abſtineat ab aliquo peccato mortali, quod ille ignorabat eſſe peccatum, non obligat illum ad mortalem culpam, quia iam ille erat à Deo obligatus ad illam ſi feciſſet, quamuis hoc ignorabat. Longè tamen aliter eſt in prælato, aut in principe ſeculari: quia hic non ſolùm habet poteſtatem ad conſiliandum, & docendum & admonendum: ſed etiam habet poteſtatem coactiuam & præceptiuam. Nam aliàs oporteret fateri, nullum ſuperiorem habere maiorem poteſtatem ſuper ſubditos ſuos, quàm habet vir doctus illos docens, aut admonens. Hoc autem quàm falſum ſit, nemo eſt ſanæ mentis, qui hoc non videat. Et inde apertiſsimè conſtat, malam eſſe ſimilitudinem inter medicũ corporalem & prælatum, circa ea, quæ ad ſalutem corporis ab vno dicuntur, & quæ ad ſalutem animæ ab altero præcipiuntur.

Quomodo poſſit cognoſci legem aliquam humanam obligare ad culpam mortalem.

CAPVT V. D

EX his, quæ in proximè præcedenti capitulo diximus, fortè aliquis rem malè intelligẽs, colliget omnem legem humanam obligare illius tranſgreſſorem ad culpam mortalem. Quiſquis autem ſic ſenſerit nõ minus erroneam tuebitur ſententiam, quàm illa Ioannis Gerſonis à nobis ſuprà enarrata. Nã ex hac ſententia apertè ſequitur, legẽ humanã maioris eſſe poteſtatis & fortioris vinculi, quàm ſit lex naturalis, aut lex diuina, quod nullus, niſi deſipere velit, dicere audebit. Quòd autẽ hoc inde ſequatur, ex eo apertiſsimè cõuincitur, quòd multa ſunt peccata, quę omniũ iudicio cẽſentur venialia, & illa neceſſe eſt dicere eſſe cõtra legẽ diuinã. Quoniã cùm illa nõ ſint lege aliqua humana prohibita, cõſequẽs eſt, vt ſi peccata dicẽda ſunt, cõtra legẽ diuinã eſſe dicãtur. Pręuari-
Ambroſ. cãtes (inquit propheta) reputaui omnes peccatores terræ.
Pſal. 118 At, præuaricatorẽ eſſe legis trãſgreſſorẽ, teſtatur Ambroſ. ſerm. xv. ſuper Pſal. 118. ſic inquiẽs. Præuaricator Latinè & tranſgr

A tranſgreſſor vocatur, eò quòd à lege Domini tranſeat ad errorem, & tranſgrediatur mandata cæleſtia, cui dictum eſt, vt adhæreat domino Deo ſuo. Hæc ille. Præterea, Auguſtinus peccatum definiens, dixit illud eſſe dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei: ergo peccatum veniale, aut non erit dicendum eſſe peccatum, aut neceſſariò oportebit fateri illud eſſe contra legem Dei. Rurſum, aliquæ ſunt leges diuinæ, quarum tranſgreſsio non efficit hominem culpæ mortali obnoxium: ergo non omnis humanæ legis tranſgreſsio obligat illius tranſgreſſorem ad culpam mortalem. Aſſumptum probatur: quia præter legem naturalem prohibentem mendacium, Deus lege ab eo data, & per miniſtrum eius promulgata, mendacium prohibuit, dicens. Non mentiemini, nec decipiet vnuſquiſque proximum ſuum. *Leuit. 19.* Conſtat autem non omne mendacium eſſe mortale. Conſtat etiam verbum purè otioſum eſſe ſolùm peccatum veniale, *Mat. 12.* quamuis lege ſua Deus decreuerit de omni tali verbo otioſo petere ab hominibus rationem. Cùm igitur ex his omnibus manifeſtum ſit, non omnes humanas leges obligare illarum tranſgreſſores ad culpam mortalem, ſicut
B nec omnes diuinæ leges obligant ad eandem culpam, operæpretium me facturum exiſtimaui, ſi oſtenderem quo pacto dignoſci poſsit, legem aliquam obligare ad culpam mortalem aut venialem. Quæ res cùm nimium varia ſit, non poteſt vnica & infallibili regula declarari, propter varias humanorum actuum circunſtantias, quæ ſæpe obligationem inducere, aut tollere poſſunt. Nam medici etiam propter eandem cauſam non poſſunt vnico & indubitato documento oſtendere omnes cibos, qui poſſunt homini mortem inferre corporalem. Aliquibus igitur documentis, ſed quantum potuero breuibus & apertis, rem hanc, iuxta ingenij mei tenuitatem, explicabo.

Primum documentum. Nulla lex humana iniuſta poteſt aliquem in conſcientia obligare. Hęc regula vel ex eo ſolo conſtat eſſe vera, quòd lõgiſsimè à ratione naturali diſtat, vt quis ad iniuſtum aliquid in conſcientia obligetur. Ad huius tamen regulæ clariorem intelligentiam, oportet inquirere, quæ lex iniuſta dicatur, quo ſufficienter intellecto, inde apertè colligetur, neminem ad illam poſſe obligari. *Documentum primum.*

A antè per legem ſuam ædificare volebat. Omnis igitur lex humana, quæ aliquid contra legem diuinam ſtatuit, ob defectum poteſtatis cenſebitur iniuſta: & per conſequens, nullius hominis conſcientiam obligare poterit. Vnde Bernardus epiſtola ſeptima, quæ eſt ad Adam monachum, ait. Mala imperantibus non eſt parendum, præſertim, dum prauis obtemperans imperiis, in quo homini videris obediens, Deo planè, qui omne, quod perperam agitur, interdixit, inobedientem te exhibes. Valde autem peruerſum eſt profiteri te obedientem, in quo noſceris ſuperiorem propter inferiorem, id eſt, diuinam propter humanam ſoluere obedientiã. Et aliquibus interpoſitis ſubdit. Facere malum quolibet etiam iubente, conſtat non eſſe obedientiam, ſed potius inobedientiam. Sanè hoc aduertendum, quòd quædam ſunt pura bona, quædam pura mala: & in his deberi hominibus obedientiam: quoniam nec illa omittenda ſunt, etiam cùm prohibentur, nec iſta, vel cùm iubentur, committenda. Hactenus Bernardus. *Bernar.*

Et inde deduco, vt is, contra quem aliquis mala fide præſcripſit, non amittat dominium rei præſcriptæ, quamuis
B authen. vt ſponſalitia largitas. §. rurſus. Collatione ix. concedat dominium eiuſdem rei ipſi præſcribenti, quoniam talis authen. vt capite ſecundo ſuperius admonuimus, eſt conra legem diuinam, quæ prohibet omnimodum furtum. Et inde vlterius infero, vt is, contra quem alius mala fide præſcripſit, ſi illi poſt talem præſcriptionem plenè conſtiterit de mala fide poſsidentis, poterit rem ſuam, vbicunque inuenerit, ſine culpa aliqua capere: & ſi illam non inuenit, poterit ſe ad æquiualens vendicare, ſi vtrunq; ſine ſcandalo facere poteſt, & malam alterius fidem apud iudicem nequit probare. Hoc corollarium probatur, quia rem ſuam apud alium detentam, quilibet poteſt ab iniuſto poſſeſſore cum prædictis conditionibus accipere. Ita enim docet Alexãder de Ales, in iiij. parte queſt. lxxxvj. membro primo, & Gulielmus Altiſiodorenſis in materia de reſtitutione, quæſtione v. Et idem ſentit gloſſa in cap. Ius gentium. diſtinctio. ij. in verbo, ſedium: & citat pro huius ſententiæ confirmatione cap. primum & ſecundum, xxiij. quæſtione ij. & legem, Ait prætor, in §. ſi debitorem. ff. de his quæ in fraudem creditorum. Et iuxta hunc *Alex. de Ales. Altiſiodorenſis.*

ſenſum dicit eſſe intelligenda, quæ dicunt nemini licere G
propria authoritate rem ſuam capere: vt dicitur in capit. Placui.xvj.quæſt.vj.& in l.extat.ff.quod metus cauſa.& in l.ſi quis in tantam.C. vnde vi. Et certè (vt ego ſentio) hæc iura ita decreuerunt, ad euitandum ſcandalum, quod paſſim euenire poterat, ſi quiſque rem ſuam propria authoritate recuperaret: ergo cùm id ſine ſcandalo fieri poterit, optimè fiet. Ex eadem principali regula infero, eum, qui in emptione aut venditione alium decepit, etiam citra dimidium iuſti precij teneri in conſcientia ad reſtituendum quidquid vltra iuſtum precium accepit, quamuis leges ciuiles talem deceptionem licitam eſſe dicant. l. in cauſæ. §. idem Pomponius. ff. de minoribus. & l. item ſi precio. §. quemadmodum. ff. locati & conducti. Probatur corollarium, quia talis legum licentia eſt contra ius diuinum & naturale, quod præcipit ſeruare æquitatem, & prohibet omnem in quocunque deceptionem.
Leuit.19. Non mentiemini, inquit Deus noſter, nec decipiet vnuſ-
1.Theſ.4. quiſque proximum ſuum. Et Paulus admonet, ne quis ſupergrediatur neque circumueniat in negotio fratrem ſuum: quoniam (vt ait) vindex eſt de his omnibus Do- D
Ariſtot. minus. Et Ariſtoteles quinto Ethicorum docet, ſeruandam eſſe æqualitatem in comertiis emptionis & venditionis, niſi fortè tam modicus ſit exceſſus, vt, quemad-
Scotus in 4.diſt.15. q.2.ar.2. modum dicit Scotus, præſumatur contrahentes ſibi mutuo condonare. Et ad capit. Cùm dilecti. de emption. & venditio. dico, quòd tollit actionem in foro exteriori parti deceptæ, nihil tamen in conſcientia concedit decipienti. Poteſt etiam lex humana iniuſta cenſeri propter ſolum poteſtatis defectum, etiam ſi nihil contra legem diuinam ſtatueret. Et hoc ſemper continget, quoties legiſlator maiore vtitur poteſtate, legem condens, quàm fuerit ſibi à ſuperiore commiſſa. Propter hanc cauſam, prælatus ordinarius ſubditum ſuum extra limites ſuæ iuriſdictionis degentem excommunicans, iniuſtè agit, & eius excommunicatio nulla cenſetur, vt habetur in capitulo, Vt animarum.§.ſtatuto, de conſtitutionibus libro ſexto. Eidem cauſæ & rationi innititur illa regula iuris, quæ habetur in capitulo. At ſi clerici. in principio de Iudi. Sententia non à ſuo iudice lata nulla eſt. Huiuſmodi enim

legiſla

A legiſlatori aut iudici aptiſsimè conuenire mihi videtur id, quod ait Paulus. Tu quis es, qui iudicas ſeruum alienum? Propter hunc poteſtatis defectum, multi Theologi cenſent iniuſtam fore legem humanam, quæ de actibus hominis interioribus, qui ſoli Deo patent, aliquid præciperet. Quoniam (vt aiunt) tales actus non ſubſunt iudicio humano, & inde conſequens eſſe arbitrantur, vt nullam ſupra illos habeat homo poteſtatem. Alter defectus, qui poteſt reddere legem iniuſtam, eſt defectus finis. Hîc tamen admonere oportet lectorem, vt intelligat, non omnem malum finem à legiſlatore intentum ſufficere ad reddendam legem iniuſtam. Si enim finis intentus non nocet reipublicæ, ſed eſt illi indifferens, & res, quæ per legem præcipitur, apertè cognoſcitur eſſe reipublicæ vtilis, quamuis legiſlator legem condens, malè agat, & peccet: lex tamen ab eo condita, nihilominus iuſta dicetur, ſi cætera adſint, quæ ad legem iuſtam neceſſariò exiguntur. Vt, gratia exempli, ſi princeps ad reprimendum effrænatum veſtimentorum luxum, legẽ ſtatueret, quæ pro varietate cuiuſq; ſtatus & conditio- Rom. 14.

B nis veſtimenta moderaretur, pœnam etiam moderatam legis huius tranſgreſſori, hac ſola intentione adiiciens, vt lucrum ſibi ex talibus pœnis pararet, vel vt vnum aut alterum ciuem, quem odio habet, hac poſſet occaſione punire, certum eſt principem, cùm legem hoc fine ſtatuat, peccare. Si tamen id, quod per legem illam decretum eſt, in vtilitatem reipublicæ vergere cognoſcatur, erit proculdubio lex illa iuſta cenſenda. Idem etiam contingeret, ſi pro vana gloria legem illam conderet, vel vt populus huius legis medio pluribus pecuniis abundans, facilius poſſet eidem principi ad bellum aliquod iniuſtum ſubuenire. Et in his omnibus, non obſtante malo principis fine, populus teneretur legi ſic ab eo ſtatutæ, propterea quòd iuſta eſt, obedire: quamuis ille talem legem condens, peccaret. Sicut vxor tenetur reddere debitum marito, qui ad ſolam libidinem ſuam explendam illud exigeret, quamuis ille ſic petens peccaret. Solus igitur ille malus finis obſtat, vt lex iuſta eſſe poſsit, per quem non communi reipublicæ, ſed priuatę vtilitati conſulit legiſlator. Tertius defectus, propter quem lex fieri poteſt iniuſta, eſt

eſt defectus formæ debitæ, quæ quidem forma conſiſtit in C hoc, vt ſeruetur æqualitas proportionis Geometricæ inter eos, quibus imponuntur onera propter bonum commune. Iniuſtum enim eſt, vt debiles & pauperes plus, aut tantum oneris pro bono communi ſuſtineant, quantum fortes & diuites ſubire poſſunt. Sed penſandæ ſunt prius cuiuſque vires, & iuxta cuiuſque potentiam onera illis erunt poſtea imponenda. Nam Deus ipſe totius iuſtitiæ fons, iuxta hanc rationem cuique neceſsitatem operum imponit, qui ab illo, qui multa poteſt, multa exigit: & ab eo, qui non niſi pauca præſtare valet, pauca etiam petit. Nam (vt bea-

Gregor. tus Gregorius ait) cùm augentur dona, rationes etiã creſcunt donorum. Eſt adhuc in ipſa forma aliud conſiderandum, vt videlicet ſit æqualitas inter onus ipſum, quod nouiter imponitur, & cauſam, propter quam onus imponitur. Alioqui ſi onus multum excederet cauſam, ob id ſolùm lex dicetur iniuſta ex defectu formæ. Vt, gratia exempli, ſi ob aliquam nouam & veram regni neceſsitatẽ principi occurrentem, nouum aliquod ſubditis princeps ipſe imponeret tributum, iuſtè faceret: ſi tamen tributum impoſitum ſit maius quàm vera regni neceſsitas exigat, in- D iuſta eſſet lex, per quam tale tributum imponitur, quia deficit forma, per quam non ſolùm ſunt onera inter ſubditos proportionaliter diſtribuenda, ſed onera ipſa ſunt etiam cum cauſa commenſuranda, ne maiora, quàm cauſa petit, imponantur. Et hoc probatur apertè per cap. Quia plerique, extra de immunitate Eccleſiarum, vbi taliter extorta vltra cauſæ neceſsitatem reſtitui mandantur, & tantundem vltra pauperibus dari. Propter hunc legis iuſtæ defectum, conſtat iniuſtam eſſe legem, quæ circa pauperum ſubuentionẽ in diuerſis Chriſtiani orbis prouinciis à paucis annis condita eſt. Lege ſiquidem ſtatuta decretum eſt ab illis, vt quæque ciuitas ſuos tantum ciues pauperes alat, & nullus pauper per varias ciuitates, aut diuerſa oppida vagari permittatur, ſed quenque ad ſuam ciuitatem redire, & intra illam ſe continere cogatur. Huius legis iniuſtitia inde apertiſsimè conuincitur, quòd neceſſe eſt, vt iſtius legis ordine ſeruato, onus ſubuentionis pauperum inæqualiter per ciuitates & oppida diſtribuatur. Conſtat enim aliquas eſſe ciuitates paruas, quæ plures intra ſe continent

paup

A pauperes, quàm aliæ ciuitates magnæ. Fiet ergo neceſſariò, iuxta illam legem, vt centum diuites, qui in ciuitate aliqua parua degunt, cogantur alere quingentos pauperes, qui in illa morantur: cùm tamen quingentis diuitibus, qui in alia ciuitate habitant, non incumbat fortè niſi centum pauperibus ſubuenire. Quo eueniente, prout ſæpiſsimè euenit, aperta committetur iniuſtitia propter inæqualitatem oneris per varias ciuitates diſtributi. Si tamen contingeret tantam pauperum multitudinem ad ciuitatem aliquam propter diuitiarum famam confluere, vt illa ciues ſuos pauperes, ſimul cum forenſibus alere non poſſet, tunc iuſtè poſſet aditum forenſibus pauperibus interdicere, aut certum aliquem numerum præfigere, quem ciuitas poſſet ſimul cum ſuis ciuibus pauperibus alere. Nulla enim ratio patitur, vt propter alendos pauperes forenſes, negentur neceſſaria alimenta pauperibus ciuibus. Si verò vtroſque ciuitas alere poſſet, iniuſtum eſſet aditum forenſibus præcludere & interdicere. Ex eadem ratione conuincitur, iniuſtum eſſe modum, qui in aliquibus ciuitatibus & oppidis Hiſpaniæ, præſertim regni Caſtellæ, nuper inuen-
B tus eſt, ad ſoluendum Regi ordinarium tributum illi debitum, quod in lingua Hiſpana dicitur, Pecho. Tale enim tributum diuidi ſolet per capita domorum omnium cuiuſque oppidi, nobilibus & clericis tantùm exceptis: & iuxta proportionem diuitiarum, quas quiſque poſsidet, diuiditur tributum, quod ab ipſo oppido exigitur. Sed quia in tali tributi diuiſione nõ ſemper debita, ſeruabatur proportio, plus exigendo ab eo, qui parum poterat, & minus ab eo, qui multum: ideo in aliquibus oppidis excogitatus eſt alius modus ad prædictum ſoluendum tributum, in quo eadem iniuſtitia occultatur. Statuitur nanque in prædictis oppidis quoddam extraordinarium tributum, quod in lingua Hiſpana dicitur, Siſa. Et eſt aliquid certum additum vltra precium taxatum pro libra carnis aut piſcis: ita vt quilibet emens res illas, aut alias ſimiles, teneatur dare aliquid certum vltra precium pro rebus illis à populo conſtitutum. Precium taxatum accipit venditor, qui eſt dominus rei, illud autem ſuper additum ſeruatur ab eodem venditore ad ſoluendum tributum, quod regi debetur. Hic modus diſtributionis ad ſoluendum tributum,

conuincitur eſſe iniuſtus ex his, quæ ſuprà diximus: quo- C
niam iuxta illum nō ſeruatur æqualitas proportionis, quæ debet eſſe inter tributum, quod redditur, & facultatem reddentis. Nam artifices mechanici, vt ſutores, ſartores, & alij ſimiles, quamuis paucas aut mediocres habeant diuitias, ſæpe habent multò maiorem familiam, quàm alij ciues multò ditiores. Quia pro arte mechanica, quam exercent, oportet illos habere multos operarios, quos domi alere tenentur. Et inde ſequitur, vt multò plures carnes & piſces emere cogantur, quàm alij ciues, qui ſunt multò ditiores. Ex quo apertè conuincitur, vt iuxta prædictum modum diſtributionis, neceſſarium ſit illos, quamuis pauperes ſint, multò maius tributum reddere, quàm alij, qui ſunt valde diuites. His igitur omnibus ſic declaratis, dico, omnem legem, quæ aliquē horum defectuum patitur, eſſe iniuſtam, ac proinde nullius hominis conſcientiam ad illius obſeruationem obligari. Et idem prorſus dicendum erit de particulari quocunque ſuperioris mandato, ita vt nullus inferior teneatur illi obedire, ſi illius mandatum propter aliquem defectum conſtiterit eſſe iniuſtum. Hoc tamen hac conditione intelligendum eſſe volo, niſi fortè D
ex eo, quod legi aut particulari præcepto non obeditur, graue aliquod oriretur ſcandalum. Nam in multis caſibus expedit legi iniuſtæ, aut præcepto iniuſto obedire, propter ſcandalum euitandum. Vt, gratia exempli, ſi princeps tributum aliquod apertè iniuſtum ſubditis imponeret, poſſet ſubditus, ſi abſque ſcandalo hoc facere valet, principi tributum negare, vt notant Doctores poſt Bartolum in capit. primo de conſtitutionibus. Si tamen id citra ſcandalum negare non poteſt, expedit magis tributum quamuis iniuſtum ſoluere, quàm ſcandalum ſuſcitare. Et in hoc caſu intelligendum eſt, quod ait Ambroſius in capit. Si tributum. ij. quæſtione prima. Quia etiam ſi nullum eſſet tributum à principe impoſitum, teneretur quilibet ciuis diuitiarum ſuarum partem, & fortè aliquando eas omnes expendere ad tollendum graue regni aut ciuitatis ſcandalum, præſertim ſi illud aliter tolli nō poſsit, niſi per talium diuitiarum oblationem. Nam hac aut alia ſimili tam arcta neceſsitate vrgente, præcipit ſaluator noſter vnicuique vt iuri ſuo cedat, ſic inquiens. Qui vult te-
Matth. 5 cum

A cum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & quicunque te angariauerit mille paſſus, vade cum eo alia duo. Ad eundem modum etiam dico eum, qui iniuſtè incarceratus eſt, poſſe abſque culpa mortali carceres frangere vt exeat, ſi aliter exire non poteſt. Quoniam præcepto iniuſto aut legi iniuſtæ (vt diximus) nullus parere tenetur, ergo poterit contra illius iniuſtum præceptum à carcere exire. Nec ipſa carceris effractio illi poterit ad culpam imputari, ſi aliter exire non poteſt. Quoniam vim vi repellere, omnia iura concedunt: vt dicitur in capit. Significaſti, extra de homicidio. Et in capit. Si verò, de ſententia excommunicationis. Iniuſta autem carceris detentio, eſt manifeſta violentia: ergo licebit illam per aliam violentiam repellere. Et confirmatur, quia quilibet poſſet domum latronis, vbi violenter ab illo detineretur, effringere, ſi aliter exire non poteſt: ergo etiam poterit carcerem, in quo iniuſtè detinetur, frangere, ſi aliter exire non valet. Conſequentia iſta inde conſtat eſſe bona, quòd principes aut iudices iniuſtè & per violentiam populum opprimentes, velut latrones
B apud Deum exiſtimantur. Principes tui (inquit Deus ad ciuitatem Hieruſalem) infideles, ſocij furum. Et per alium *Eſaye 2*
Prophetam iterum ait. Principes eius in medio illius, *Ezec. 22*
quaſi lupi rapientes prædam ad effundendum ſanguinem. Ergo ſicut domum latronis, in qua quis per violentiam detinetur, poteſt effringere, quando aliter exire non valet, ita etiam poterit carcerem, in quo iniuſtè detinetur, frangere, ſi alius illi non patet exitus. Sed hoc (vt iam diximus) tunc ſolùm facere licebit, quando graue ex hac re non immineret ſcandalum, aut magna turbatio. Quoniam tunc etiam ſi carcerem inueniret apertum non liceret exire. Nam propter hanc cauſam (vt ego exiſtimo) Paulus & Sylas, cùm carce- *Act. 16*
rem, in quo iniuſtè tenebantur incluſi, Deo operante ſemel inuenirent apertum: & ſecundò iterum ex magiſtratus præcepto cuſtos occultè aperiret, noluerunt exire, ne inde occaſionem aliis præberent, putandi eos iuſtè fuiſſe in carcerem coniectos, & timore fugiſſe à carcere, propterea quòd falſa prædicaſſent. Ideo libentius carcerem elegerunt, vt ſic ſuam innocentiam

prob

probarent, & ſuæ doctrinæ veritatem confirmarent. Eodem modo dicendum eſſe cenſeo de illo, qui per falſa teſtimonia damnatus eſt ad alicuius rei poſſeſsionē relinquendam, qui nequaquam iudici in conſciētia obedire tenetur. Quoniam talis ſententia licet ſit iuſta ex præſumptione, qua præſumitur teſtes vera dixiſſe, aut inſtrumenta fuiſſe vera: tamen ſentētia in rei veritate non fuit iuſta, quia cùm teſtimonium verum ſit quædam iuſtitiæ pars, conſtat ex falſitate teſtimonij illam fuiſſe iniuſtam. Sententia autem, quæ ex ſola præſumptione cenſetur iuſta, non inducit naturalem obligationem, niſi veritas præſumptioni conueniat: vt docet Abbas in capit. primo de conſtitutio. Et inde ſequitur vt is, cui talis iniuſtitia eſt manifeſta, non teneatur illi citra ſcandalum in cōſcientia obedire. Et inde vlterius ſequitur, vt qui per talem ſentētiam iniuſtam fuit re ſua priuatus, ſi aliter non poteſt damnum ſibi illatum reſarcire, poterit ab illo, qui per iniuſtam ſententiam rem ſuam abſtulit, tantundem clanculo ſurripere, quātum fuerat ab eo iniuſtè ſublatum. Multa alia corollaria poſſent ex hac regula deduci, quæ propter prolixitatem vitandam prudenti lectori dimitto.

Panorm.

C D

Documētum ſecundum.

Secundum documentum. Nulla lex humana quantumlibet iuſta ſit, obligare poteſt illius tranſgreſſorem ad culpam mortalem, niſi ſit circa materiam talem, quæ poſsit ſufficientem cauſam præbere ad iniungendam talem obligationem. Hæc regula euidenter probatur, quia legiſlator nihil ſine legitima cauſa & ratione præcipere poteſt: alioqui (vt Ariſtoteles docet quinto & octauo Ethicorum) cenſetur tyrannus. Nam (vt dicitur in Clementina, Paſtoralis, de re iudicata) princeps non poteſt ſine cauſa legitima rerum dominia ab vno tollere, & alteri dare. Et inde ſequitur etiam, vt aliud ſimile ſine iuſta cauſa præcipere non poſsit. Quod autem dicitur in l.j.ff.de conſtitutionibus principum, quod principi placuit legis habet vigorem, intelligendum eſt, ſi iuſta adſit voluntatis cauſa, aliàs ſola voluntas principis ſine cauſa legitima non poterit aliquem in conſcientia obligare. Quod verò dicit gloſſa in l.relegati.ff.de pœnis, magnam eſſe rationem in principe ſolam eius voluntatem ſi aliquid veritatis habet, in foro exteriori tantùm illud veritatem habere cenſeo. Ita vt à principe

Ariſtot.

non

A non ſit ratio legis ab eo ſtatutæ petenda, ſed ſola eius voluntas pro ratione ſufficere debeat. Quia ſemper præſumendum eſt pro principe, nihil illum ſine cauſa & ſine ratione facere. Aliud tamen in foro conſcientiæ eſt neceſſariò dicēdum: quia ibi non præſumptioni, ſed veritati ſtandum eſt, quando illa cognoſci poteſt. Poteſt adhuc illa ſecunda regula nunc proximè à nobis data probari ex ratione naturali, quia longiſsimè à ratione naturali diſtat, vt de quacunque re leuiſsima poſsit ab homine ſtatui lex, aut dari præceptum obligans illius tranſgreſſorem ad mortalem culpam. Quoniam ſi ita res haberet, multo maior & crudelior eſſet politiæ ſpiritualis ſeueritas, quàm politiæ corporalis: & peior atque miſerior eſſet animæ in hac vita ſubiectio, quàm corporis. Nam lex humana in corporali & mundana politia non poteſt pro aliqua leui culpa hominem ad mortē corporalē obligare: ergo in politia eccleſiaſtica & ſpirituali nō poterit lex pro qualibet etiā leui culpa hominē ad mortē ſpritualē ordinare. Cōſequentia iſta probatur authoritate Auguſtini, qui libro xxj. de Ciuitate Dei, capit. xj. mortem ſpiritualem in politia ſpirituali cō-
B parat ad mortem corporalem in politia mundana, ſic inquiens. Quod eſt de iſta ciuitate mortali homines ſupplicio primæ mortis, hoc eſt, de illa ciuitate immortali homines ſupplicio ſecūdæ mortis auferre. Hæc Auguſt. Sicut ergo in politia mūdana nulla lex morte punit aliquē niſi pro graui principis aut reipublicæ offenſa, vt eſt crimē leſę maieſtatis aut crimen hæreſis, aut graue furtum, aut homicidium, aut aliquod aliud ſimile peccatum: ita etiam nulla lex poterit aliquem obligare ad mortem ſpiritualē niſi pro re magni momenti: quæ ſcilicet valde Deum aut proximum offenderet. Et huic ſententiæ fauet Richardus de ſancto Victore in tract. de differentia peccati mortalis & venialis: qui peccatum mortale per diſtinctionem definiens, hæc ait. Mortale peccatum, quantum mihi videtur, triplici ratione diſtinguitur. Mortale eſt, quod à quouis non poteſt committi ſine graui corruptione ſui. Item mortale eſt, quod non poteſt committi ſine graui læſione proximi. Mortale nihilominus, quod non poteſt committi ſine magno contemptu Dei. Cætera verò omnia videntur mihi venialia. Hæc Richardus. In quibus

Auguſt.

Richard. de ſancto Victore.

verbis id potiſsimum aduertendum eſt, iuxta illius ſenten C
tiam, grauem ſemper oportere eſſe rem, & vehementer aut noxiam aut offenſiuam, circa quam peccatum poſsit mortale cõmitti. Modicam & leuem proximi offenſionem prout eſt leuiſsima iniuria, aut leuiſsimum furtum, aut leuis percuſsio à leuiſsima ira procedens, dicit non eſſe peccatum mortale, ſed veniale. Ex hac regula infero, multas eſſe leges in iure ciuili, quæ obligare non poſſunt illarum tranſgreſſores ad peccatum mortale: quia res, circa quas verſantur, & de quibus diſponunt, non ſunt tanti momenti, nec ſunt reipublicæ tam neceſſariæ, vt propter illarum omiſsionem iuſtè debeant homines mortem incurrere æternam. Ex hac regula conuincitur peſsima ignorantia & craſſa aliquorum prælatorum, præſertim religioſorum, qui putãt ſe poſſe ſubditis ſuis quidquid voluerint cum obligatione ad culpam mortalem præcipere. Et ex craſſa ignorantia euenit, vt ſæpe præcepta præceptis addant innumera, & pro leuiſsima cauſa, quæ parum aut nihil ad religionis obſeruationem faciat, obedientiæ neceſsitatem iniungant. Summa enim fatuitas eſt, ſi prælatus putet ſe poſſe ſubditos obligare ad culpã morta- D
lem, propter ſolam ſilẽtij violationẽ, aut propter tardum ad miſſam acceſſum, aut propter ſolam vnius lactucæ ſine licentia manducationem, aut propter aliam ſimilẽ leuem cauſam. Hæc enim omnia & his ſimilia, ex ſe, & ex natura ſua non ſunt tanti valoris, nec illarum ſimplex omiſsio poteſt tam grauiter religioni nocere, vt propter illa ſit meritò religioſus ad mortem æternam obligandus. Poſſet tamen his paruis rebus talis circunſtantia & tam grauis coniungi, vt puta graue ſcandalum religionis, aut magna occaſio tranſgreſsionis votorum regulæ ſuæ profeſsionis, quòd meritò poſſet prælatus res illas ſub interminatione gehẽnæ prohibere. Non quidem propter res ipſas, quæ re vera tanti meriti non ſunt, ſed propter grauem circunſtantiam illis ex accidenti coniunctam. Illis autem prælatis, qui paſsim & de rebus leuibus præcepta cum neceſsitate obedientiæ imponunt, conuenit apertiſsimè id, quod Deus per Ezechielem prophetam olim Iudææ
Ezech.34 paſtoribus & prælatis dixit. Cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia. Et illud ſaluatoris noſtri.
Matt.23
Impon

A Imponunt onera grauia & importabilia. Nonne onus eſt graue & importabile, pro modica & leuiſsima re paſsim iniungere præcepti neceſsitatem ſub interminatione gehennæ?

Tertium documentum. Si lex aliqua iuſta obligat illius tranſgreſſorem ad culpam mortalem, propter iuſtam cauſam, quæ tunc aderat, ceſſante tali cauſa ceſſabit talis obligatio ad culpam mortalem. Vt, gratia exempli, ſi propter graue ſcandalũ, quod inde veriſimiliter timetur, præciperet prælatus ſub obligatione ad culpam mortalem, ne aliquis religioſus accedat ad ortum communem conuentus, aut ne accedat ad talem aut talem ſecularis hominis domum, etiam ſi cum licentia ſua exierit extra cõuentum, aut ne cum tali aut tali perſona loquatur, quoties ſcandali occaſio manet, ipſa etiã obligatio ad culpam mortalẽ manet. Si verò ſcandali occaſio eſt prorſus ablata, tunc obligatio præcepti ad culpam mortalem erit penitus nulla, etiam ſi ipſe prælatus non reuocauerit præceptũ ſuum, ſed velit adhuc manere cum eadẽ obligatione, qua prius. Probatur hoc documentũ, quia ſi à principio, quãdo tale dedit B præceptũ, nulla ſcandali occaſio, aut alia ſimilis juſta cauſa fuiſſet, non potuiſſet (vt in ſecũdo documẽto diximus) per præceptũ ſuũ obligare ad culpã mortalem: ergo nec etiam modò poteſt obligare, quãdo ea quæ fuit iuſta cauſa, ceſſauit. Conſequẽtia patet per id, quod dicitur in regula iuris. Omnis res per quaſcũq; cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur. Sed obligatio ad culpã mortalem orta eſt, propter ſolam occaſionem ſcandali vitandam, ergo illa occaſione prorſus ablata, talis obligatio ad culpam mortalem protinus diſſoluetur. Et expreſsius probatur per id, quod dicitur in cap. Cum ceſſante, extra de appellationibus. Ceſſante cauſa, ceſſat effectus. Sed potiſsima & principalis cauſa inducendi obligationem ad culpam mortalem, fuit occaſio ſcandali, ergo illa cauſa ceſſante, etiam ceſſabit obligatio ad culpam. Nec refert an lex exprimat ipſam cauſam motiuam, an illam ſubticuerit, quia ſi cauſa ipſa potuerit taliter cognoſci quod indubitata ratione cognoſcitur eſſe illa & non alia, idem erit dicendum, ac ſi illa apertè exprimeretur. Ita docet Panormi. in cap. Quia pleriq;. de immunitate eccleſiarum, & citat pro ſe Cyn. in l. non dubium.

Documẽtũ tertiũ

Panorm.

C.de legibus.& Bald.in l.Maximum vitium. C.de liberis C præteritis.Et videtur mihi ad huius ſentētiæ probationem poſſe adduci argumētum ex capitulo, Poſt translationem, extra de renuntiatione,Nam in illo capitulo citatúr quoddam decretum concilij Conſtantinopolitani, in quo decreto cùm nulla referatur illius cauſa, tamen Innocentius tertius cauſam decreti ex veriſimilibus rationibus in illo cap.coniiciens, declarat illam in caſu illius capituli ceſſare, ac proinde illius concilij decretum in illo caſu non obligare. Sed in hac parte neceſſarium cenſui admonere lectorem, ne facilè iudicet cauſam legis aut præcepti motiuam ceſſaſſe,vt inde putet ſe non teneri ad legis aut præcepti obligationem. Quoniam ſæpe contingit partem cauſæ ceſſare,& non totam cauſam; vt autem legis obligatio ceſſet,non ſatis eſt partialem cauſam ceſſare, ſed opus eſt vt tota cauſa ceſſet,niſi fortè partialis cauſa talis eſſet, quòd ſolùm ab illa legis aut præcepti obligatio pendebat: ita vt omni alia ſecluſa, illa per ſe ſufficeret inducere obligationem, & ſine illa nulla alia hoc facere poſſet. Et hinc oritur, vt licet aliquis per virtutum exercitia carnem ſuam plenè ſubieciſſet ſpiritui, nihilominus ad ecclesiaſtica ieiunia obſeruanda teneretur. Quia repreſsio D carnis non eſt ſola cauſa,propter quam indictum eſt ab Ecclesia ieiunium, ſed ſunt aliæ, vt puta eleuatio mentis in Deum, augmentum meriti & præmij, quæ ſatis ſunt ad obligationem ieiunij imponendam.

Ex hac tertia principali regula infero multa tributa,quę olim in cōſcientia debebantur,nunc in cōſcientia nō deberi,quāuis lege adhuc manēte talia tributa exigantur. Hoc corollarium probatur manifeſtè per hoc,quòd circa multa tributa,quæ in variis prouinciis & regnis à diuerſis principibus exiguntur,nō extant illæ iuſtæ cauſæ,propter quas cōſtat talia tributa fuiſſe olim impoſita:aut ſi illę iuſtę cauſæ extant,ipſi tamen,qui tributa exigunt,non præſtant id, propter quod conſtat talia tributa fuiſſe à principio conceſſa. Vnum ex multis,quæ communi doctorum ſententia requiruntur ad tributū iuſtum imponendum,eſt iuſta cauſa,quæ ſit communis & nō priuata. Alioqui ſi pro vtilitate priuata imponeretur,pura tyrannis diceretur. Si aliqua iſtarū cauſarum adſit,iuſtè poteſt ab imperatore aut à rege

tribut

A tributum moderatum imponi,cauſa tamen ceſſante, tributum iniuſtè exigetur. Vt gratia exempli, ſi ad conſtructionem pontis,aut murorũ ciuitatis , aut alicuius arcis ad tutelã regni neceſſariò tributum imponatur, conſummatis huiuſmodi ædificiis,non poterit iam illud tributum exigi. Si pro maris tutela & defenſione imponatur à principe tributum pro expenſis faciendis,vt ſecuri ſint à piratis nauigantes,non poterit poſtea tributum illud exigere, ſi piratis exiſtentibus, ipſe nullam præbet nauigantibus contra piratas defenſionem. Quia ceſſante iuſta cauſa,propter quam conſtat impoſitum fuiſſe tributum, oportebit ceſſare tributum. Si verò piratæ non eſſent, quamuis princeps nullum laborem nullãſque expẽſas maris tutelæ tribuat, poterit nihilominus rex tributum conſuetum & huic rei deſtinatum exigere,ſi ille paratus eſt quoties opus fuerit, nauigantes à piratis tueri. Et iuxta hunc modum dicẽdum eſt in reliquis omnibus tributis,quorum impoſitionis cauſa cognoſcitur eſſe iuſta,ita vt illa protinus ceſſante, ceſſet etiam iuſti tributi obligatio. Et tunc poterit ſubditus ſine vllo peccati ſcrupulo principem de tali tributo fraudare,
B non obſtante lege per eum lata de tali tributo ſoluendo. Hoc expreſsè docet Abbas in cap.j.de conſtitutionibus,& citat Bartolum idem dicentẽ in l.vectigalia. ff.de Public. Et ratio eſt manifeſta,quia ceſſante iuſta cauſa tributi,ceſſat etiã obligatio ad parendũ in cõſcientia legi præcipiẽti illud ſoluere:niſi forte propter ſcãdalũ euitãdũ(vt in declaratione primæ regulæ dixi)ad illud ſoluendum teneretur.

Quia in duabus regulis proximè præcedentibus, diſſeruimus de lege humana iuſta,& de re minus graui ſtatuente,nunc ſupereſt vt de lege humana & de re graui aliquid decernente diſſeramus,de qua quartum aſsigno documentum,quod tale eſt.

Lex humana iuſta & de re graui aliquid ſtatuens, obligat illius trãſgreſſorẽ ad culpã mortalẽ aut venialẽ, iuxta variã legislatoris voluntatẽ,quæ ex variis ipſius legis verbis cõiici poteſt,& nõ aliunde:niſi fortè ipſemet legislator poſſet de hac re cõſuli,& ſuã voce exprimere voluntatem. *Documẽtũ quartum.* Prima huius regulæ pars conſtat ex ipſa legis definitione, quam in primo huius operis capite dedimus. Nam(vt loco illo diximus)ex ipſa legislatoris volũtate pẽdet legis obli-

gatio,ſi cætera adſunt,quæ in regulis præcedentibus diximus eſſe neceſſaria ad obligationẽ inducendam. Si ipſe legislator non intendit obligare ad culpam, etiam ſi verba ipſius legis videãtur inducere obligationem,nunquam lex illa virtute ſua tranſgreſſorem illius obligabit ad culpam, ſed ſi ſubditus obligatur,erit ratione conſcientiæ ſuæ,quæ iudicat illic eſſe culpæ obligationem,quamuis re vera non ſit. Sed in tali caſu,vbi legislator non intendit ad culpam obligare, oportet vt hanc verbis apertiſsimis exprimeret intentionem,ne fortè aliqui ob verborum ambiguitatem malè legem interpretẽtur,& putent culpam eſſe,vbi culpa non eſt. Ideo ad hos ſcrupulos euitãdos,cautè & prudenter prouiſum eſt in ſtatutis fratrũ Minorũm,& fratrum Prædicatorum,nullam per illa ſtatuta induci obligationem ad culpam,præter illam,quæ ex iure diuino aut iure naturali fuerit aliâs inducta. Ad eundẽ modum dicendum eſt in excommunicationibus,quæ inferuntur, ita vt ſi ſuperior aliquis prælatus præciperet aliquid ſub pœna excommunicationis eo ipſo incurrẽdę,intentionẽ tamen excõmunicandi non habens,quãuis ſubditus præceptũ huiuſmodi tranſgrederetur,& exiſtimaret prælatũ habuiſſe intentionẽ excommunicandi,nullã tamen propter hoc incurreret excõmunicationem. Et fortè circa excõmunicationes inferendas ſæpe ita facere oporteret, vt ſolũ ad ſubditorũ animos timore excommunicationis coërcẽdos,excõmunicatio ſolis verbis ſine intentione ligandi inferretur. Quoniam talis(vt dixi) etiam ſi putaret cũ plena intentione ligandi fuiſſe illatam excommunicationẽ,nunquã tamen ob hoc erit excõmunicatus. Et inde colligitur latũ eſſe diſcrimẽ inter conſcientiam errantẽ circa obligationẽ ad culpam,& conſcientiam errantem circa excommunicationẽ. Quia ex errore conſcientiæ de obligatione ad culpam,oritur culpa,quę errore ſecluſo nõ eſſet,ex errore autẽ de ſola impoſitione excommunicationis non oritur excommunicatio. Cauſam huius diſcriminis facilè quiſq; intelliget,ſi prius rectè cognouerit vnde prouenit, quòd agens cõtra conſcientiã erroneam peccet. Non enim oritur hæc obligatio ab ipſa conſcientia tanquam à prima & totali huius obligationis cauſa: quia tunc,ſicut faciẽdo bonum,quod credit eſſe malum,peccat: ita è contrario faciendo malum, quod credit eſſe bonum, rectè

A recté ageret. Hoc autem eſſe manifeſtè falſum, apertè conuincitur per id, quod Dominus prope mortem ſuam apoſtolis prædixit. Venit hora, inquit ſaluator noſter, vt omnis qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo. Conſtat autem illos ſic arbitrantes peccaſſe, tantum abeſt, vt opus illorum fuiſſet cenſendum bonum. Satis ſupérq; tribuimus ignorantiæ, ſi concedimus illam excuſare à culpa. Non eſt tamen illi tantum tribuendum, vt quod aliàs malũ fuiſſet, ſola ignorantia valeat reddere bonum. Potiſsima igitur ratio, vnde illa obligatio ad culpam oritur in eo, qui agit contra conſcientiam erroneam, eſt contemptus Dei. Nam qui facit id, quod errore deceptus putat eſſe contra legem Dei, eo ipſo Deum quodãmodo contemnere videtur: & ideo peccat propter ſolum cõtemptum Dei, ſaltem interpretatiuũ, quem ſic operans habet. Ita docet beatus Thomas in j.ij.q.xix.artic.v. in reſponſione ad tertium principale argumentum. Eidem in hac parte conſentit ſanctus Bonauentura in ſecundo ſenten.diſt.xxxix. arti.j.q.iij. Hoc iacto fundamento, facile eſt videre diſcrimen: quia contẽptus Dei ſufficit obligare contẽnentem ad *Ioan. 16.* *S. Thomas.* *S. Bonauentura.*

B culpam mortalẽ, & non ſufficit ſe ſolo reddere excõmunicatum. Non enim omnis qui Deum contemnit, eſt eo ipſo excõmunicatus, ſicut eſt eo ipſo culpę mortalis reus. Verùm etſi non ſit excõmunicatus, propterea quod facit opus, cui falsò putat eſſe annexam excõmunicationem, tamen erit obligatus per ſuam conſciẽtiam erroneam, vt abſtineat ab his, à quibus excommunicatus abſtinere tenetur. His igitur ſic concluſis, ad noſtræ diſputationis caput orationem reducens dico, ex ſola legislatoris intentione pendere legis iuſtæ obligationem ad culpam. Hæc autem intentio vix alio modo quàm per verba legis poteſt agnoſci, niſi fortè ipſemet legislator poſſet conſuli, vt ſuam voce exprimeret voluntatem. Conſequens igitur eſt, vt verba legis diligenter ſcrutemur, ſi ſcire volumus plenam legis virtutem & poteſtatem, an ſcilicet illa obliget illius tranſgreſſorem ad culpam mortalem, an ad ſolam venialem. Sed certè (vt verum fatear) ex ſola verborum legis conſideratione, nullus poterit hanc legis virtutem exactè agnoſcere: quia non omnes legislatores, cùm leges condunt, vtuntur eadem verborum proprietate, & ſtricta illo-

rum ſignificatione. Nam eo verbo, quo frequenter omnes vti ſolent, ad deſignandam obligationem ad culpam mortalem, aliqui vſi ſunt ad ſolam culpam venialem manifeſtandam. Alij verò è contrario, culpæ mortalis obligationem eo verbo ſignificare voluerunt, quo in communi vſu nulla, aut ſaltem ſola venialis, ſolet culpa deſignari. De qua re (vt alia multa omittam) eſt apertum exemplum in cap. Rogo. xj. quæſtio. iij. vbi illud verbum, Rogo, (vt gloſſa illic annotat) ponitur ad præcepti neceſsitatem deſignandam. Et è contrario hoc verbum, Mando, in capit. Guiliſarius. xxiiij. quæſtione iij. non præcepti neceſsitatem: ſed, iuxta illius gloſſæ ſententiam, ſolam exhortationem ſignificat. Cùm igitur non ſint per legem præfixa & declarata omnia verba, quæ obligationem ad ſolam culpam mortalem ſignificare poſſunt, aliqua, quæ ex iure colligi poſſunt, explicare decreui. C

Verba denotantia obligationem ad culpam.

Quidquid in iure Canonico ſtatuitur per verbum præcepti, aut æquipollentis præcepto, denotat illius canonis tranſgreſsionẽ eſſe culpam mortalem. Hæc apertè colligitur ex Clementina, Exiui de paradiſo. §. cùm autem. Nam pontifex in illo loco non dicit hoc eſſe peculiare in regula D fratrum Minorum, quam tunc interpretatur: ſed ad illius interpretationem præſupponit tanquam ex iure manifeſtum, quòd verba ſignificantia præceptum, & verba illis æquipollentia, habent vim exprimendi obligationem ad culpam mortalem. Nec tamen ex hoc, quod ita ſit ſemper in iure Canonico, inde inferendum eſt, vt in omnibus aliis ſtatutis ita ſit ſemper neceſſariò intelligendum. Nam in lege diuina multa ſunt ſub verbo præcepti poſita, quæ tamen non obligant ad mortale, ſed ſolùm ad veniale. Vt, gratia exempli, quando Chriſtus ſaluator noſter præcepit diſcumbere (vt Marcus ait) eos, qui ſeptem panibus

Marc. 8.

ab eo erant reficiendi. Et diſcipulis iuſsit, vt paucos, quos habebant, piſciculos apponerent. Et multis infirmis ab eo curatis, præcepit vt nemini dicerent. Nullus autem ſanæ mentis dicet, Chriſtum ſaluatorem noſtrum in illis omnibus præceptis obligaſſe illos, quibus præcipiebat, ad culpam mortalem. Lex enim diuina non eſt ειgenda & declaranda iuxta illas regulas, quas ius humanum circa intelligentiam ſuarum legum dedit. Nec etiam hæc regula

A gula circa intelligentiam aliarum legũ humanarum ſemper neceſſariò ſeruanda eſt, ſed ſolùm in illis,quæ ſunt de iure canonico. Quia fortè apud alios ſtatuentes non eſt tanta vis illorum verborum, & ſemper capienda ſunt verba in illa ſignificatione, qua communiter vtuntur hi,apud quos eſt data lex, aut conditum ſtatutum. Verba præcepit (proùt nunc capimus præceptum) ſunt, præcipio, mando, iubeo, prohibeo, inhibeo, vetò, interdico. Verba æquipollentia præcepto ſunt, debeant, teneantur neceſſariò, neceſſe eſt, non licet, non poteſt. Et ſi huiuſmodi alicui verbo ex omnibus ſuprà dictis adderentur, ſicut ſæpe addi ſolent, ſequentia verba, videlicet in virtute ſanctæ obedientiæ, aut ſub interminatione gehennæ, apertiſsimè declararetur obligatio ad culpam mortalem. Abbas in cap. Veſtra, de cohabitatione clericorum & mulierum *Panormita.* dicit, omne illud, quod ponitur per verbum imperatiuum, æquipollere præcepto. Quæ ſententia ſi vera eſſet, valde magnum nobis faceret numerum præceptorum,& tam duram nobis faceret legem Dei, vt penè eſſet intolerabilis, cùm tamen dominus dicat eſſe iugum ſuaue,
B & onus leue. Sed apertè conuincitur illam eſſe falſam,per *Mat.* 11. hoc, quod iuxta illius ſententiam omnia, quæ ſub conſilio dantur, eſſent dicenda præcepta. Quia omnia conſilia euangelica data ſunt à Chriſto per verbum imperatiuum. Hoc verbum, oportet, non ſemper eandem oſtendit obligationem, quia aliquando dicit neceſsitatem præcepti, vt in cap.j.de præſcriptio. libro vj. Aliquando dicit ſolam rationis congruentiam & honeſtatem, vt in cap.j. xxv. quæſtio.j. Et ideo non eſt recenſendum inter verba æquipollentia verbis præcepti: ſicut quidam Modernus *Ioannes* doctor illud inter illa enumerauit, in Codice de pœni- *methina.* tentia, in materia de Ieiunio. Si verba talia ſunt, quæ non indicent apertè præceptum, nec æquipolleant verbis præceptiuis, qualia ſunt iſta, decernimus, ſtatuimus,ordinamus, volumus, ſancimus, tunc diligenter aduertendum eſt, an pœna aliqua ibidem ſtatuatur contra tranſgreſſores, quæ ſi talis eſt, qualis non niſi pro peccato mortali infligi poteſt, ex illa pœna adiuncta conuincitur intentionem legiſlatoris fuiſſe obligare tranſgreſſorem ad culpam mortalem. Quoniam ſi talem intentio-

nem non habuiſſet, iniuſtè talem pœnam aduerſus legis C
tranſgreſſorem ſtatuiſſet. Pœnæ huiuſmodi ſunt, excommunicatio, degradatio, priuatio eccleſiaſticæ ſepulturæ, mors, carcer perpetuus, confiſcatio omnium bonorum, infamia. Certum eſt nullam iſtarum pœnarum pro alio peccato quam mortali poſſe iuſtè infligi. De irregularitate verò & ſuſpenſione, ego valde dubito, an ſint inter ſimiles pœnas recenſendæ, propterea quod illæ aliquando pro ſola veniali culpa, aliquando ſine vlla culpa imponuntur. Si poſt has omnes regulas à nobis datas, & bene à lectore circunſpectas, illi non plenè conſtiterit de lege, an obliget ad culpam mortalem an non, tunc moneo illum, vt licet vir doctus ſit, non dedignetur alios viros doctos de hac re conſulere, & aduertat, quòd non omnia poſſumus omnes. Quòd ſi alios, quos conſulit, videt etiam de illa re dubitare vt ipſe, conſulo vt tutiorem procuret eligere partem: vt videlicet ita ſe habeat circa ipſius legis obſeruationem, ac ſi illa obligaret ad peccatum mortale.

Documētum quintum. Quintum documentum. Si de lege humana iuſta, ſemel conſtiterit illam obligare ad culpam mortalem, non inde colligendum eſt illam ſemper & vbique eandem vim & D
poteſtatem obligandi habere. Probatur hæc regula multipliciter, & primò per id, quod in tertia regula dictum eſt, ceſſare videlicet obligationem legis, cùm tota cauſa, vnde lex vim ſuæ obligationis ſumpſit, ceſſauerit. Prætereà, ſæpe circa leges humanas fit iuſta diſpenſatio, vt puta quoties caſus occurrit, in quo ratio docet, credendum eſſe legiſlatorem noluiſſe legem ſuam tunc obligare. *Ariſtot.* Nam Ariſtoteles in quinto Ethicorum, capit. decimo, docet leges debere diſponere de his, quæ frequenter, & vt inplurimum fiunt, & non de his, quæ rarò contingunt: & ſi aliquid præter id, quod legiſlator intenderat, acciderit: tunc contra legem agendum eſſe cenſet, ſic inquiens. Lex in vniuerſum omnis ſtatuitur, nec fieri poteſt, vt rectè de quibuſdam in vniuerſum definiatur. In quibus enim neceſſe eſt, vt in vniuerſum dicatur, rectè autem id non poteſt, lex id ſumit, quod vt plurimum fit. Et paucis interpoſitis ſubdit. Quando igitur lex in vniuerſum dixerit, & præter vniuerſale poſtea quippiam contigerit: tunc rectè ſe habet, ſi qua legiſla-
ter

A tor omiſit, abſolutéque ac ſimpliciter loquendo peccauit, corrigatur defectus: id quod legiſlator, etiam ipſe ſi adeſſet, dixiſſet: & ſi ſciuiſſet, ita præſcribentem legem inſtituiſſet. Hæc Ariſtoteles. Et huic Ariſtotelis ſententiæ conſonat, quod ait Iuriſconſultus Iulianus in l. Neque leges, & in l. non poſſunt. ff. de Legibus. Quando particulare aliquid præter legem acciderit, quid vnumquenque agere oporteat, docet beatus Thomas in Secunda Secundæ, quæſtione cxlvij. Si cauſa (inquit ille) ſit euidens ſua authoritate, poteſt quiſque licitè contra legem agere, pręſertim conſuetudine interueniente, vel ſi non poſſet facilis recurſus ad ſuperiorem haberi. Si verò cauſa ſit dubia, debet aliquis ad ſuperiorem recurrere, qui habet poteſtatem in talibus diſpenſandi. Et hoc dicit eſſe obſeruandum in ieiuniis ab Eccleſia inſtitutis, vt ſi cauſa non ieiunandi ſit manifeſta, quiſque circa ſeipſum diſpenſare poſsit: ſi ſit dubia, recurrere debeat ad ſuperiorē. Et idem prorſus dicendum erit de quacunque alia lege humana. Et inde apertiſſimè probatur, quod quinta regula dicit, nullam videlicet legem humanam, quatenus talis eſt, ſemper & vbique ha- *S. Thom.*
B bere eandem vim & poteſtatem obligandi, quia caſu manifeſtæ neceſsitatis occurrēte, poterit quiſq; ſecum diſpenſare, niſi fortè propter ſcandalū vitandum, oporteat recurrere ad ſuperiorē. Si quis verò obiiciat, nemini niſi principi licere legis interpretationem dare, vt dicitur in l. j. C. de legibus & conſtitutionibus principum. Huic obiectioni reſpondet beatus Thomas in Secunda Secundæ, quæſt. cxx. artic. j. intelligendum eſſe id, quod lex illa dicit, in rebus dubiis, in quibus non licet abſq; determinatione principis à verbis legis recedere. Sed in manifeſtis dicit nō eſſe opus interpretatione, ſed executione. Poteſt etiā dici verū eſſe in ſolo foro exteriori id, quod Imperator Conſtantinus in illa lege ait, ita vt in illo foro nemini niſi principi liceat ſententiam contra legē dicere: ſecus autē in foro conſcientiæ, vbi quiſq; ſecum poteſt in re manifeſta diſpēſare. Rurſum, poteſt eſſe diſpenſatio aut interpretatio in lege diuina & naturali, ergo multò iuſtius poterit diſpēſatio fieri in lege humana. Conſequentia eſt manifeſta, & aſſumptum probatur multis exemplis. Maritus lege diuina & naturali tenetur reddere debitū coniugale vxori petenti, ſi tamen maritus *S. Thom.*

tus, infirmatur, non tenetur, vt omnes Theologi docent, C quia magis tenetur ad conſeruationem propriæ perſonæ, quàm ad reddendum debitum. Et ita conuincitur, legem diuinam & naturalem in caſu illo particulari non obligare. Qui votum de ſuſcipiendo monachatu emiſit, lege diuina & naturali adeò tenetur ad reddendum, vt propter

Deut. 23 ſolam moram redditionis peccare dicatur. Cùm votum voueris domino Deo tuo, inquit ipſe Deus, non tardabis reddere, quia requiret illud dominus Deus tuus. Et ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si tamen poſt votum emiſſum eueniat grauis patris indigentia ad victus ſuſtentationem, cui filius poteſt ſuccurrere, non ſolùm licebit illi, imò tenebitur (vt omnes Theologi fatentur) non intrare in religionem, quouſque ſatisfecerit patris indigentiæ, & ſi aliter religionem intraret, peccaret: vt notatur in capit. ſi qui filij. diſtinct. xxx. Iuramentum promiſſorium ex lege diuina & naturali tenetur quiſque ſeruare,

Nume. 30 propter id, quod dominus in libro Numerorum ait. Si quis virorum votum domino vouerit, aut ſe conſtrinxerit iuramento, non faciat irritum verbum ſuum, ſed omne, quod promiſit, implebit. Tamen ſi talis caſus eueniret, qui aper- D tè oſtenderit impletionem iuraméti eſſe maioris boni impedimentum, non ſolùm liceret ei, qui iurauit, imò teneretur non implere iuramentum: vt colligitur ex cap. anteceſſor. xj. quæſt. iij. Lex naturæ docet fidelitatem in depoſito reddendo eſſe ſeruandam: ſi tamen furioſus repetat gladium, vel qui ſanæ mentis eſt, repetat ad patriam inuadendam, non eſt reddendus gladius. Quia magis teneor conſulere patriæ, & domini furioſi incolumitati, quàm gladium illi reddere. Ergo cùm ſimiles caſus circa leges humanas occurrerint, poterit quiſque, ſi res eſt manifeſta, aut legem per ſe interpretari, aut propria authoritate in illa ſecum diſpenſare. Si res fuerit dubia, hoc authoritate ſuperioris (vt Thomas docet) faciet. Quocunque autem iſtorum modorum fiat, probabit verum eſſe, quod in hac regula dicitur, legem humanã non ſemper & vbique eandem poteſtatem obligandi habere, & cognoſcet in multis neceſſariam eſſe legis diſpenſationem, aut interpretatio-

Eccleſ. 7 nem. Alioqui dicet illi ſapiens. Noli eſſe nimium iuſtus. Et iterum. Qui vehementer emungit, elicit ſanguinem.

Et

A Et poëta Comicus dicit: Summum ius ſumma iniuria. Et certè, qui ita faciendum eſſe noluerit credere, in multa abſurda & animæ ſuæ noxia incidet, & ſæpe adeò perplexus erit, vt quocunq; ſe vertat, neceſſariò in culpã aliquam incidat, cogente illum ad hoc conſcientia illius erronea. *Prou. 30 Terentius in Andria.*

Sextum documentum. Lex humana iuſta, etſi non ſemper obliget ſub interminatione gehennæ ad faciendum, id quod per illam decernitur, ſemper tamen ſub hac interminatione obligat, ne lex illa contemnatur. Vt autem hæc regula apertior fiat, & ſic eius veritas clarius pateat, oportet prius declarare quid ſit contemptus. De qua re aliter iuris humani periti, aliter Theologi ſentiunt. Ioannes Andreas in cap. ſacris, de his, quæ vi metúſue cauſa fiunt, videtur dicere, frequentiam actuum eſſe quendam contemptum. Nam dicit eum, qui frequenter communicat cum excommunicato, peccare mortaliter, propter ſolam frequentiam: quod non dixiſſet, niſi putaret talem frequentiam eſſe contemptum dicendam. Collectarius in capit. primo de conſtitutionibus, dicit omnem illum peccare ex contemptu, qui ex frequentia legem tranſgreditur. *Documẽtũ ſextũ. Ioannes Andreas*

B Quæ ſententia nimis ſcrupuloſa mihi videtur, & conſtat illam procedere ex ignorantia ſignificationis huius vocis, contemnere. Et vt falſitas huius ſententiæ clarius conſtet, peto quot actus ſufficiunt facere frequentiam. Si fortè dicas ſex, aut octo, aut decem, & non minus: clarum eſt, quòd quintus actus eſt eiuſdem ſpeciei in genere moris cum actu ſexto, & ſeptimus cum octauo, & nonus cum decimo: quia ſola iteratio actus non variat ſpeciem, ſi nihil aliud ex parte operantis addatur, quod faciat ex veniali mortale. Et inde apertè ſequitur, vt ſi primus actus non erat peccatum mortale, nec decimus actus ſit dicendus peccatum mortale, niſi aliud vltra reiterationem addatur. Deinde, multa ſunt venialia ex genere ſuo, ſine quibus vita hæc miſera agi non poteſt, propter nimiam hominis fragilitatem, de quibus ſapiens ait. Septies in die cadit iuſtus. Si frequentia faceret mortale quod aliàs erat veniale, ſequeretur etiam, non poſſe hominem in hac vita diu eſſe ſine peccato mortali, etiam cum communi gratiæ baptiſmalis auxilio. Quia etiam cum illius adiutorio ſepties homo cadit in die. Fateor quidem ipſam frequentiam *Prou. 24*

S. Thom. tiam diſponere ad contemptum, prout beatus Thomas docet in Secunda Secundæ, quæſtione clxxxvj. artic. ix. in reſponſione ad tertium. Et ſic intelligendum dicit illud Salomonis. Impius cùm in profundum venerit peccatorum contemnit. Et iuxta hunc modum ego etiam intelligendum puto, quod Auguſtinus ait. Ebrietas ſi aſsidua fuerit, inter mortalia deputatur. Et eodem modo intelligo, illud eiuſdem Auguſtini, quod citatur à Gratiano in capit. Vnum orarium. §. criminis appellatio. diſtinctione vigeſimaquinta. Nullum peccatum eſt adeò veniale, quod non fiat mortale, dum placet. Hæc omnia ideo Auguſtinum dixiſſe cenſeo, quia ipſa peccati venialis frequentia, viam aperit latiſsimam, per quam peccatum mortale intret in animam. Non enim hoc ideo dixit Auguſtinus, quia putauerit ſolam frequẽtiam actus ſufficere, vt quod aliàs erat veniale, fiat mortale. Sed quia fieri non poteſt, quin is, qui frequenter inebriatur, aliquando ſciens & volens inebrietur: quod cùm euenerit, ſine dubio erit peccatum mortale. Quia cùm ſæpe expertus fuerit virtutem vini & ſuam fragilitatem, noluit à vino abſtinere. Ideo fortè potuit eſſe, vt hi iuriſperiti, quos proximè citauimus, dixerint frequentiam tranſgreſsionis legis eſſe contemptũ interpretatiuum tantùm. Sed ſi ita ſenſerunt, conuincitur adhuc falſam eſſe illorum ſententiam, qua docent, talem frequentiam eſſe dicendam peccatum mortale. Quoniam etſi in foro exteriori multa ex ſola præſumptione agantur, in foro tamen conſcientiæ nihil ex ſola præſumptione agendum eſt, ſed ſemper iuxta veritatem, quæ meritò præfertur præſumptioni. Archidiaconus in capit. excellentiſsimus. xj. quæſtione tertia, dicit eum, qui ſine cauſa communicat excommunicato, communicare ex contemptu. Quæ ſententia multò durior & falſior mihi videtur, niſi fortè nomine cauſæ intelligat ignorantiam, & infirmitatem ſiue carnis concupiſcentiam: ita vt omne peccatum, quod committitur ex certa ſcientia, & ſine carnis concupiſcentia, dicatur peccatum ex contemptu. Sed ſi hoc tale dicatur ſemper eſſe mortale, falſa erit ſententia: quia aliquod mendacium iocoſum aut officioſum poteſt dici ex deliberatione, & ſine vlla carnis ſolicitatione, quod tamẽ nullus vnquam ſapiens fatebitur eſſe mortale. Theologi rem hanc, & veram

Margin notes: *Prou.* 18. (beside "lomonis"); *Archid.* (beside "ptioni"); C (right margin, top); D (right margin, beside "vt hi iuriſperiti")

A ram vocabuli ſignificationem diligentius ſcrutãtes, longè aliter ſentiũt. Gulielmus Altiſiodorenſis libro ſecundo ſuæ ſummæ Theologicæ, tracta. xix. & xx. & lib. iij. tracta. ix. diſtinguit varios modos, quibus aliquis dici poteſt contemnere. Primo modo dicitur rem contemnere, qui illam non iuxta illius valorem & meritũ æſtimat. Et iuxta hunc modum (vt ille ait) ſumitur, cùm dicitur, quòd humilis ſe ipſum contemnit, & quòd ſuperbus contemnit alios. Et ſic dicit aliorum cõtemptum, iuxta hanc ſignificationem, eſſe ſpeciem ſuperbiæ, & contemptum ſui eſſe ſpeciem humilitatis. Secundo modo, contemnere idem eſt, quod alteri indignari, & illum conuitiis afficere: & iuxta hũc modum contemptus dicitur, quòd cõtemnere alium, ſit vitium pertinens ad impatientiam. Hos duos modos aſsignat prædictus doctor libro ſecundo, tract. xix. vbi differit de ſuperbia in ſe. Tertio modo, contemnere idem eſt, quod nolle alteri ſubiici. Quarto modo, idem eſt, quod tranſgredi præceptum, & non obedire, quo modo ſæpiſsime vtitur Scriptura ſacra, cùm Deus dicit, ſe à peccatoribus cõtemni propter hoc ſolum, quòd præceptis illius non obediunt. Nam

Altiſiodoren.

B in Leuitico volens Dominus oſtendere populo afflictiones, quæ venturæ erant ſuper illum, ſi mandata eius non ſeruaſſet, ait. Si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, ſed ſpreueritis leges meas, & iudicia mea contempſeritis, vt non faciatis ea, quæ à me conſtituta ſunt. & cętera. In quibus verbis apertiſsimè dicit Deus, omnes peccatores contemnere leges ſuas, quia non obediunt illis. Et apud Salomonem ſapientia diuina omnibus peccatoribus dicit. Vocaui & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Hos duos vltimos modos contemptus reddit idem doctor eodem libro ſecundo tracta. xx. vbi differit de filiabus ſuperbiæ, & dicit contemptum, iuxta has duas ſignificationes, eſſe filiam ſuperbiæ, propterea quòd à ſuperbia oritur, vt quis nolit ſubiici ſuo ſuperiori, aut nolit leges illius aut præcepta ſeruare. Ioannes Gerſon lectione quinta, de vita animæ ſpirituali, citat ſententiam huius Gulielmi Altiſiodorenſis circa ſignificationes contẽptus: & poſt illum Adrianus papa in quolibeto ſexto, artic. ij. & (vt ingenuè vera loquar) nullus illorum

Leuit. 26

Prouer. 1

Ioannes Gerſon.

Adrianus papa.

verè

verè Altiſiodorenſis ſententiam citat : & vnus alteri inci- C
tatione non conſentit. Ioannes Gerſon refert tres modos contemptus. Adrianus refert quatuor: & ambo referunt vnum modum, qui nec nominatur ab Altiſiodorenſi,& eſt rem negligere , & eam non curare. Ideo ego loca, in quibus Altiſiodorenſis de hac re diſſerit,citare decreui,vt quicunque illum legere voluerit , clarè agnoſcat verum eſſe quod dico. Idem Altiſiodorenſis libro tertio, tract.ix.diſſerens de mundi contemptu, ponit quatuor modos,quibus mundus poteſt contemni , qui aliquo modo differunt ab his quatuor ſuprà nominatis , ſed noſtro propoſito nõ conueniunt. Huiuſmodi variis contemptus ſignificationibus oſtenſis, Ioannes Gerſon , quẽ in hac parte ſequitur Adrianus loco proximè citato, dicit, quòd ſolus contemptus,qui eſt nolle ſubiici, eſt peccatum mortale, ſiue ſit contemptus legis humanæ,ſiue præcepti humani. Et hæc iſtorum ſen-
S. Tho.2. 2.queſt. 186. ar.9 tentia videtur ſumpta ex beato Thoma, qui in illo loco ſuprà citato hæc ait. Tunc committit aliquis vel tranſgreditur ex contemptu , quando voluntas eius renuit ſubiici ordinationi legis vel regulæ: & ex hoc procedit ad faciendum contra legem vel regulam. Quando autem è conuer- D
ſo propter aliquam particularem cauſam , puta concupiſcentiam vel iram , inducitur ad aliquid faciendum contra ſtatuta legis vel regulæ , non peccat ex contemptu , ſed ex aliqua alia cauſa , etiam ſi frequenter ex eadem cauſa vel alia ſimili peccatum iteret. Hæc ſanctus Thomas. In quibus verbis id annotandum eſt, quòd vt quis dicatur legem tranſgredi ex contemptu,requiritur contemptum eſſe cauſam illius tranſgreſsionis, à quo tanquam à cauſa illa procedat , & non ſatis eſt ſi contemptus ſimul adſit cum ipſa tranſgreſsione, taliter quòd contemptu ſecluſo, nihilominus legem aut præceptum tranſgrederetur : quemadmo-
Ariſtot. dum Ariſtoteles 3. Ethicorum dicit de eo, qui peccat ignorantia concomitante , ſed non ex ignorantia tanquam ex cauſa. Hæc omnia etſi optimè dicta eſſe cenſeam , non tamen plenè ſatisfaciũt propoſito regulæ ſextæ per me nunc datæ. Quoniam ſicut poſsibile eſt tranſgreſsionem legis aut præcepti eſſe ſine contemptu , ita è contrario poſsibile eſt , vt contemptus ſit ſine tranſgreſsione. Poſsibile enim eſt , vt legem aut præceptum quis ſeruet , & contemnat

legem

A legem aut legiſlatorem, aut præceptum aut præcipiētem. Ideo de ipſo contemptu, prout haberi poteſt, ſecluſa omni tranſgreſsione, differere volo, quoniam de illo ſolo loquitur regula nunc per me data. Talis autem contemptus poteſt haberi, aut de ſola lege vel præcepto, aut de ipſo legiſlatore vel præceptore, & vterque contemptus poteſt ab altero ſeparari, vt conſtat. Et de vtroque iſtorum poteſt haberi contemptus, iuxta illos duos primos modos, quos ſuprà ex Altiſiodorenſi citauimus. Nam alij duo poſteriores non ſeruiunt noſtro propoſito, quia illi duo (vt notum eſt) non poſſunt haberi ſine legis aut præcepti tranſgreſsione. His prælibatis, aliquas ponam concluſiones, ex quibus quidquid ad hanc rem ſpectat, facilè colligi poteſt.

Prima concluſio. Prælatus, quatenus prælatus eſt, non poteſt ſine peccato mortali contemni, ſiue ſit minus illum quàm oporteat appreciando, ſi illi indignando, aut illi conuitia inferendo. Dixi, quatenus prælatus eſt, vt per hoc oſtenderem, talem contemptum dirigi ad ipſam prælationis dignitatem, & non ad perſonam prælati. Hæc concluſio probatur per id, quod ſaluator ait. Qui vos ſpernit, me *Luc. 10.*
B ſpernit. Quæ verba non de perſonis prælatorum, (vt mox dicemus) ſed de ipſa prælatione intelligenda ſunt. Quoniam cùm illa prælatio (vt Paulus ad Romanos ait) ſit à *Rom. 13.* Deo inſtituta, quiſquis illam cōtemneret, Deum illius inſtitutorem contemnere videretur. Ideo Chriſtus ſaluator noſter Cayphæ, quamuis peſsimo pontifici, & Pilato malo & idolatræ præſidi, reuerenter loquutus eſt, propter ſolam prælationis, quam tenebat, dignitatem. Qua in re exemplo ſuo nos docuit, vt præpoſitis noſtris iuſtam exhiberemus reuerentiam. Si quis prælationem ipſam minus quàm oportet, appreciaret, aut illam irreuerenter tractaret, talis contemptus erit dicendus peccatum veniale aut mortale, iuxta qualitatem appreciationis aut irreuerentiæ. Si quis papam contemneret, æſtimando illum eſſe prorſus æqualem cæteris epiſcopis, aut epiſcopū contēneret, credēs illum penitus æqualē cæteris presbyteris, peccaret mortaliter, nec leuiter, cùm ob hoc ſolum eſſet cenſendus hæreticus. Si tamen fortè minus quàm illa ſit, æſtimaret prælationem alicuius, propterea quòd nondum eſt ſibi plenè manifeſtata poteſtas illius, tunc nullum aut fortè leuiſsimum

peccatum committet. Et eodem modo diſtinguendum eſt C
de irreuerentia leui aut graui, vt iuxta leuitatem aut grauitatem ipſius, dicatur contemptus talis peccatum veniale aut mortale.

Secunda concluſio. Prælatum, quatenus talis perſona eſt, vt puta Ioannes aut Petrus, poteſt ſubditus ſine peccato mortali contemnere, parum æſtimando illum, & malè de illo ſentiendo: ſed non illi indignando, aut illũ conuitiis afficiendo. Prima pars probatur, quia multi ſunt prælati, quorum ignorantia & malitia eſt omnibus manifeſta, ita quòd de illa licitè poſſum iudicare, & propter illam prælatum malè æſtimare, credendo illum adulterum, aut ſimoniacum, aut vſurarium, ſi ego talia crimina vidi illum exercere. Nam ſi hoc non liceret, teneremur neceſſariò ſæpe falſa pro veris ſentire, quod nefas eſt dicere. Secundam partem probo per id, quod ſaluator noſter ait. Omnis
Mat. 5. qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri ſuo racha, reus erit concilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Si non licet iraſci fratri, nec proximum conuitiis afficere, conſequens eſt, vt id non liceat aduerſus prælatum facere, etiam quatenus eſt talis D
perſona, vt puta Ioannes aut Petrus. Quia quatenus talis eſt, etiam frater & proximus eſt.

Tertia concluſio. Poteſt ſubditus ſine vllo peccato legem aut præceptum ſuperioris contemnere, iudicando il-
Doctor lud malum & contra rationem. Hanc concluſionem ponit
ſubtilis. doctor ſubtilis in iiij. ſenten. diſtinct. iij. q. iiij. articu. j. & probat illam eo modo, quo nos probauimus ſecundã concluſionem. Quia nullus tenetur credere rem aliter eſſe quàm eſt, & conſtat multorum prælatorum præcepta ſæpe eſſe iniuſta, ergo nullus tenetur credere illa eſſe iuſta, & inde apertè ſequitur, ſubditum poſſe tunc ſine peccato præceptum prælati contemnere, iudicando illud eſſe irrationabile. Scotus tamen poſt prædictam cõcluſionem, ſtatim ſubdit, quòd licet præceptum prælati ſit irrationabile, & pro tali merito haberi poſsit, tenetur tamen ſubditus illud obſeruare. Quod dictum eſt ſanè intelligendum, ita vt per præceptum irrationale intelligatur nõ illud, quod eſt contra rectam rationem: quia illud etiam ſi prælatus præcipiat (vt ſuprà in primo documento diximus) non eſt faciendum.

A dum. Sed per præceptum irrationale intelligatur præceptum inutile, quod nulli vtilitati ſeruit: vt ſi pręcipiat ſub dito amphoram aliquam decies implere aqua, & iterum aquam in terrā ſine vlla neceſsitate effundere. Et tale præceptum, etiam ſi irrationabile, hoc eſt, inutile meritò cenſeatur, dicit eſſe neceſſariò obſeruandum. Non tamen puto ſic neceſſarium illud eſſe, vt ſi ex induſtria dimittat, niſi fortè cum ſcandalo, ſit culpæ mortalis reus.

Quarta concluſio. Non poteſt ſubditus ſine culpa mortali legem iuſtam, aut præceptum ſuperioris iuſtum contemnere, iudicando illud iniuſtum, aut grauiter indignando illi. Probatur hæc concluſio per id, quod dicit Eſaias propheta. Væ, qui dicitis malum bonū, & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Vbicunque autem ponitur, væ, (vt beatus Hieronymus annotat in prouerbiis, ſi modò illius & non potius Bedæ ſunt illa commentaria) denotatur culpam eſſe mortalem in eo, quod ſequitur. At, qui legem iuſtam dicit iniuſtam, bonum dicit malum, & lucem tenebras. Et qui legi iuſtæ indignatur, dul- *Eſaiæ 5.*

B ce ponit in amarum, ergo ſic faciens mortaliter peccat. Et in eodem Eſaia poſt prædicta verba ſtatim ſubditur. Væ, qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes. Qui legem iuſtam reprehendit, dicens illam eſſe malam, ſapiens eſt in oculis ſuis, cùm plus ſibi quàm legislatori tribuit, de quo meritò præſumendum erat, etiam ſi res fuiſſet dubia, nihil ſine iudicio feciſſe: multò ergo magis, cùm res eſt manifeſtè bona, vtpote ab omnibus probata, ſuam ſententiam multorum iudicio poſtponere debuiſſet. Præterea, Paulus Apoſtolus de huiuſmodi iuſtis legibus loquens, dixit. Qui hæc ſpernit, nō hominem ſpernit, ſed Deum. Bene ergo & iuſtè in hoc ſexto documento diximus, legem humanam iuſtam, etſi non ſemper obliget ſub interminatione gehennæ ad faciendū id, quod lege decernitur: ſemper tamen ſub eadem interminatione obligare vt non contemnatur. *1. Theſſ. 4*

Quòd bonum & iuſtum ſit pœnam legibus ſtatuere contra eos, qui legibus non obtemperant, & quales oporteat eſſe pœnas. G

CAP. VI.

QVANQVAM humanæ leges iuſtæ obligent ſæpe illarum tranſgreſſores ad culpam mortalem, multi tamen ſunt, qui illas tranſgredi non formidant, propterea quòd minimam habent animæ ſuæ rationem, aut quia ſolis præſentibus intendentes futura minimè proſpiciunt, aut ſi proſpiciunt, ea tamen non pro ſuis meritis penſant, quoniam aut nullas, aut multò minores quàm veræ ſint, exiſtimant eſſe futuras gehennæ pœnas. Ne igitur ex humanarum legum tranſgreſsione ipſa reſpublica, pro cuius recta gubernatione illæ conditæ ſunt, pereat, aut quouis modo decreſcat, ſiue turbetur: iuſtum & valde expediens erit, huiuſmodi legibus pœnam ſtatuere contra eos, qui illas non obſeruant, vt quos virtutis amor ad illarum obſeruationem non allicit, aut futuræ pœnæ metus non impellit, præſentis ſaltem pœnæ formido ab illarum tranſgreſſione deterreat. D Nam etſi aliqui ſint, qui oderunt peccare virtutis amore, hi tamen, quia boni, rari ſunt. At mali, quorum multò maior eſt numerus, non oderunt peccare, niſi (vt Horatius ait) formidine pœnæ. Legislator autem (vt ſuprà diximus) quum legem ſtatuit, non reſpicit ea, quæ raro, ſed quæ frequenter, & vt plurimum contingũt: neç paucorum vtilitati, ſed multorum commodis proſpicit. Cùm igitur multò plures ſint, qui metu pœnæ, quã qui virtutis amore abſtinent à malo, inde apertiſsimè conſtat ſæpe neceſſarium eſſe, pœnales leges ſtatuere contra eos, qui legibus non obediunt, vt ſaltem pœnarum timore ad legum obſeruationem cogantur. Hanc ſententiã ex aliorum philoſophorum iudicio & opinione confirmat & docet Ariſtoteles libro decimo Ethicorum, capite nono, ſic inquiens. Multitudo neceſsitati potius quàm rationi, & pœnæ quàm honeſtati paret. Idcirco ſunt, qui legum latores oportere cenſent ad virtutem inuitare, ac

Ariſtot.

prouoc

A prouocare honeſtatis gratia, propterea quod ij, qui probi ſunt, ob conſuetudinem præcipuè obtemperabunt: aduerſus autem inobedientes, & hebetiores ingenio, caſtigationes, pœnáſque inſtituere: at eos, qui curari atque emendari nequeunt, extrudere, atque exterminare. Probum enim hominem & ad honeſtatem viuentem, rationi obtemperaturum eſſe inquiunt: improbum verò voluptatem affectantem, dolore afficiendum eſſe perinde atque iumẽtum. Hactenus Ariſto. Eandem ſententiam pleniſsimè confirmat vetus teſtamentum, in quo multæ fuere leges pœnales, & quidem acerbæ & duræ populo illi à Deo datæ, vt quia rudis erat & craſsioris ingenij, vexatione illi intellectũ dante, metu pœnæ legibus obtemperare diſceret, iuxta id, quod Salomon in prouerbis ait. Virga atque correctio tribuit ſapientiam, puer autem, qui dimittitur voluntati ſuæ, confundit matrem ſuam. Quibus verbis apertè docet Salomon eos, qui ſenſibus pueri ſunt, quales ſunt illi, qui affectu & non ratione reguntur, non eſſe ſuo arbitrio relinquendos: quoniam ſic relicti, vix vnquam bonum aliquod facient, nec legibus publicis obtemperabunt: & ſic rempu- *Prouerb. 29.*

B blicam, quæ tanquam quædam illorum eſt mater, confundent. Ideo Deus populum illum rudem legibus ſuis erudire volens, multas illi leges pœnales dedit, vt virga & correctione tribueret illis ſapientiam. De hac enim ſola lege, quæ pœnalis eſt, ego intelligendum eſſe cenſeo id, quod Paulus Galatis ſcribens ait. Lex propter tranſgreſsionẽ poſita eſt. Quæ verba interpretans Theophilactus in commentariis ſuper Paulum, ait. Cùm fidem laudibus extuliſſet, oſtendiſſétque hanc vetuſtate præcedere: oboritur tamen ex ea re obiectio quædam huiuſmodi. Cur igitur lex eſt, ſi fides erat antiquior, & benedictionem donabat? Reſpõdet itaq;, nõ fruſtra id, ſed præuaricationũ gratia fuiſſe effectũ, vt pro frœnis eſſet lex illa Iudæis, quæ hos vel à mãdatorũ quorundã trãſgreſſu, etſi nõ omniũ prohiberet. Hęc Theophilactus. Eandẽ interpretationẽ, ſed clarioribus verbis, reddit Anſelmus illi Pauli loco, ſic inquiẽs. Nunc oſtẽdit quare data ſit lex. Poſita eſt, inquit, inter promiſsionem & promiſſam hęreditatẽ, propter illos, qui naturalẽ legem tranſgrediebãtur, vt vel timore ceſſarẽt trãſgredi, & paulatim erudirentur ad hoc, vt bona ex amore facerent. Hæc *Galat. 3* *Theophil.* *Anſelm.*

Anſelmus. De ſola etiam lege pœnali intelligendum eſſe C
1. Timo. 1. exiſtimo id, quod in priore ad Timotheum epiſtola iterũ Paulus ait. Lex iuſto non eſt poſita. Nam hæc verba, ſi de lege illa, quæ ſecluſa omni pœna aliquid de moribus præcipit, intelligantur, vera eſſe non poſſunt: quoniam lex illa non minus iuſto quàm iniuſto datur, nec minus ille quàm iſte, ad illius legis obſeruationem tenetur, nec iuſtus iam eſſet, ſi legem non ſeruaret. Inter octo errores Beguardorum & Beguinarum, qui damnati ſunt in concilio Vieneſi ſub Clemente quinto, & recenſentur in Clementina, Ad noſtram, de hæreticis, tertius illorum eſt, quo dicebãt hominẽ, qui gradum perfectionis eſſet aſſecutus, nõ eſſe legibus aut præceptis humanis ſubiectũ. Multò ergo peius erraret, qui diceret hominẽ quãlibet iuſtum non eſſe ſubiectum legi diuinæ, nec legem diuinã eſſe iuſto poſitam, ſi de lege morali, quæ aliquid de moribus ſtatuit, id dictum eſſe contenderet. Si verò de ſola lege pœnali, quæ contra legis tranſgreſſorem pœnam aliquam minatur, illa Pauli verba interpretari velis, tunc apertiſsimè illorum veritas patebit. Iuſto ſiquidem non datur lex pœnalis, vt timore pœnæ cogatur ad legis obſeruationem: quia iuſtus naturalem D legem ſeruans, ſibi ipſi eſt lex, qui virtutis amore & nõ timore pœnæ mouetur ad bonum. Et quòd de ſola pœnali
Chryſoſt. lege ſint illa Pauli verba intelligenda, apertè docet Chryſoſtomus, qui Homilia ſecunda ſuper priorem ad Timotheum epiſtolam, hæc ait. Lex enim malis ſuppliciorum denũtiatrix eſt. Cæterùm ei, qui coronis digna peregerit, ad quid erit vtilis lex? Ad nihil profectò, quemadmodum & medicus confecto vulneribus, non ſano, neq; bona valetudine prædito. Et aliquibus interpoſitis ſubdit. Cur iuſto lex impoſita nõ eſt? Quia ille cruciatu ſuperior eſt: neq; à lege, quæ ſint gerenda, diſcere expectat, cùm habeat intrinſecus diſtantem ſpiritus gratiam: lex enim data eſt, vt metu atque comminatione terreantur, ac peccare deſiſtãt. Nihil igitur fręno opus eſt mãſueto & obtẽperanti equo, nihil inſtructione opus eſt ei, qui pedagogo non indiget. Hæc Chryſoſtomus. Ex cuius interpretatione conſtat, illa Pauli verba omnino conuenire cum illis, quæ ex Ariſtotele citauimus, quibus ait, probo homini & ſtudioſo ſolam exhortationem aut inuitationem ad virtutem

eſſe

A eſſe ſatis: improbo verò, veluti cuidam iumento opus eſſe flagellis & aliis cruciatibus. Ob hanc cauſam ſaluator noſter, perfectus veritatis magiſter, qui viam Dei in veritate docuit, etſi aliquando per blandimenta & promiſsiones ad virtutem hortabatur, quia tamen maiorem eſſe ſtultorum numerum agnoſcebat, ſæpius pœnę metum auditorũ mentibus incutiebat, vt vel ſic eos à vitiis abſtinere & virtutem capeſſere cogeret. Ex quibus omnibus cõuincitur, bonum & aliquando neceſſarium eſſe, pœnam in ipſis legibus contra illarum tranſgreſſores ſtatuere, vt vel pœnarum metu homines ad legum obſeruationem cogantur. Deniq; hæc ſententia confirmatur per cap. Exigit, de cenſibus, lib. vj. quod in concilio Lugdunenſi ſtatutum eſt, ſic inquiens. Exigit peruerſorum audacia, vt non ſimus ſola delictorum prohibitione contenti, ſed etiam pœnam delinquentibus imponamus. Hæc ille. Nec ſatis eſt ad legum obſeruationem pœnam per legem minari, & illam iudicis arbitrio committere, vt quam ille voluerit tranſgreſſori pœnam infligat, ſed neceſſarium eſt ſæpe pœnam ipſam eſſe expreſſam & limitatã: quia quæ ſic particulariter concipiun-
B tur, magis mouent & terrent improborũ hominum mentes, quàm ſi vniuerſali conceptu percipiantur. Et ob hanc cauſam Ariſtoteles dixit, ſermones vniuerſales de virtutibus eſſe minus vtiles. Deinde, firmior & conſtantior eſt ipſa lex, & minus poteſt à rectitudine deflecti, quàm iudex: & inde euenire neceſſe eſt, vt ſæpe magis illa timeatur, quàm ille. Quæ omnia eleganter & doctiſsimè docet Ariſtoteles libro primo Rhetoricorum capite j. ſic inquiens. *Ariſtot.* Maximè igitur conuenit, vt quæ rectæ poſitæ ſunt leges, cuncta ipſæ expliceut, quæ explicari queant, & quàm minima iudicibus relinquant. Primum, quia vnum aut paucos prudentes, qui leges ferre aut iudicare poſsint, facilius eſt inuenire, quàm multos. Deinde, quoniam longi temporis conſideratione leges feruntur, iudicia breuiſsimè conficiuntur, difficile eſt vt bene à iudicibus iuſtum & conducibile diſtribuatur. Illud autem omnium maximum eſt, quòd legiſlatoris iudicium non de ſingulis nec de præſentibus, ſed de vniuerſalibus & de futuris eſt. Senator verò & iudex de præſentibus iam determinatíſque iudicant. Vnde fit, vt cùm ament & oderint, ſua quoque

vtilitas connexa ſit, non ſatis queant veritatem perſpicere, C
ſed propria vel voluptas vel dolor, iudicia ſua obumbret. Quare minimam cæterarum rerum poteſtatem iudici tribuendam dicimus: factum verò eſſe, aut non factum, & fore aut non fore, eſſe quoq; vel non eſſe: hæc omnia cùm non poſsit lator legis prouidere, iudicibus relinquenda neceſſariò ſunt. Hactenus Ariſtoteles, qui ſubtiliſsimis atque euidentiſsimis rationibus motus, docet minimum eſſe iudicis arbitrio relinquendum, ſed quoad fieri potuerit, omnia eſſe legibus determinanda.

Quum igitur legiſlator pœnalem aliquam legem condere voluerit, ſummo ſtudio cauere debet, ne pœna per legem imponenda ſit nimium atrox & crudelis, & quæ culpæ grauitatem tranſcendat: ſed pœna ſit ſemper minor culpa, prout Deus noſtra peccata puniens facit, qui (vt communi Theologorum prouerbio dicitur) ſemper punit citra condignum. Pro qua re iuſtè exequenda, oportebit præ oculis ſemper habere ſententiam Marcelli Iuriſconſulti, quæ ſub horum verborum contextu habetur in l. Reſpiciendum. ff. de pœnis. Reſpiciendū eſt iudicanti, ne quid aut durius, aut remiſsius conſtituatur, quā cauſa depoſcit. Nec D
enim aut ſeueritatis aut clementiæ gloria affectanda eſt: ſed perpenſo iudicio, prout quęq; res expoſtulat, ſtatuēdum eſt. Planè in leuioribus cauſis proniores ad leuitatem iudices eſſe debent: in grauioribus pœnis ſeueritatē legū cum aliquo temperamento benignitatis ſubſequi. Hæc ille.

Pœna mortis non niſi pro valde graui delicto, & quod vehementer reipublicæ nocere poſsit, ſtatuenda eſt. Aliæ pœnæ etiam ſemper iuxta delicti menſuram, quæ potiſsimum ex proximi nocumēto aut publicæ pacis turbatione capietur, ſunt infligendæ. Qualiter autem pœnarum diuerſitas ſtatuenda ſit, congrua & aptiſsima ſimilitudine à corpore humano ſumpta optimè doceri poteſt. Cùm alicui corpori humano lęſo & malè habenti vult ſubuenire Chyrurgus & mederi, non ſtatim membrum illud lęſum, quod corpori quouis modo nocet, à corpore abſcindit, niſi tam putridum ſit, aut tam malè habens, vt iuſtè timeatur ex coniunctione ſua, facilè aliis membris poſſe nocere. Nam ſi pars illa corporis infecta, non eſt adeò corrupta, vt in corpore manens poſsit aliis membris valde nocere, illam

ſeruare

A ſeruare nititur,& leuioribus,quibus poteſt,remediis,iuxta vulneris qualitatem illi mederi procurat. Nunc oleo,nunc vino, nunc mordaciori & corroſiuo vnguento, nunc aduſtione curat. Qua in re,ars hæc (vt conſtat) ipſam imitatur naturam, quæ niſi aliunde, propter aliud maius damnum euitandum,coacta ſit, ſemper omnia ſeruare conatur. Ad eundem prorſus modum, in quauis humana & mundana republica, quæ corporis humani ſimilitudinem gerit, faciendum eſt: ita vt legislator, qui in hac parte Chyrurgum imitatus, nullum hominem, quamuis reipublicæ noxium,à toto communi corpore per mortem naturalem aut ciuilem auferat, vel auferri iubeat, niſi illius culpam tam grauem eſſe cenſeat, vt ſi viuere permitteretur, in graue totius reipublicæ damnum cederet. Alios autem ſceleratos homines, qui ſuis delictis leue aut non multum graue damnum inferunt reipublicæ, citra pœnam capitis leuiter aut grauiter, iuxta delicti menſuram,punire oportebit. Ad rectam verò delicti menſuram capiendam, non ſolùm inſpicienda eſt nuda delicti qualitas, ſed omnes delicti & delinquentis præcipuas circunſtantias conſiderare B oportet: quoniam illæ ſæpe ſolent culpam augere,aut minuere, aut prorſus tollere, prout dicitur in l. Reſpiciendum.§.delinquunt.ff.de pœnis. Qua conſideratione facta, intelliget iudex æquum eſſe & neceſſarium pœnam legis minuere, propter particulares aliquas delicti aut delinquentis circunſtantias occurrentes. Nam (vt notat gloſſa in l. Quid ergo. §. Pœna grauior. ff. de his qui notantur infamia) poteſt iudex pœnam legis minuere ratione ætatis ipſius delinquentis, vt puta quia ſenex aut puer eſt, vt dicitur in l.Auxilium.§. in delictis. ff. de minoribus. & in cap.fin. de ſenten. excommunica. Ex circunſtantia delicti etiam poteſt minuere pœnam, cùm videlicet cognoſcit delictum eſſe ſine dolo perpetratum.l. Abſentem.§.finali. & l. Reſpiciendum.§. delinquit.ff. de pœnis. Poteſt etiam iudex ex cauſa adeò augere, vt merita delicti tranſcendat, vt quando ex vnius delicto multi alij occaſionem ſumpſerunt ad ſimile delictum committendum. Tunc enim neceſſarium eſt, vt illius delicti pœna exacerbetur,quia nimium multis perſonis graſſantibus exemplo opus eſt: vt dicitur in l. Aut facta.§.fin.ff.eodem titulo. Quod dictum

ego ita intelligendum puto, vt in vno ſolo, aut fortè duo- C
bus aut tribus delinquentibus ſit pœna exacerbanda, non
in tota multitudine, niſi fortè illa rebellis eſſet, & pecca-
tum ſuum agnoſcere recuſaret, ſed potius velut rem bene
geſtam defendere conaretur: quia tunc etiam contra to-
tam multitudinem pœnam augere oporteret, præſertim
ſi ipſa multitudo in viribus ſuis confidens, inde maiorem
ad peccandum audaciam ſumat. Si verò multitudo, quæ
deliquit, peccatum ſuum agnoſcens ſit congruam pœnam
ſubire parata, non ſolùm non erit pœna augenda, ſed po-
tius è contrario erit minuenda. Quia multitudini par-
cendum eſt, vt dicitur in capit. Latores, de clerico excom-
municato vel depoſito miniſtrante. & in cap. fina. de tranſ-
actionibus. & in cap. Comeſſationes. xliiij. diſtinctio. & in
cap. Vt conſtitueretur. quinquageſima diſt. & in cap. quo-
tiens. j. q. vij. Quando autem pœna (vt diximus) vltra men-
ſuram delicti augetur, tunc pœna non habet ſolam pu-
nitionis rationem, nec ad ſolam delicti punitionem infli-
gitur, ſed etiam ad medicinam ipſi delinquenti, & aliis,
qui illius exemplo peccare poſſent, vt videlicet ipſe delin-
quens, cautius in poſterum viuat, & alij illius periculo ſa- D
Prou. 19. piant, & à ſimili ſcelere abſtinere procurent. Nam (vt ait
Salomon) peſtilente flagellato ſtultus ſapientior fit. Ob
hanc cauſam Deus, qui vltimam pœnam poſt mortem pec
Deut. 25. catori dandam (vt in Deuteronomio ſtatuit) ſemper iuxta
delicti menſuram infligit, in præſenti tamen vita ſæpe
minus & leuius peccatum, quia frequenter iteratum, aut
quia ad illud maior eſt pronitas grauius punit, vt tantæ
pœnæ timore ipſe delinquens terreatur, & diligentius de-
inceps viuat, & alij à ſimilium ſcelerum perpetratione
abſtineant. De hac re apertiſsimum præbet teſtimonium
Nume. 16 illa tam ſeuera punitio Dathan & Abiron, qui propter
ſchiſma, quod aduerſus Dei ſacerdotes ſuſcitarunt, viui à
terra abſorpti ſunt. Quòd autem illa pœna non ſolùm
ad delicti punitionem, ſed etiam ad medicinam aliorum
inflicta ſit, apertè conuincitur per hoc, quod thuribula
eorum qui abſorpti ſunt à terra, iuſsit produci in lami-
nas, & affigi altari, vt cernerent illa pro ſigno & mo-
nimento filij Iſraël. Et meritò ad aliorum exemplum
in memoria ſeruari iubentur, quia populus Iudæorum
vt

A (vt dicitur in primo Eſdræ) ad ſeditionem & ſchiſmata fuit ſemper procliuis. Ad eundem modum propter ſimiles cauſas poſſunt iudices nunc pœnas vltra delicti menſuram augere, non tamen poſſunt eas lege perpetua ſtatuere: quia de his, quæ rarò accidunt, leges non ſtatuuntur, vt dicitur in l. Ex his, & in l.Nam.ff.de legibus. Verùm hìc lectorem admonere decreui, vt non putet iudicem poſſe pœnam vltra meritum culpæ adeò augere, vt morte, quæ aliàs iure non debebatur culpæ, poſsit quacunque etiam cauſa interueniente, aliquem iuſtè punire. Quoniam non licet iudici mortis ſupplicio aliquem punire, niſi in ſolis illis caſibus, in quibus ex ſacris literis colligi poteſt, eſſe illi à Deo conceſſum. Nam cùm ſolus Deus ſit dominus vitæ & mortis, ſolus qui occidere poteſt, & viuificare, ſolus qui verè dicere poteſt, Ego occidam, & ego viuere faciam, ideo ſolus ille eſt, qui poteſt pro arbitrio ſuo, quem voluerit, iuſtè occidere. Cæteri autem omnes nunquam hoc licitè poſſunt, niſi quando à Deo, qui ſupremus eſt dominus, eſt illis permiſſum. Lege ſiquidem diuina prohibitum eſt occidere hominem:& inde B ſequitur, vt nullus iudex poſsit aliquem hominem occidere, niſi pro illis peccatis, pro quibus eſt illi à Deo conceſſum. Quia inferior non poteſt aliquid contra legem ſuperioris ſtatuere, vel illam quomodolibet violare. Et hinc apertiſsimè deducitur, tyrannos eſſe eos principes, qui pro leuiſsima cauſa, vt puta, quia ceruum in ſylua ſua incluſum quis occidit, ſtatim illum morte punire iubent, pluris ceruum quàm hominem exiſtimantes. Ex eadem etiam radice conuincitur, quoſdam iudices tyrannicè agere, qui cùm ſceleſtum aliquem hominē, alicuius grauis flagitij patratorē, capere non poſſunt ad mortem, alios, qui minimā delicto occaſionē dederunt, morte, quam non merebantur, punire non verentur, vt vel hac via ſe aliis terribiles faciāt. In lege veteri per Moyſen data, multæ fuerunt cauſæ expreſſæ, propter quas tunc homines morte puniebantur. In lege Euangelica, quæ eſt lex gratiæ & multò mitior, ſola vna cauſa exprimitur, quæ eſt homicidiū, propter quod Chriſtus ſaluator noſter, iuſtitiæ miniſtris occidendi poteſtatē dedit, per Matthæū apoſtolū ſic dicēs. Omnis qui occiderit gladio, gladio peribit. Nec tamen ob hoc proh

1. Eſdr. 4. *Deut. 32.* *Mat. 26.*

prohibuit,vt pro nullo alio caſu quis poſsit occidi. Quia C licet omnia pręcepta iudicialia fuerint per Chriſti mortem reuocata,non tamen ſic reuocata ſunt,vt cenſeantur fuiſſe iniuſta: ſed quia noluit Deus homines deinceps ad illa obligare,quamuis olim fuiſſent iuſtè mandata. Abſurdum enim & hereticum eſſet dicere,aliquam legem earum,quę olim per Moyſen datæ ſunt, fuiſſe contra legē naturalem aut quouis modo iniuſtam.Et hinc apertè infertur,principes nunc poſſe leges ſtatuere, quibus præciperent eos ſceleratos homines morte punire, quos olim lex Moſaica morte puniebat. Nec de his ſolis, ſed de omnibus illis legem mortis ſtatuere poſſunt,in quibus,iuxta legem naturalem,cauſam mortis iuſtā inuenire valent. Quoniam ea, quæ conformia ſunt legi naturæ, etiam diuinæ voluntati placere noſcuntur. Et ideo,vt legem de homine occidendo iuſtam eſſe cognoſcere valeamus,prius iuſtam mortis cauſam cognoſcere oportebit.Cauſa iuſtæ occiſionis duo in ſe complecti debet. Alterum eſt res ipſa,pro qua reus occidendus eſt,quæ talem eſſe oportet, vt vergat in Dei iniuriam aut damnum proximi. Quòd ſi nec Deo ſit iniurioſa, nec proximo quouis modo noceat,res erit prorſus indigna, vt D pro illa quis poſsit occidi. Alterum, quod exigitur, eſt ex parte ipſius delinquentis, vt videlicet ſit incorrigibilis. Nam qui aliter corrigi poteſt,iniuſtè occidetur,quoniam pœnæ ſemper mitigandæ ſunt. Si autem in eo delicto, per quod grauis iniuria Deo,aut damnū graue infertur proximo,incorrigibilis eſt,iuſtè occidetur, prout ſuprà diximus de membro putrido & inſanabili,quod meritò abſcinditur à corpore,ne reliquas corporis partes ex ſua cōiunctione inficiat. Incorrigibilem autē aliquem eſſe duplici præſumptione cognoſci poſſe dicit Henricus de Gandauo, videlicet,aut magnitudine delicti, aut ex frequenti illius iteratione.Et ex hoc oſtenditur apertè,iuſtas eſſe leges, quæ in diuerſis Chriſtiani orbis prouinciis de fure occidendo ſtatutæ ſunt. Quia etſi in lege Moſaica fur diurnus non præcipiebatur occidi, ex lege tamen naturæ conſtat, hoc in aliquibus furtis licitè fieri poſſe. Nam ipſa lex Moſaica, quæ (vt diximus) legi naturæ minimè repugnabat,licet in furtis minoribus ſolā inſtituerit talionis pœnā,vt puta dupli aut quadrupli reſtitutionē, pro grauioribus tamen furtis-

Henricus de Gāda-uo quoli-be.11.q.11

A tis pœnam mortis ſtatuit. Furti verò grauitas æſtimabatur dupliciter, aut ex ratione rei furtiuæ, aut ex cōſideratione perſonæ, in cuius poſſeſsione erat, quādo furto ſublata eſt. Propter primum, videlicet propter rationem rei furtiuæ, qui furatus fuiſſet hominem, & vendidiſſet eum conuictus, lege Moſaica iubebatur occidi. Propter ſecundam cauſam, *Exod. 21* quæ eſt conſideratio perſonæ, à qua res furto ſublata eſt, Achan lapidatus eſt: quoniam, quæ ille in deſtructione ciuitatis Iericho ex ſpoliis illius ſpoliatus fuerat, Domino iam dicata erant ex præcepto Ioſuæ ducis eorum, qui *Ioſue 6.* antequam ciuitas caperetur, hoc edictum voce publica promulgauit, dicens. Sit ciuitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea ſunt, Domino. Et paucis interpoſitis ſubdit. Vos autē cauete, ne de his, quæ præcepta ſunt, quippiam contingatis, & ſitis præuaricationis rei, & omnia caſtra Iſrael ſub peccato ſint atque turbentur. Quidquid autem auri & argenti fuerit, & vaſorum æneorum ac ferri, Domino conſecretur repoſitum in theſauris ſuis. Hoc dato edicto & ſa- *Ibidem 7.* tis diuulgato, Achan (vt ipſe proprio ore poſtea confeſſus eſt) clam ſuſcepit pallium coccineum, & ducentos ſiclos

B argenti, regulámq; auream quinquaginta ſiclorum. Quod furtum cùm Ioſue cognouiſſet, dixit illi. Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidauítque eum omnis Iſraël, & cuncta, quæ illius erant, igne conſumpta ſunt. Quamuis itaque lex Moſaica pro minoribus furtis ſolam talionis pœnam ſtatuit, aliquibus tamen maioribus furtis (vt ex dictis conſtat) pœnam mortis inferri iuſsit. Et inde deducitur, vt in aliis grauibus furtis ſimilis pœna poſſet à lege ſtatui, & ex iudicis mandato inferri. Nam crimina, quibus nulla in lege Moſaica fuit pœna decreta, conſtat illa nō eſſe ideo tunc impunita relinquenda, ſed erant ex iudicio naturalis rationis plectenda. Sicut nunc in lege euangelica nulla eſt talionis pœna pro aliquo crimine, nec aliqua alia pœna alicui crimini, niſi fortè homicidio aut adulterio, eſt in euangelio decreta. Non tamen ideo conſequens eſt, vt nullum ſit crimen præter homicidium, morte puniendum. Quoniam omnia illa ſunt iudicio natura- *Scotus in* lis rationis commiſſa. Nec opus eſt vt quis iuſtè poſsit oc- *4. ſenten.* cidi, habere bullam deſcendentem de cœlo (vt quidam ait) *diſtin. 15.* aut ſpecialem diſpenſationē Dei, qua diſpenſauerit contra *quæſt. 3.* illud

illud præceptum, Non occides,ſed ſatis eſt, quòd talis diſ- C
penſatio innoteſcat nobis ex lege naturæ, quæ à Deo in cordibus noſtris impreſſa eſt:& ideo (vt ſuprà diximus) vlteriore publicatione non indiget. Ex his omnibus conuincitur, poſſe iuſtè leges humanas ſtatui de pœna mortis pro aliquibus criminibus inferenda, ſi ex iudicio naturalis rationis illam inferendam eſſe conſtiterit: quamuis in lege Moſaica ſimilis pœna non fuerit pro tali crimine expreſſa. Et inde vlterius in particulari infero, iuſtam eſſe legẽ humanam,quæ furem diurnum pro graui furto, iubet occidi: quamuis lex Moſaica ſolum furem nocturnũ ſtatuit morte puniri. Grauitas autem furti, vt iuſtæ legis iuſta executio fiat, non leuiter iudicanda eſt, ſed ex magnitudine rei furtiuæ (vt diximus) aut ex dignitate perſonæ, à qua res furto ſublata eſt, aut ex ipſius furti frequentia, æſtimanda erit. Fortè contra hoc quis arguet, dicens oportere nos, iuxta ea,quæ diximus, fateri legem nouam eſſe crudeliorem lege veteri, quod nequaquam dicẽdum eſt, cùm Chriſtus ſaluator noſter de lege ſua euangelica loquens, dixe-
Matt. 11 rit.Iugum meum ſuaue eſt,& onus meum leue. Petrus autem de lege Moſaica contrarium docuit,cùm illos, qui le- D
gem Moſaicam ſimul cum euangelio obſeruandam eſſe
Act. 15. dicebant, reprehendit ſic inquiens. Quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum,quod neque nos, neq; patres noſtri portare potuimus? Conſequentiam inde fortè putabit arguens eſſe manifeſtam, quia in lege Euangelica fur diurnus iubetur occidi, qui in lege Moſaica nequaquam morte puniebatur.Hæc autem obiectio facillimè reiicitur,& cõuincitur nullius roboris eſſe per hoc, quòd lex Euangelica neminẽ iubet occidi, imò, quod maioris manſuetudinis eſt argumentum, nec talionem reddi iuſsit. Quia licet humanæ leges poſt datum euangelium furem occidi iubeant, hoc tamen non ex præcepto euangelij, nec contra illius prohibitionem, ſed ex ſola illius commiſsione faciunt. Nam circa pœnam mortis infligendam, lex euangelica ſolam legẽ naturalem nobis reliquit, vt is,qui poteſtatem habet, mortem pro eo crimine inferri iuberet, quod ex lege naturæ conſtaret eſſe morte plectendum.Crudelitas igitur, ſi talis dici meretur, non legi euangelicæ, ſed potius legi naturæ aſſcribi debet, quæ in

furis

A furis diurni punitione maiorem rigorem exercet, quàm olim lex Moſaica. Nec ſine cauſa lex illa vetus, quæ tantum rigorem in aliorum criminum punitione exercuit, in furis diurni punitione rigorẽ ſuum temperauit. Nam cùm lex illa ſoli populo Iſraël data ſit, iuxta illius populi mores & inclinationes, fuit à legiſlatore ordinata, & ideo illa crimina, ad quæ populus ille fuerat pronus, vt ſunt idololatria, blaſphemia, rebellio, ſchiſma, acerbo rigore punire decreuit, vt pœnarum metu à talibus criminibus deterreret. Furtum verò, quia ad illud non ſic erat populus ille procliuis, non tanto rigore punire decreuit. Poſtea verò, quia ſucceſſu temporis furta in populo illo frequentiora erant, ſapientiſsimus Salomon pœnam legis augere decreuit. Nam lege ab eo ſtatuta (vt ex Prouerbiorum libro *Prou. 6.* conſtat) qui aliquid furatus fuiſſet, ſi deprehenſus fuiſſet, ſeptuplum reddere, & omnem ſubſtantiam domus ſuæ tradere iubebatur: cùm tamen lege Moſaica pro boue *Exod. 22* furtiuo ſolùm quinque boues, & pro vna oue, ſolùm quatuor oues reddere iubebatur. Nunc igitur cùm tanta ſit furum copia, & multi ad furtum tam procliues, vt nullo

B pœnarum metu à furtis abſtineant, oportuit pœnam mortis cõtra incorrigibiles ſtatuere. Incorrigibilis autem non ex ſola furti frequentia cenſetur, ſed etiam ex magnitudine rei furtiuæ per iuris præſumptionem (vt diximus) iudicatur. Nam etſi ex ſola hominis præſumptione nemo poſsit ad mortem damnari, ex iuris tamen præſumptione hoc in multis caſibus fieri iubetur. In lege Moſaica fur no- *Ibidem.* cturnus occidebatur impunè, non ob aliam cauſam, quàm quòd præſumebatur inuaſor, & paratus ad occidendum eum, qui res ſuas defendere vellet. Quæ præſumptio, quia non iuſtè habebatur contra furem diurnum, ideo ille prohibebatur occidi. Ex iure canonico conſtat dupliciter hæreticum poſſe ex ſola iuris præſumptione cenſeri relapſum, vt patet in capit. Accuſatus, de hæreticis, libro ſexto. Qui autem ſic relapſus iudicatus eſt, poteſtati ſeculari traditur ad arbitrium illius puniendus, quem ſemper illa, ſi verè catholica eſt, & zelo Dei feruet, ad mortem damnare ſolet. Iuxta ea, quæ diximus, intelligendus eſt (vt ego exiſtimo) Alexander de Ales, & qui illum in hac parte *Alexād.* ſecutus eſt doctor ſubtilis Scotus, qui dicunt neminem pro *de Ales*

ſimplici

parte 3. queſ. 47. memb. 4. artic. 3. Scotus in 4. ſenten. diſtin. 15. queſt. 4.

ſimplici aut ſolo furto poſſe licitè occidi. Simplex aut ſolum furtum (vt ego cenſeo) illud ab eis dicitur, quod nullam habet circunſtantiam notabiliter aggrauantem: & pro tali dicunt neminē eſſe morte plectendum. Et de tali furto intelligendum eſt edictum Iuſtiniani Imperatoris, qui in Authentica, Vt nulli iudicū. §. Quia verò, Collatione nona, ſic ait. Pro furto autem nolumus omnino quodlibet membrum abſcindi, aut mori, ſed aliter eum caſtigari. Hæc ille. Cæterùm ſi furtum habeat circunſtantiam notabiliter aggrauantem, iam non dicetur ſimplex aut ſolum furtum. Magnitudo rei furtiuæ etſi non mutet ſpeciem furti, illud tamen eò magis aggrauat, quò maioris valoris & æſtimationis eſt res furtiua. Idem faciunt furti frequentia, dignitas etiam loci, in quo commiſſum eſt furtum, & magna rei furtiuæ neceſsitas, etſi quæ aliæ ſimiles circunſtantiæ furto contingere poſſunt. Furtum, quod aliqua ex his circunſtantiis veſtitur, non ſimplex nec ſolum furtum dicetur, ſed furtum cum homicidio, aut cum incorrigibilitate, aut cum contumacia, aut cum contemptu & irreuerentia loci ſiue perſonæ. Et propter has circunſtantias adiunctas, poterūt pœnæ augeri vſque ad membri abſciſsionem, imò etiam vſque ad mortem, iuxta circunſtantiæ grauitatem. Et ideo Imperator Iuſtinianus diuerſam à præcedenti de huiuſmodi latronibus legem ſtatuit. Nam in illa proximè citata Authentica, poſt illam legem de furto ſimplici latam, ſtatim de aliis furibus hanc, quæ ſequitur, ſtatuit legem. Eos verò, qui violenter aggrediuntur, aut cum armis, aut ſine armis in domos, aut itineribus, aut in mari, pœnis eos legalibus ſubdi iubemus. Hæc ille. Et de omnibus talibus intelligendum eſt, quod dicitur in l. Capitalium. §. Famoſus. ff. de pœnis. Nam famoſi latrones (vt ego cenſeo) non ſolùm dicendi ſunt illi, qui frequenter furtum iterauerunt, aut magnum aliquod furtum commiſerunt, ſed omnes illi, qui furtum notabili aliqua & multum aggrauante circunſtantia veſtierunt.

Quod hactenus de pœnis corporalibus diximus, eas iuxta menſuram delicti eſſe lege ſtatuendas, aut à iudice infligendas, de pœnis etiam ſpiritualibus intelligendum eſſe volo, ita vt minori & leuiori culpæ, nunquam grauior aut acerbior imponatur pœna ſpiritualis. Niſi fortè ratione medicinæ

A medicinæ illa infligeretur,(vt de pœna corporali ſupra diximus)ad terrorem multitudini incutiendum, vt quæ ex vnius exemplo ad peccandum prouocata fuit, vnius etiam acerba punitione à peccato reuocetur. Et tanto magis neceſſariũ eſt hanc delicti menſuram in pœnis ſpiritualibus infligendis diligenter cõſiderare,quãto grauiores ſunt pœnæ ſpirituales quàm corporales. Ex qua ſententia apertiſſime cõuincitur peſsimũ eſſe abuſum qui iam paſsim apud multos Eccleſiæ prælatos inoleuit in excõmunicationibus quas paſsim pro leuibus furtis inferũt. Nam cũ Eccleſia nõ habeat acerbiorẽ & acutiorem gladiũ quo rebelles & indomitos ferire poſsit, quàm excõmunicationem:æquũ eſſet & rationi conſentaneũ non paſsim, & pro quouis crimine illum euaginare,& quemcũq; peccatorẽ illo ferire. Quoniam hac ſola occaſione excõmunicatio, licet grauiſsima ſit pœna,iam contemnitur,& ferè pro nihilo ab omnibus habetur:quæ ſi nimiũ rara eſſet, & nõ niſi pro grauiſsimo crimine infligeretur,multò magis æſtimaretur,& timeretur. Nec valet excuſatio quam aliqui epiſcopi ad velamen tam peſsimi abuſus mihi dum eſſem in Concilio Triden.

B obtulerunt dicentes,tales excõmunicationes non propter leue furtum,aut propter aliã ſimilẽ cauſam inferri ab eis, ſed propter cõtumaciã & rebellem inobedientiã. Multum ſiquidem intereſt(vt rectè docet Ioannes Gerſon lect.iiij. de vita ſpirituali,corollario vij.)inter vnam & alterã contumaciã. Oportet enim cõſiderare qualis ſit contumacia,& quantũ illa poſsit Eccleſiæ nocere, & qualis eſt etiam res circa quam habetur cõtumacia. Nam multò peior & nocẽtior eſt in rebus fidei & religionis, & pacis, & vnionis Eccleſiaſticæ, quàm in parua quæſtione ſuper modica re temporali orta: vbi nunquam tantum poterit prodeſſe obedientia, quantum oberit excommunicatio ſeparans animam à ſpiritualibus ſuffragiis, & ſocietate ſanctorum. Si contumacia eſt magna, & pro re magni momenti habita,erit iuxta doctrinam ſaluatoris noſtri merito excommunicandus. Si verò contumacia eſt leuis,aut pro re leui habetur,indignum putarem,vt pro illa ſit aliquis excommunicandus. Nam qui pro modica re euitanda aut propulſanda ſtatim vellet excõmunicationem infligere, perinde faceret ac ſi à fronte alicuius hominis volens mu-

Ioannes Gerſon.

ſcam abigere eam ſecuri percuteret, maius ſic inferens homini damnum, quàm illi inferret muſca ſi illam in fronte permitteret. Stultum certè eſt, maioris damni periculo ſe obiicere ad euitandum minus. Et ob hanc cauſam Ioãnes Gerſon in illa lect. iiij. de vita ſpirituali, corollario xiiij. dicit expediens ſibi videri, vt nulla ſententia excommunicationis inferretur, niſi propter contumaciam habitam in rebus ſpiritualibus. Nam cùm excõmunicatio ſit gladius purè ſpiritualis, videtur ei non eſſe illam aſſumendam ad protectionem rerum temporalium. Quoniam (vt ait) res temporales non debent conſeruari vel repeti cum grauiori incommodo eorum, à quibus repetuntur, quàm ſit vtilitas proueniens ipſis repetentibus. Deinde, quia Eccleſia nõ debet acerbius punire delinquentes ciuiliter & in rebus temporalibus, quàm ſecularis poteſtas ſimiliter delinquentes punit. Contrarium tamen euenit, dum propter contumaciam habitam in cauſa rerum temporalium, iudex eccleſiaſticus incarcerat & ligat animas grauiſsimis excommunicationis vinculis: iudex verò ſecularis, ſola corporum animaduerſione punit, & illa ſola contentus eſt. Et hanc C

Leo papa meam ſententiam confirmo teſtimonio Leonis papæ, huius nominis primi, qui epiſtola 87. ſcribens epiſcopis per prouinciam Viennenſem conſtitutis, hæc ait. Nulli Chriſtianorum facilè communio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium ſacerdotis, quod in magni reatus vltionem, inuitus & dolens quodammodo debet inferre animus vindicantis. Cognouimus enim pro commiſsis & leuibus verbis quoſdam à gratia communionis excluſos, & animam, pro qua Chriſti ſanguis effuſus eſt, irrogatione tam ſæui ſupplicij ſauciatam, & inermen quodammodo, exutámque omni munimine, diabolicis incurſibus, vt facilè caperetur, obiectã. Certè ſi quando cauſa talis emerſerit, vt pro commiſsi criminis qualitate aliquem faciat iuſtè communione priuari, is tantum pœnæ ſubdendus eſt, quem reatus inuoluit, nec particeps eſſe ſupplicij, qui conſors non docetur commiſsi. Hæc Leo papa, vir ſanctitate perinde ac doctrina clarus. In cuius verbis, quid ad hanc rem pertinet, breuiter & apertè continetur. D

Hactenus de ipſis legibus pœnalibus diſſeruimus, nunc de illarum executione parum aliquid dicere ſtatui. De qua re duo

A re duo mihi parua dubia occurrerunt, quibus reſpondere oportet. Primum oritur ex varietate legum pœnaliũ, quæ ſucceſſu temporis ſæpe mutari ſolent per augmentum aut diminutionem pœnæ. Si igitur poſt crimen aliquod commiſſum lex, quæ pœnam certam contra illud crimen ſtatuerat, mutaretur ante illius criminis punitioñe, dubium eſt, qua pœna tale crimen debeat puniri: an pœna, quæ erat ſtatuta, tempore quo tale crimen commiſſum eſt, an pœna, quæ per poſteriorem legem ſancita eſt, quæ ſcilicet viget eo tempore quo crimen puniendum eſt. Huic dubio Bartolum ſequutus Abbas reſpondet in c.fin. de conſtitutio. diſtinguendo de pœna ordinaria & extraordinaria. Si pœna eſt ordinaria, dicit in illa imponenda habendum eſſe reſpectum ad tempus, quo crimen commiſſum eſt: & de hac ſola pœna intelligendum eſſe cenſet cap.fin. de ſenten. excommu. & l.j.ff. de pœnis. Si verò eſt pœna extraordinaria, quæ (vt ſuprà diximus) poteſt ex cauſa iuſta minui vel augeri, tunc dicit conſiderandum eſſe tempus ſententiæ & non delicti. Alterum dubium eſt de crimine, cui non eſt à iure ſpecialis aliqua pœna decreta, ſed ſolum in genere B præcipitur, vt à iudice puniatur, quæritur de hoc crimine, qua pœna puniẽdum erit. Hanc dubitationẽ ſoluit Abbas *Abbas.* in c. Ex literis, de cõſti. dicẽs tale crimen eſſe puniendũ pœna illa, quæ iuxta conſuetudinem patriæ ſolet tali crimini imponi, etſi conſuetudinem illam exceſſerit iudex, dicit illum iniuſtè agere. Pro qua ſententia adducit l. Hodie. ff. de pœnis, prout lex illa ab Accurſio ibi exponitur. Sed re vera textus illius nullo pacto huic ſentẽtiæ ſeruit, nec Accurſius rectè illic interpretatur. Nam cùm Vlpianus in illa lege dicat iudicem in punitione delicti nunquam debere excedere rationem, Accurſius hanc vocem, rationem, interpretatur per vocem, conſuetudinem: & ita videtur Accurſio idem eſſe non excedere rationem, & non excedere conſuetudinẽ. Quã diſtorta & à litera aliena ſit, hæc expoſitio, qui philoſophiã moralẽ & propria illius vocabula vel mediocriter intellexerit, facilè agnoſcet. Rationẽ illo loco Vlpia. accepit pro recto iudicio intellectus. Rationẽ igitur in punitione delicti nõ excedere, eſt nõ punire illud crimẽ maiori pœna, quàm rectum iudicium rationis iudicaret eſſe puniendum. Rationem excedere, eſt vltra menſuram

delicti punite. Nam recta ratio in punitione delicti eſt il- C
Deut. 25. la, quæ à Deo declaratur, dicente. Pro menſura delicti erit & plagarũ modus. Fateor quidem rationẽ eſſe, vt conſuetudo bona ſeruetur. nõ tamen ideo conſequens erat, vt generale nomẽ rationis, quod in illa lege ab Vlpiano poſitum erat, ad ſolã cõſuetudinis rationẽ reſtringeretur. Malè certè interpretatur, qui genus aliquod per vnã & fortè minimam illius ſpeciẽ exponit. Si nulla habetur de punitione criminis conſuetudo, nec per legẽ eſt pœna aliqua pro tali crimine expreſſa, tũc dicit Abb. illius criminis pœnam eſſe iudicis arbitrio cõmiſſam. Et in hoc caſu (vt ego cenſeo) diſponit illa l. Hodie, proximè citata, ita vt tunc iudex ex arbitrio ſuo puniens, nõ excedat rationem, hoc eſt, nõ grauiorem pœnam inferat, quàm delictum. Et certè ſi bene verba legis aduertantur, conſtabit clarè illam diſponere in caſu, vbi nulla eſt conſuetudo pœnæ, ſed tota illa ex iudicio pendet. Nam dicit licere iudici quam voluerit ſententiam ferre, vel grauiorem vel leuiorem. At, ſi conſuetudo eſſet de certa aliqua pœna infligenda, iam non liceret iudici ex arbitrio ſuo pœnam infligere, ſed teneretur cõſuetudinem ſeruare. Tunc igitur quando ex arbitrio iudicis D pendet punitio, non debet ille rationem excedere, penſatis tamen bene omnibus delicti circunſtantiis, præſertim loci, temporis, & perſonæ. An autem iudex, cùm ex illius arbitrio pendet punitio, poſſit delinquentem pœna capitali punire, Abbas in dicto cap. Ex literis, tenet partem affirmatiuam, & reprehendit Albericum de Roſato, qui oppoſitam tuetur ſententiam. Sed mihi multò magis arridet ſententia Alberici. Quoniam (vt ex verbis Ariſtotelis ſuprà in hoc capitulo citatis conſtat) minima ſunt, quæ iudicis arbitrio relinquere oportet. At mortis ſupplicium non eſt inter minima, ſed inter maxima computandum. Illud ergo non eſt iudicis arbitrio relinquendum. Et inde ſequitur, iudicem, qui ſine lege id præcipiente, aliquem occiderit, peccare: quia faceret contra præceptum diuinum, dicens. Non occides. A qua generali prohibitione Theologi, ad quos potiſsimum diuinorum præceptorum interpretatio ſpectat, ſolùm excipiunt eos, qui authoritate legis iuſtæ aliquem occiderint. Nam Auguſtinus libro primo de Ciuitate Dei, poſtquam capite xx. dixerat

Abbas. Albericus.

Auguſt.

per

A per hoc præceptum, Non occides, prohibitum eſſe, ne quis ſe aut alterum occidat, tandem capite vigeſimo primo, hæc ait. Quaſdam verò exceptiones eadem ipſa diuina fecit authoritas, vt liceat hominẽ occidi. Sed his exceptis, quos Deus occidi iubet, ſiue data lege, ſiue ad perſonam pro tempore expreſſa iuſsione, non autẽ ipſe occidit, qui miniſterium debet iubenti, ſicut adminiculum gladius eſt vtenti. Et ideo nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum eſt, Non occides: qui Deo authore bella geſſerunt, aut perſonam gerentes publicæ poteſtatis, ſecundum eius leges, hoc eſt, iuſtiſsimæ rationis imperium, ſceleratos morte punierunt. Et Abraham non ſolùm non eſt culpatus crudelitatis crimine, verum etiam laudatus eſt nomine pietatis, quòd voluit filium nequaquam ſceleratè, ſed obedienter occidere. Hæc Auguſtinus. In quibus verbis id potiſsimum annotandum eſt, quòd Dei iuſsionẽ ab hominis iuſsione hac ratione diſtinguit, quòd Deus poteſt iubere aliquem occidi, aut per legem ab eo datam, aut per particularem eius iuſsionem ad perſonam pro tempore expreſſam. Homo autem etſi perſo-
B nam publicæ poteſtatis gerat, hoc non poteſt iubere niſi ſecundum leges iuſtas, quæ ſecundum iuſtiſsimæ rationis imperium inſtitutæ ſunt. Et inde conuincitur, iudicem, vbi id lex non ſtatuit, non poſſe aliquem morte punire: quia faceret contra Dei præceptum, quo præcipit non occidere.

Qualiter leges pœnales ſunt interpretandæ.

CAPVT VII.

OSTENSA legum pœnalium neceſsitate & qualitate, ſimulq; declarato qualiter illas exequi oporteat, nunc ſupereſt diſſerere, qualiter illæ ſint interpretãdæ. Parum enim prodeſſet leges iuſtiſsimas & ſanctiſsimas ſtatuere, ſi illæ in prauum & à litera valde alienum ſenſum detorquerentur. De hac re aliquæ ſunt datæ regulæ in titulo de regulis iuris, libro ſexto, quarum præcipua eſt illa, quæ eſt in ordine illius tituli quadrageſima nona, ſic dicens. In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.

Pro cuius regulæ veritate tuenda & declaranda, neceſſarium cenſui aliqua addere documenta, quæ omnem poſſint dubitationem aut ſcrupulum tollere. C

Documētū tertiū. Primum documentum eſt, vt aduertat lector hanc regulam in ſola illa lege eſſe intelligendã, quæ ex vi & proprietate ſuorum verborum tam variam habere poſſit interpretationem, vt inde iuſta poſſit oriri dubitatio, quo pacto ſit interpretanda. Nam ſi verbis legis plenè circunſpectis, conſtat illam vnam tantum habere ſignificationem, non eſt vis vlla talibus verbis facienda, vt illa cogantur mitiorem aut benigniorem ſenſum reddere quàm verè habeant. Alioqui nulla eſſet legis pœnalis certitudo, ſi eam quiſque poſſet, etiam vim faciendo verbis, pro libito interpretari. Sed ſi communis vſus diuerſam ſeruaret vocis ſignificationem ab illa, quam vocis proprietas retinet, dubium eſſet, iuxta quam ſignificationem eſſet interpretanda. *Bartolus* Bartol. in l. omnes populi, quæſt. vj. principali. ff. de iuſtitia & iure, dicit leges eſſe iuxta illam verborum ſignificationem interpretandas, qua communis vtitur populus, vt colligitur ex l. Librorum. §. Quod tamen Caſsius. ff. de lega. iij. Et tantum valere dicit communem loquutionis vſum in examinandis ſermonibus, vt illum præferendum eſſe cenſeat omni regulæ & omni conſtitutioni contrarium diſponenti. Et in l. non dubium. C. de legib. dicit iuxta talem loquutionis vſum eſſe verba legis ſemper interpretanda, quamuis vſus ille repugnet propriæ verborum ſignificationi. Tunc enim dicit mentem legis eſſe, quòd intelligamus eam iuxta communem vſum loquendi, licet ſit improprius, & pro hac ſententia illo loco poſt prædictam l. Librorum. ff. de legatis iij. citat legem, In vulgari, & l. Vt Alfenus. ff. de verborum ſignific. *Abbas.* Abbas in prooemio Decretalium conſentit Bartolo in hac parte, & citat Antonium de Butrio limitantem hanc ſententiam ad ſola municipalia ſtatuta, in quibus vſum verborum communem tanti faciendum eſſe dicit, vt quamuis ſtatutum dicat verba debere intelligi vt iacent, ſemper illum ſeruandum eſſe cenſeat. In legibus autem conditis à iuriſperitis, dicit Abbas Antonium de Butrio ſentire, verba *Anto. de Butrio.* eſſe interpretanda, non iuxta vſualem, ſed iuxta propriam verborum ſignificationem. Quod Antonij dictum D

Abbas

A Abbas pro ſua modeſtia nõ reprehendit, ſed interpretatur, dicens verum illud eſſe, ſi vſus differens à proprietate vocabuli eſſet in aliquo loco particularis, & lex eſſet generalis, tam pro illo loco, quàm pro alio, in quo propria ſeruatur vocabuli ſignificatio. Tunc enim dicit Abbas verum eſſe, quod ait Anto. de But. interpretationem legis eſſe faciendam iuxta propriã verborum ſignificationem, & non iuxta vſum loquendi, quia vſus ille non eſt communis. Si verò lex eſſet pro aliquo particulari loco ſtatuta, tunc videtur Abbati legem eſſe interpretandam, iuxta vſum ſignificationis verborum, qui in illo loco ſeruatur. Et hanc ſuam ſententiam, qua Bartolo cõſentit, iterum repetit Abbas in cap. Per tuas, de probationibus. quo loco vltra ſuprà dicta addit, communem vſum verborum ſeruandum eſſe in legum interpretatione, non ſolùm in lege fauorabili, ſed etiam in lege odioſa, qualis eſt lex pœnalis. Ex qua ſententia infert Abbas poſt Ioannem Andræam in capit. Fundamenta, de Electione libro ſexto, nepotis nomine in lege pœnali debere intelligi, non ſolùm filium filij vel filię, ſed etiam filium fratris vel ſororis. Quia etſi propria nepotis *Ioannes Andræas*

B appellatio ſolùm filium filij vel filiæ comprehendat, vt dicitur in l. Iuriſconſultus. §. Nepos. ff. de gradibus: communis tamen loquendi vſus iam præualuit, vt filius fratris vel ſororis nepos dicatur. Sic enim, vt Abbas ait, dicitur nepos cuiuſdam ſubdiaconi, is de quo agitur in cap. Accedens, de accuſationibus. Sed re vera ex litera illius textus non poteſt conuinci, quòd ille, de quo agitur in illo capitulo, dicatur nepos, iuxta impropriam illius vocis ſignificationem. Quia nihil de illo ibidem refertur, vnde poſſit apertè probari, illum fuiſſe filium fratris aut ſororis, ſed potius filium filij aut filiæ. Poteſt adhuc circa legis pœnalis interpretationem oriri dubitatio, ex varia vocum ſignificatione, præſertim ſi quælibet illarũ eſt illi voci propria, & vſu ſeruata. Nam ſi vna tantum eſſet in vſu, iam diximus, iuxta illam eſſe leges interpretandas. Deinde, ſi vtraq; ſignificatione communis populus vtatur, & altera eſſet propria vocis ſignificatio, altera verò impropria, tunc leges interpretandæ erunt iuxta illam ſignificationem, in qua legislatoris mentem fuiſſe verba illa accipere, ex veriſimili ratione cõſtare poterit, quamuis talis ſignificatio ſit

impropria,& quę verborum proprietati repugnet. Nam in C
ſimili caſu Pedius de teſtamentis loquens, dixit, non propriam verborum ſignificationem ſeruari debere, ſed in primis quid teſtator demonſtrare voluerit, vt habetur in l. Cùm de lanionis inſtrumento. §. Aſinam. ff. de fundo inſtructo, vel inſtrumento legato. Et Marcellus iuriſconſultus in l. Non aliter. ff. de legatis iij. dicit, non aliter à ſignificatione verborum recedi oportere, quàm quum manifeſtum eſt aliud ſenſiſſe teſtatorem, quàm verba ſonare videntur. Toties autem mens legislatoris manifeſta eſſe poterit de ſignificatione ſuorum verborum, quoties ratio iniquitatis aut abſurditatis vitandæ, cogit verba in vna tantum ſignificatione ſumi, ita vt ſi ſecundum aliam ſignificationem verba illa ſumerentur, lex illa apertam contineret iniquitatem. Et tunc ea ſemper ſignificatio, quamuis ſit impropria, ſumenda eſt in legis interpretatione, per quam iniquitas omnis & abſurditas legis vitatur, & ſine qua talis iniquitas aut abſurditas vitari non poſſet, prout dicitur in l. In ambigua voce. ff. de legib. Nec mirum videri debet alicui, quòd pro abſurditate vitanda, à propria vocum ſignificatione ſit recedendum, circa legum D
humanarum interpretationem. Quia in ſcripturæ ſacræ interpretatione idem neceſſariò faciendum eſſe, ſancti do-
Gregor. ctores cenſent. Nam beatus Gregorius in prologo libri Moralium, quæ ædidit in Iob, dicit, quòd quando id, quod iuxta hiſtoriam narratur, verum non eſſe deprehenditur, tunc ratio cogit, vt iuxta myſticam vocum ſignificationem ſenſus verus literæ accipiatur. Et idem docet beatus
Hierony. Hieronymus ſæpiſsime, præſertim ſuper caput xix. Eſaiæ in principio: & ſuper pſal. 80. in verſu. Et adipe frumenti ſatiat te. Non eſt ergo mirum ſi in interpretatione legum humanarum dicamus, quòd pro abſurditate vitanda ſit recedendum à propria vocum ſignificatione. Pro cuius rei
Bartol. intelligentia ponam exemplum, quod ponit Bartolus in l. Non dubium. C. de legibus. Ponamus legem cōditam eſſe ſub hoc verborum contextu, ita dicentem. Quicunq; humanum ſanguinem in principis palatio fuderit, capitali ſententia puniatur. Si hac lege data Chyrurgus aliquis, medendi cauſa, alicuius venā ſecuerit, & ſanguinem illius in principis palatio fuderit, erit ob hoc mercede donan-
dus:

A dus: tantum abeſt, vt legis illius tranſgreſſor dicendus ſit. Quoniam illius legis verba non de quacunq; humani ſanguinis effuſione, ſed de illa ſola, quæ fit per iniuriam homini illatam, interpretãda ſunt, niſi velimus talem legem facere iniquam: quod nunquam tentare debemus, imò potius è contrario conari oportet, vt quoties ipſe verborum contextus hoc patitur, omnem iniquitatem & abſurditatem à lege excludamus. Ex eadem ratione infero, eccleſiam minime violari per illam ſanguinis humani effuſionem, quæ ad ſalutis conſeruationem ex medici præcepto facta fuerit per alicuius venæ inciſionem. Quoniam etſi in cap. Si eccleſia, extra de conſecratione eccleſiæ vel alt. dicatur eccleſiam per ſanguinis effuſionem pollui, id tamen non de omni ſanguinis effuſione intelligendum eſt, ſed de illa ſola, per quam homini infertur iniuria, aut per quam aliqua contra locum ſacrum committitur irreuerentia. Alioqui oportet fateri eccleſiam violatam eſſe, ſi in illa brutum aliquod animal hominem percuteret, & illius ſanguinem funderet. Hoc autem nullus ſanæ mentis concedet. Nam iniquum valde & abſurdum eſſet, pœnam inferre, non ad

B præteritæ culpæ punitionem, nec ad futuræ cautelam aut coërtionem, nec deniq; ad alicuius boni executionem. Si de mente legislatoris ex veriſimilibus argumẽtis conſtare non poteſt, in qua ſignificatione ille verba legis acceperit, tunc ex duabus alicuius verbi ſignificationibus, quarũ vna eſt propria, & altera impropria, ſemper propria ſignificatio ſumenda erit altera relicta, prout dicitur in l. j. §. Si is qui nauem. in verſu, In re igitur dubia. ff. de exercitoria actione: & prædicta l. Non aliter. ff. de leg. iij. Si autem verbum in lege aliqua poſitum plures habet ſignificationes proprias, dicit Bartolus in illa l. Omnes populi. ff. de iuſtitia & iure, illam verbi ſignificationem eſſe pro legis interpretatione capiendam, quæ magis poſsit ſubiectæ materiæ conuenire. Pro qua re ille citat legem, Si vno anno. ff. locati & conducti. & legem, Si ſeruus plurium. §. finali. ff. de legatis primo, & apertius ſuæ ſententiæ fauere dicit legem, Quoties. ff. de reg. iuris. Sed ſi vtraq; vocis ſignificatio poſſet ſubiectæ materiæ conuenire, & vtraque eſſet propria, & æquè in vſu ſeruata, & non poſsit ex veriſimilibus rationibus coniici, qua illarum legislator fuerit

vſus,quid tunc faciendum eſſet? Mihi videtur tunc princi- C
pem eſſe conſulendum, quia ſicut ille ſolus poteſt legem condere,ita ille ſolus poteſt interpretationẽ dare, quæ pro lege tenẽda ſit. Nam de huiuſmodi legum interpretatione ego intelligendum puto,quod dicitur in lege,Leges ſacratiſsimæ,& lege vltima.C.de legibus. Si verò lex eſſet Eccleſiaſtica, illius interpretatio à papa petenda eſſet, vt ab illo ſemper procedat interpretatio, à quo lex ipſa prodierat,prout dicitur in cap.Inter alia,de ſententia excõmunicationis. Cæterùm ſi lex eſſet pœnalis,& aliqua ambiguæ vocis ſignificatio poſſet mitiorem aut benigniorem facere legem quàm altera, exiſtimo illam eſſe in legis interpretatione capiendam, nec opus eſſe pro illa cauſa conſulere principem. Quoniam in tali euentu & aliis ſimilibus, in quibus iuſta poteſt de vera legis intelligẽtia quouis modo oriri dubitatio,puto intelligendam eſſe illam regulam ex libro ſexto Decretalium,quæ præcipit,In pœnis benigniorem eſſe interpretationẽ faciendam. Nam vbi nulla poteſt iuſta dubitatio de legis intelligentia haberi,non eſt (vt à principio dixi) vis vlla verbis legis facienda, vt illa cogantur benigniorẽ ſenſum habere,quã verè habeãt. Quòd D
autẽ regula illa in ſolis rebus dubiis ſit intelligenda,apertè conuincitur ex alia iuris ciuilis regula,vnde iſta ſumpta eſt,quæ habetur.ff.de regu.iur. ſub hoc verborũ contextu. Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt. Pro cuius regulę expoſitione adducit illic glo.exemplũ ex l.Merito. ff.pro ſocio,in qua Vlpianus iuriſcõſultus cenſet credendũ eſſe eũ,qui ſocietatẽ cũ alio habens,ex re vtriq; cõmuni aliquid abſtulit,iure potius ſuo vti,quã furti conſilium inire.

Documẽtum ſecũdum. Secundum documentum eſt, vt ea, quæ generaliter & indiſtinctè dicta ſunt,non reſtringantur ad ſpecialem aliquem intellectum pro benigniore legis interpretatione facienda, niſi fortè per aliam legẽ reperiatur ad ſpecialem aliquem & diſtinctum intellectum reſtringi id, quod in eadem lege generaliter & indiſtinctè dictum habetur,aut niſi ex illa indiſtincta generalitate iniquitas aliqua aut abſurditas ſequeretur. Hoc documentum adeò certum & infallibile à iuriſperitis cenſetur, vt iam loco prouerbij ſit ab illis ſub hoc verborum tenore celebratum.Vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Pro cuius prouerbialis

A uerbialis ſententiæ probatione, multi hinc inde ex vtroq; iure textus adducuntur, qui illam ſententiam apertiſsimè docent: videlicet.l.iij.ff.de officio præſidis.l.Imperator.ff. de poſtulando.l.De precio.ff.de publiciana in rem action. & cap.Quod ſi dormierit.xxxj.q.j.cap.Solitæ.§.Nobis autem,de maiorit.& obedientia. Verùm etſi hoc documentum apertiſsimis ex vtroq; iure teſtimoniis comprobetur, non tamen eſt vſquequaq; adeò verum, vt non ſit opus aliquas illi addere limitationes ad illius fulcimentum & ſuſtentationē, ne veritas illius aliqua ex parte corruat. Primò quidem, illud documentum limitandum eſt ad eas ſolas leges, quæ per aliquam aliam ſpecialem legem non ſunt reſtrictæ. Nam ſi alia ſpecialis ſit lex, quæ diſtinctè de aliquo particulari loquatur, tunc lex, quæ generaliter & indiſtinctè loquitur, neceſſariò erit reſtringenda, iuxta alterius ſpecialis legis diſpoſitionem. Quia (vt dicit regula iuris in ſexto) generi per ſpeciem derogatur. De qua re poteſt dari apertum exemplum ex iure in l. Sanctio legum. ff. de pœnis, vbi Papinianus iuriſconſultus docet, generalem principis legem, præcipientem eum, qui legibus non obedie-

Limitatio prima documenti.

B rit, iudicis arbitrio puniri, non eſſe intelligendam in illis criminibus, quibus ſpecialis pœna per legem addita eſt. Quia (vt idem Papinianus ait) non ambigitur in omni iure ſpeciem generi derogare. Secundò, ad veritatem. noſtri præfati documenti exigitur, vt nulla iniquitas aut abſurditas ex illa indiſtincta generalitate ſequatur: quoniam ſi talis abſurditas inde apertè ſequeretur, neceſſarium eſſet, vt ad talem abſurditatem vitandam, generalis illa & indiſtincta eloquutio, ad ſpecialem aliquem & diſtinctum intellectum reſtringeretur: eo enim caſu, quamuis lex non diſtinguat, nos diſtinguere debemus: ne vllo quouis modo abſurditatem aut iniquitatem in lege contineri patiamur. Hanc ſententiam docet Bartolus in l. Furti. §. Pactus. ff.de his, qui notantur infamia. Et in ſuæ ſententiæ cõfirmationem profert prędictam l. Furti.in §.Pactus. & citat l.Aliud.§.Abſurdum.ff.de regulis iuris.& l. Quæſitum.ff.de teſtibus. Mihi etiam videtur pro eiuſdem ſententiæ confirmatione poſſe adduci Clementinam, Auditor,& Clementinam, Literas, de reſcriptis. Ex qua ſententia infero eccleſiam non pollui per ſemen ab homine

Limitatio ſecũda documenti.

Bartol.

ſom

ſomniante emiſſum: quamuis in cap. Si eccleſia, extra de C conſecra. eccle. vel altaris. & in cap. Eccleſiis, de conſecratione, diſtinct. j. dicatur, eccleſiam per quodcunque ſemen emiſſum pollui, & indigere reconciliatione. Quia licet tales textus generaliter & indiſtinctè loquantur, tamen ad vitandam abſurditatem & imprudentiam, neceſſarium eſt illos ad ſolam illam humani ſeminis emiſsionem reſtringere, quæ fit cum peccato, aut cum aliqua ſacri loci irreuerentia. Hoc vltimum de ſacri loci irreuerentia ideo addidi, propter Ioannem Andræam, & Archidiaconum, & ſummam Piſanam, & ſummam Angelicam, qui tenent eccleſiam violari per coitum coniugalem. Quia (vt aiunt) licet talis coitus fiat ſine peccato, non tamen ſine ſacri loci irreuerentia. Quando igitur talis irreuerentia tolleretur, vt puta ſi coniuges longo tempore in eccleſia eſſent obſeſsi, & de illicita ſeminis emiſsione ſibi ipſis timentes ſimul coniungerentur, dicunt eccleſiam tunc non fore violatam, nec egere reconciliatione. Et iſtorum ſententiam extenſis (vt aiunt) vlnis, ego amplector. Quia ſicut eccleſia non polluitur per effuſionem ſanguinis ad conſeruationem vitæ corporalis, vt proximè ſuprà diximus: multò D iuſtius eſt, vt illa non polluatur per effuſionem ſeminis ad conſeruationem vitæ ſpiritualis. Vbi igitur nullum prorſus eſt peccatum, nulláque interuenit irreuerentia, non eſt veriſimile eccleſiam violari, aut ſic pollui, vt egeat reconciliatione. Et inde conſequens eſt, vt per emiſsionem ſeminis ab homine ſomniante factam, eccleſia non polluatur: quum illa effuſio ſeminis careat omni peccato & omni irreuerentia. Abſurdum enim eſſet dicere, per opus, quod omni caret arbitri libertate, eccleſiam poſſe violari. Vt igitur omnem abſurditatem à iure canonico propellamus, neceſſarium eſt, vt textus illos ſuprà citatos, qui de omni ſeminis effuſione generaliter & indiſtinctè loquuntur, ad ſolam illam humani ſeminis emiſsionem reſtringamus, in qua aliquod interuenit peccatum, aut aliqua irreuerentia. Alioqui oporteret dicere, per coitum brutorũ animalium eccleſiam etiam violari. Nam textus illi ſuprà citati, non de ſolo humano ſemine, ſed de quouis ſemine generaliter & indiſtinctè loquuntur. Abſurdum autem & ineptum eſſet dicere, eccleſiam ex coitu brutorum animalium ſic pollui,

A pollui, vt egeat reconciliatione. Et idem dicendum eſt de effuſione ſanguinis cuiuſuis animalis bruti, eccleſiam minimè per illam pollui, quamuis textus illi indiſtinctè loquantur de omni ſanguinis effuſione. Et hoc annotauit gloſſa in capit.vnico,de conſecra.eccle.vel alt. libro ſexto. Quæ gloſſa etiam dicit eccleſiam minimè violari per effuſionem ſanguinis in eccleſia factam, quando vulnus, vnde illa ſanguinis effuſio proceſsit, fuit extra eccleſiam illatum. Abſurdum enim eſſet dicere eccleſiam eſſe violatam propter eam rem, per quam nulla prorſus eſt iniuria illata. Si quis autem extra eccleſiam vulneratus, & ad illam confugiens intra illam ſanguinem fundat, nullam per hoc iniuriam infert eccleſiæ: abſurdum igitur eſſet dicere illam inde violatam fuiſſe. Ne igitur has aut ſimiles abſurditates in iure admittamus, neceſſarium erit aliquando generales & indiſtinctas loquutiones ad ſpecialē aliquem & rationi conſonum intellectum reſtringere. Hæ ſunt duæ limitationes, quas mea ſententia prædicto ſecundo documento addere oportet, quibus additis, firma & ſtabilis ſemper illius ſententia permanebit, vt quod lex genera-
B liter & indiſtinctè diſponit, nunquam nos ad ſpecialem aliquem intellectum reſtringamus, pro benigniore legis interpretatione facienda. Ex quo ſecundo documento aliqua infero corollaria, contra quorundam canoniſtarum ſententiam.

Et primò infero falſum eſſe, quod Ioannes Calderinus in conſiliis ſuis, titulo de hæreticis, conſilio tertio, ait. Catholicos filios hæreticorum, qui antequam pater laberetur in hæreſim, nati ſunt, non eſſe notandos infamia, aut aliqua alia pœna, ex his, quæ iura contra filios hæreticorum ſtatuunt, puniendos. Quia in cap. Statutum. §. Hoc ſanè, & in cap. Filij, de hæreticis libro ſexto, papa loquens de filiis hæreticorum, generaliter & indiſtinctè loquitur: nec vllum ponit inter illos diſcrimen, per hoc, quòd ante patris hæreſim, aut poſt nati ſunt: ſed per ſolam parentum pertinaciam eos diſtinguit, per hoc videlicet, quòd illorum parentes vſque ad mortem in ſua hæreſi obſtinati permanſerunt, aut de ſuo errore ante mortem reſipiſcentes, ad Eccleſiæ catholicæ vnitatem redierunt. Nam in illis prædictis capitulis, etſi aliquæ irrogentur pœnæ catholicis filiis hæret

Corollarium primum.

hæreticorum, qui vſque ad mortem in hæreſi perſtite- C
runt, ab huiuſmodi tamen pœnis filios eorum hæreti-
corum excludit, qui ante mortem ab hæreſi receſſerunt.
Cùm ergo nec ius canonicum, nec ius ciuile ponat vllum
diſcrimen inter catholicos filios hæreticorum, qui ante
parentum hæreſim aut poſt nati ſunt, conuincitur inde
apertiſsimè, eos omnes pari lege puniendos eſſe. Quia
(vt iam diximus) vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtin-
guere debemus, etiam ſi ſit pro benigniore legis inter-
pretatione facienda. Hoc tamen argumentum Ioannes
Calderi-ius. Calderinus ſoluere conatur, ſic dicens. Quamuis iura in-
diſtinctè de filiis hæreticorum loquantur: quia tamen non
eſt eadem ratio in omnibus hæreticorum filiis, ideo ne-
ceſſariò diſtinguere oportet, filios hæreticorum, qui an-
te patris hæreſim nati ſunt, ab illis, qui poſtea ſunt or-
ti. Diuerſitas autem rationis (vt ille ait) in hoc conſi-
ſtit, quòd filij, qui poſtea naſcuntur, procedunt à ſan-
guine patris infecto, & ideo meritò ſuſpicandum eſt, ta-
les illos fore, quales parentes eorum fuere. Filij verò,
qui ante patris hæreſim nati ſunt, quia nondum paternus
ſanguis erat tali morbo infectus, immeritò creduntur eo- D
dem errore paterno eſſe maculati. Sed inanem prorſus
eſſe hanc diuerſitatis rationem, inde apertiſsimè conſtat,
quòd non omnia peccata oriri poſſunt à mala carnis in-
clinatione, ſed ſola illa, quæ aliquam habent cum ipſa
carne vicinitatem. Sunt enim aliqua peccata purè ſpi-
ritualia à carne prorſus adeò aliena, vt illa omnia ca-
ro prorſus abominetur, tantum abeſt, vt illa quouis mo-
do parere, aut nos ad illa propenſos reddere valeat.
Nam (vt alia multa peccata omittam) ambitio hypo-
critarum, qui ieiuniis & aliis afflictionibus carnem ſuam
extenuant, vt aliquos inde honores venari poſsint, pec-
catum eſt longè à carne alienum, & quod ipſa caro
acriter abominatur. Si quis igitur in hanc incideret hæ-
reſim, vt diceret bonum & ſanctum eſſe pro honore mun-
dano adipiſcendo carnem ſuam affligere, nullus ſanæ men
tis diceret talem hæreſim à carne aut ſanguine humano
ortum habuiſſe, nec per illam hæreſim carnem aut ſan-
guinem eiuſdem hæretici infectum fuiſſe. Malè ergo ſu-
ſpicari licebit, huius hæretici filium, etiam ſi poſt cri-
men

A men patris natus ſit, paterna hæreſi eſſe maculatum, propterea quòd à ſanguine patris infecto deſcenderit. Si peccatum illud à carne haberet ortum, aut hæreſis illa circa ea, quæ ſunt carni amica, verſaretur, meritò credi poſſet, filium à ſanguine patris infecto deſcendentem eodem vitio, quo patet, eſſe inuolutum. Hoc tamen in multis hæreſibus, quæ de rebus purè ſpiritualibus & à carne prorſus ignotis tractant, minimè fieri licebit. Quamuis enim aliquis vnam tantum in diuinis diceret perſonam, vt Sabellius: aut filium minorem patre aſſereret, vt Arrius: aut duas in Chriſto doceret eſſe perſonas, prout docuit Neſtorius: non eſſet iuſtum, vt paterni, hoc eſt, hæreditarij criminis exempla metuantur in filiis, qui poſt patris hæreſim nati ſunt, ob hoc ſolum, quòd à ſanguine patris infecto proceſſerunt. Nam huiuſmodi hæreſes non habent ortum à mala carnis inclinatione, ſed ſolùm oriuntur ab animæ ſuperbia, qua qui illas pertinaciter tenet, plus ſuo ingenio, quàm toti Eccleſiæ tribuens, non vult ſe Eccleſiæ diffinitioni ſubiicere, ſed ſuam ſententiam obſtinatè defendere. Conſtat autem filios ſolam carnem à parentibus ſu-
B ſcipere, & non animam, quæ à ſolo Deo corpori infunditur. Et inde neceſſariò conſequens eſt, vt licet iuſta poſsit eſſe ſuſpicio, filios eſſe pronos ad eadem peccata carnalia, quibus parentes eorum fuerunt infecti, non tamen eadem ratione iuſtum erit idem ſuſpicari de peccatis ſpiritualibus, cuiuſmodi eſt illa hæreſis, quæ nullam à carne trahit originem. Hac igitur ratione ego motus in opere illo, quod de iuſta hæreticorum punitione ædidi, quum de infamia hæreticorũ, quæ ad filios vſque protenditur, diſſererem, non dixi hanc eſſe vnicam cauſam, quòd illa vſq; ad filios deriuetur: quia illi corporis cõplexionem & proinde inclinationes ad vitia, à parentibus ſuſcipiunt: ſed alias addidi rationes, quæ multò magis vrgere mihi videbãtur. Amor ſiquidẽ, quo filij erga patres ſuos afficiuntur, hoc efficere ſolet, vt illi ferè ſemper procurẽt mores paternos imitari. Hic autẽ amor, cùm nõ varietur aut diſtinguatur in filiis per hoc, quòd antè aut pòſt nati ſunt: apertiſsimè cõuincitur inde, vt in crimine hęreſis, quod nõ ſemper à carne oritur, nullum prorſus ſit inter filios hæreticorum ponendum diſcrimen, per hoc, quòd ante aut poſt crimen

men

men à patre commiſſum nati ſunt: præſertim cùm iura, C quæ de filiis hæreticorum loquuntur, nullum tale inter illos ponant diſcrimen. Eſt adhuc alia vrgentiſsima ratio, propter quam catholicis filiis hæreticorum tot pœnæ ſunt à iure inflictæ, vt videlicet hac via criminis grauitas declaretur & aliis timor incutiatur. Nam propter hanc ſolam cauſam ſæpe vltio parentum ad filios extenditur, prout in filiis illegitimis apertè conſtare poteſt, qui ſine culpa ſua, non tamen ſine cauſa, ad paterni criminis deteſtationem, à miniſterio altaris prohibentur. Quæ ratio cùm pares vires habeat in omnibus hæreticorũ filiis, conuincitur etiam inde, nullum eſſe ponendum inter illos diſcrimen: quia (vt ſæpe iam diximus) vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Sunt tamen quædam argumenta, quæ Ioannes Calderinus affert pro ſuæ ſententiæ confirmatione, quibus ego facillimè reſpondebo in tertio documento, quod poſtea ſubiungam, & ibi apertius oſtendam, illum debiliſsimo fuiſſe innixum fundamento.

Corollarium ſecundum. Secundò infero, quòd propter quamlibet ſanguinis humani effuſionẽ cum iniuria & violentia in eccleſia factam, eccleſia manet polluta, & indiget recõciliatione. Nec opus D eſt diſtinguere an ſanguis ſit modicus aut multus, niſi fortè tam modicus eſſet, vt meritò poſſet pro nihilo reputari. Nam ſi vna tantùm, aut fortè altera ſanguinis gutta effunderetur, non putarem eccleſiam eſſe violatam, & egere reconciliatione: quia illa tam modici ſanguinis effuſio pro nulla eſt reputanda, iuxta commune prouerbium, quod ſic ait. Quod parum diſtat à re, nihil diſtare videtur. Per hanc autem interpretationem nullam facimus legi iniuriam, neque illam à vero illius ſenſu detorquemus. Non eſt enim iuſtum, vt leges humanas ſtrictius & rigidius interpretemur, quàm leges diuinas. At leges diuinas ſic interpretandas eſſe omnes Theologi docent, vt minima quæque propter materiæ (vt dicunt) imperfectionem à rigoroſa legis obligatione ſecludantur. Si quis enim furto ſurriperet vnum tantùm papyri folium, aut vnam mulieris aciculam, hoc animo & hac intentione, vt quamuis plura inueniret, non caperet: nullus ſanæ mentis dicet illum peccaſſe mortaliter. Quia licet contra præceptum diuinum fecerit, propter rei tamen imperfectionem & paruitatem,

excuſatur

A excuſatur à rigoroſa præcepti obligatione. Eodem modo in legibus humanis interpretandis agere oportet. Nam ob hanc cauſam, qui die dominico poſt dictū à ſacerdote miſſæ introitum accedit ad miſſam, & reliqua vſq; ad finē audit, præcepto eccleſiæ ſatisfacit: quia modicum illud, quod deeſt integritati miſſæ, pro nihilo reputatur. Idem etiam dicēdum eſt in ſanguinis effuſione, qui ſi tam modicus ſit, vt meritò ſit pro nullo reputandus, nō violabit eccleſiam. Si verò maior ſit effuſio, quamuis ſit modica, ſemper violaſſe dicetur. Et hoc eſt contra Abbatem in cap. Propoſuiſti, de conſecra. eccleſ. vel alta. vbi dicit per modici ſanguinis effuſionem eccleſiā minimè violari, nec vlla egere reconciliatione. Quia verbum effuſionis (vt ille ait) denotat abundantiam. Et idem tenet gloſſa in cap. vnico, de conſecra. eccleſ. vel alta. lib. vj. Sed hæc Abbatis ſententia apertè conuincitur eſſe falſa, ex his, quæ in ſecundo documento ſuprà tractata ſunt. Nam in cap. Si eccleſia, de conſecra. eccleſ. vel alta. Gregorius papa nonus docet Eccleſiam pollutam eſſe per ſanguinis humani effuſionem, nec diſtinguit, an ſanguis ſit modicus, an copioſus. Et in cap. Eccleſiis, de *Abbas.*

B conſecra. diſtinct. j. idem decernitur abſq; vlla prorſus modici aut multi ſanguinis diſtinctione. At, vbi lex nō diſtinguit (vt iam ſæpe diximus) nec nos diſtinguere debemus, etiam ſi ſit ad benigniorem legis interpretationem faciendam. Sed Abbas ad ſuæ ſentētiæ probationem dicit, textus illos ſuprà citatos non generaliter loqui, ſed diſtinctè, de ſola abūdanti & copioſa ſanguinis effuſione: quia verbum effuſionis (vt ille ait) denotat abundantiam. Pro qua ſententia citat gloſſam, quam dicit eſſe notandam, in c. cùm illorum. §. Quod ſi clauſtrales, de ſenten. excom. Si ad probandam veram & legitimam illius vocis ſignificationem, citaſſet mihi Ciceronem, aut Quintilianum, aut Plinium, aut Titum Liuium, aut quemlibet alium ex primoribus linguæ latinæ, facilè cederem. Deinde, ſi pro ea re, quæ ad ſolam iuris canonici peritiam ſpectaret, mihi gloſſam citaret, forte lubens ſuccumberem, aut ſi me ratio aliqua cogeret vt ab illa diſcederem, cum reuerentia illam reiicerem. Sed cùm conſtet gloſſatorem Decretalium, etiam ſi in iure canonico doctiſsimus fuerit, barbarum & vix latinè loquentem fuiſſe, quales ſunt ferè omnes iuris cano-

nici tractatores antiqui, non poſſum non ridere, cùm ad C probandam propriam vocis ſignificationem, illum mihi in teſtem adducat. Certè ſi viros in lingua latina peritiſsimos conſulere volumus, inueniemus non ſolùm in abundantia, ſed etiam in rerum parcitate, illos effuſionis nomine eſſe vſos. Fateor quidem hanc vocem, cùm vitium liberalitati oppoſitum deſignat, ſignificare abundantiam & quandam rei conſumptionem. Cicero in Philippicis. Cæſar patrimonium ſuum effudit, quanquam non ſumus vſi eo verbo, quo decuit: non enim effudit, ſed in ſalutem reipublicæ collocauit. Quibus verbis apertè docet, nõ omnem largitatem, aut omnem abundantis rei conſumptionem, dici rectè effuſionem: ſed eam ſolam, quæ vitioſè fit. Non tamen in hac ſola ſignificatione eſt huius vocis vſus: quia aliquando ſumitur effundere pro extendere, aliquando pro ſpargere, aliquando pro emittere. Cicero in libro de natura deorum. Mare medium terræ locum expetens, conglobatur vndique æqualiter, neque redundat vnquam, neque effunditur. Quo loco poſuit, effundere, pro extendere. Idem in oratione pro Lucio Flacco. Vox in coronã turbámque effunditur. Idem in libro de Oratore poſuit, effundere, pro emittere aut producere, ſic inquiens. Segetes fecundæ effundunt herbas inimicas frugibus. Et iuxta hanc ſignificationem capimus hoc verbum, effundere, cùm de ſanguinis effuſione loquimur. Sed tunc nõ magis abundantiam aut largitatem ſignificat quàm reliqua verba, pro quibus ponitur, aut quibus in ſignificatione conſentit. Hoc autem vel ex eo conuincitur, quòd aliquando viri eloquentiſsimi poſt verbum effuſionis, addunt nomen aliquod abundantiam deſignans, quod non feciſſent, ſi ſolum verbum effuſionis ipſam denotaret abundautiam. Eſſet enim inanis verborum repetitio, quæ pro vitio notari ſolet, & à Græcis vocatur ταυτολογία. Cicero in oratione pro Cneio Plancio, prope finem ad ipſum Plancium verba referens, ait. Timeo ne nihil tibi præter lachrymas queam reddere, quas tu in meis acerbitatibus plurimas effudiſti. Quid quæſo opus erat addere plurimas, ſi ſolùm effuſionis verbum copiam & abundantiam ſignificaret? Sed omiſsis prophanis ſcriptoribus, qui ſæpe plura, quàm oporteat, verba expendunt, à ſacris literis teſtimonia

Cicero. Cicero. Idem. Idem. Idem. D

A monia petamus, in quibus nec vllum eſt verbum ſuperfluè poſitum, Deus ad regem Dauid loquens, ait. Multum *1. Paral. 22.* ſanguinem effudiſti, & plurima bella bellaſti, non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuſo ſanguine coram me. Si verbum effuſionis, abundantiam ex ſe ſolo ſignificaret, non fuiſſet opus dicere, multum ſanguinem effudiſti, ſed ſatis fuiſſet dicere, ſanguinem effudiſti. Et Paulus ad Titum ſcribens, ait. Secundum ſuam miſericor *Tit. 3.* diam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis ſpiritus ſancti, quem effudit in nos abundè. Ecce vides poſt verbum, effuſionis, additum eſſe aduerbiũ denotans abundantiam, quod eſſet ſuperfluè additum, ſi ipſum verbum, effuſionis, ex ſua propria ſignificatione ſemper denotaret abundantiam. Sed quia verbum hoc, vt ſignificat ſpargere, aut emittere, non ſolam abundantiam, ſed etiam modicitatem aut paucitatem deſignat, ideo poſt verbum, effuſionis, additur ſæpe nomen aut aduerbium abundantiam ſignificans. Deinde, ſi ipſa verbi compoſitio rectè inſpiciatur, apertè quòd dico intelligetur. Effundo ſiquidem verbum compoſitum eſt, ex hoc B verbo, fundo, & præpoſitione, ex, cuius vltima litera, x, in compoſitione tranſit in, f, ob quam cauſam hoc verbum, effundo, ſcribitur per duplex, f. Sicut igitur fundere non denotat ſemper abundantiam, ita nec effundere, quod ex illo componitur. Nam effundere idem eſt, quod extrà fundere, aut ex aliquo loco fundere. Et certè ſi Petrus è naribus modicum ſanguinem, vt puta tres aut quatuor illius guttas demitteret in terrã, nullus niſi linguæ latinæ ignarus, diceret malè latinè dici Petrum effudiſſe ſanguinem. Nam ſicut fudit, ita etiam effudit. Non enim differt vnum ab altero, propter paucitatem aut abundantiam: & ideo ſępe vnum pro altero ponitur. Pro qua re apertum eſt teſtimonium id, quod in Geneſi Deus ait. Quicunq; effuderit *Geneſ. 9.* humanam ſanguinem, fundetur ſanguis illius, Quibus verbis (vt conſtat) legem talionis Deus ſtatuens, pro ſanguine effuſo, iubet alterius ſanguinem fundi. At, ſi magis eſſet effundere, quàm fundere, non integrè retaliaret. Quia pro maiori dãno minor daretur compenſatio. Cùm igitur ex his omnibus apertiſsimè conſtet, verbum, effuſionis, ex ſua propria & legitima ſignificatione, aut ex iuris regula non

ſignificare ſemper abundantiam, conuincitur inde aper- C
tiſsimè per omnem humani ſanguinis iniurioſam aut irreuerentem effuſionem in eccleſia factam, eccleſiam eſſe pollutam,& egere reconciliatione, quamuis ſanguis effuſus ſit modicus,niſi (vt dixi) tam modicus eſſet, vt meritò eſſet pro nullo cenſendus. Quia cap.illud, Si eccleſia, & cap.Eccleſiis,de omni ſanguinis effuſione loquuntur, nec diſtingunt an ſanguis effuſus ſit modicus aut multus. Ex quo etiam infero contra gloſſam in cap. cùm illorum. §. Quod ſi clauſtrales,extra de ſenten.excom.quòd ſi monachus aliquis alium eiuſdem clauſtri monachum percuſſerit vſque ad ſanguinis effuſionem, non poterit ex iuris canonici ordinatione per ſuum prælatum abſolui,ſed requirenda erit neceſſariò ſedes apoſtolica,quamuis ſanguis effuſus ſit modicus,niſi fortè tam modicus ſit, vt meritò ſit pro nullo ęſtimandus;quoniam tunc propter imperfectionem materiæ (vt ſuprà de violatione eccleſiæ diximus) à legis obligatione excludetur. Nam illud prædictum capitulum, in quo abſolutio à ſanguinis effuſione reſeruatur ſedi Apoſtolicæ,generaliter loquitur, nullam prorſus inter modicum aut multum ſanguinem, diſtinctionem faciens. Vbi autem lex non diſtinguit (vt iam ſæpe dictum eſt)nec nos diſtinguere debemus, quamuis ſit pro benigniore legis interpretatione facienda. Et certè ſi iuxta opinionem Abbatis & gloſſæ textus illi eſſent interpretandi, ſæpe illorum canonum ſententia eſſet incerta: quia non ex ſolo iure penderet,ſed neceſſariũ eſſet iudicis ſententiã expectare.Nam cùm non ſit lege definitum, quantus ſanguis ſit cẽſendus modicus,& quantus ſit dicẽdus multus,in multis caſibus oporteret expectare ſententiã iudicis, vt decernat an ſanguis effuſus ſit modicus aut multus. Et quia iudicum æſtimationes variæ ſunt, fiet vt ſanguis, qui ab vno iudice æſtimatur modicus,ab alio iudicetur eſſe multus:& inde neceſſariò eueniet, vt propter eandem ſanguinis menſurã effuſam in diuerſis eccleſiis, vna ſit violata & alia nõ:quia vnus iudex in vna ciuitate iudicabit ſanguinem effuſum eſſe modicũ, & eiuſdem quantitatis ſanguinem iudicabit eſſe multum iudex alterius ciuitatis.Ne igitur in has perplexas abſurditates incidamus,neceſſariũ eſt, vt quæ generaliter dicta ſunt, generaliter interpretemur.

Sed

A Sed gloſſa in illo cap. Cum illorū, volens probare verbū, effuſionis, ſignificare ſemper abundantiā, citat capitulum, Reuertimini, quod ponitur xvj.q.j. Nā illic Hieronymus, cuius eſt textus ille, hæc ait. Verbū, effuſionis, nomē largitatis oſtendit. Hæc ille. Sed re vera dictū illud Hieronymi, ſi rectè illius verba circunſpiciantur, apertè fauet meæ ſententiæ, tantum abeſt, vt mihi vllo pacto contradicat. Nam illa verba dicit Hieronymus in commentariis ſuper Malachiam prophetam, interpretans illud eiuſdem prophetę. Probate me ſuper hoc, dicit dominus, ſi non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem vſq; ad abundantiā. Et hæc verba exponens, dicit, verbum, effuſionis, nomen largitatis oſtendere. Fateor quidem in illo Malachiæ loco, quem Hieronymus interpretatur, verbū, effuſionis, ſignificare aut oſtendere largitatem, hoc tamen non facit ex ſe ſolo & ex ſua propria & primæua ſignificatione, ſed ratione nominis illi poſtea additi quod ſignificat abundantiam. Nam aliàs ſi ex ſolo verbo, effuſionis, tālis oriretur ſignificatio, nō opus erat poſt verbū effuſionis addere vſq; ad abundantiā: ſed ſatis erat dicere. Et effudero B vobis benedictionem. Hieronymus igitur non generaliter loquitur, quòd verbum effuſionis oſtendat largitatem, ſed ſolùm in illo Prophetę loco, quem interpretabatur, vbi poſt verbum, effuſionis, additur nomen abundantiæ ad denotandam Dei largitatem. Sed inde nullo pacto licet inferre, vt verbum, effuſionis, vbicūq; abſolutè ponatur ſine nomine denotante abundantiam, ſignificet copiam & largitatem.

Hierony.

Malac. 3

Tertium documentum eſt. Lex pœnalis nunquam extendenda eſt vltra crimen aut perſonam, aut denique vltra caſum in lege expreſſum: quamuis in aliis criminibus, aut in aliis caſibus eadem ratio inueniatur, quæ inuenitur in caſu per legem expreſſo. Et hinc eſt, quòd in legis pœnalis interpretatione non licet arguere per argumentum à ſimili, quod aliàs non paruam vim apud iuriſperitos habere ſolet. Hoc documentum de ſola lege pœnali intelligendum eſſe volo, & illi ſoli eſt peculiare: in aliis autem legibus aliquando contrarium agere licet. Nam gloſſa in l. Si conſtante. ff. ſoluto matrimonio, dicit legem extendi poſſe vltra caſum in lege prolatum, ſi in alio caſu eadem inue-

Documētū tertiū.

niatur ratio, quæ inuenitur in caſu per legem expreſſo. C
Dinus. Dinus in regula, In argumentum, de regul.iur.libro vj. conſentit prædictæ gloſſæ, dicens eam veram eſſe, quando lex abſolutè loquitur, & non cum dictione excluſiua, quæ reliquos omnes caſus excluderet. Alioqui ſi lex cum reſtrictione aliqua aut excluſione loqueretur, iniuſtũ eſſe dicit, *Bartol.* vt ad caſum per legem non expreſſum extendatur. Bartol. in prædicta l. Si conſtãte, quæſtione nona, Dini ſententiam *Abbas.* reiicit, & vtrunq; illius dictum impugnat. Abbas in capit. Tranſlato, de cõſtitutionibus, dicit legem poſſe extendi ad alium caſum ſimilem in lege non expreſſum, propter ſimilitudinem rationis, niſi caſus ille ſimilis habeat aliam ſpecialem legem contrariam. Quia extenſio legis (vt ille ait) nunquam debet fieri ad legis correctionem. De hac re ego nihil diſſerere volo, propterea quòd longè eſt ab inſtituto meo, quo de ſola lege pœnali dicere ſtatui. De hac igitur ſola ego diſſerens dico, illam non eſſe extendendam vltra caſum in lege expreſſum, etiã ſi in alio caſu eadem inueniatur ratio, quæ inuenitur in caſu per legem definito. Pro huius documenti probatione eſt cap. Pœnæ, de pœniten. diſtinct. j. cuius hæc ſunt verba. Pœnæ legum interpreta- D tione molliendæ ſunt, potius quàm nimis exaſperãdæ, atq; ideo proprium caſum non excedunt. Hæc ibi. Ex hoc dicto infert gloſſa in cap. In pœnis, de regu.iur.lib.vj. argumentum à ſimili non valere in pœnis. Cauſam autem quare argumentum à ſimili aut ab identitate rationis non valet in lege pœnali, cùm tamen in aliis legibus valeat, gloſſa illa non exprimit, ego tamen apertam & efficacem reddam, quæ eſt hæc proximè ſequens. Aliæ leges adeò pen- *Abbas.* dent ex ratione, vt ratio legis dicatur eſſe mens illius. Nam Panor. in cap. fin. de reſcrip. dicit legem nõ eſſe aliud quàm *Baldus.* rationem eius. Et idem docet Bald. in l. Non dubium. C. de legib. Et hinc euenire neceſſe eſt, vt vbicunq; illa eadem inueniatur ratio, ibi etiam eadem habeatur lex: quia niſi ita fieret, neceſſariò conſequens eſſet, vt aliud eſſet lex, quàm ratio eius. Lex autem pœnalis non omnino pendet ex ratione, ſed etiam pendet ex ſola legislatoris voluntate, quatenus certam aliquam pœnam decernit. Nam licet ex recta & cogente ratione procedat, quòd crimina puniantur, nulla tamen recta ratio cogit, vt tale aut tale crimen,

A men, hac aut illa pœna puniatur: ſed hoc ex ſola legiſlatoris voluntate pendet, quæ etſi aliquã habuerit congruentem rationem, non tamen neceſſariò cogentem, vt talis pœna potius quàm alia ſtatuatur. Et hæc, meo iudicio, ſunt, in quibus legiſlator rectè dicere poteſt: Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas. Quia in his non eſt ab illo exigenda ratio, cur potius hanc, quàm illam pœnam elegerit: ſed illius voluntas pro ratione ſufficit. Et idem dicendum eſt de iudice in illis pœnis, quas lex illius arbitrio committit: in quibus non eſt iuſtum exigere ab eo rationem, quare magis vnam, quàm alteram elegerit pœnam: ſed ſatis erit pro ratione voluntas. In alijs verò, quæ omnino à ratione pendent, vt ſunt ea, quæ ad mores ſpectant, non ſufficit pro ratione legis iuſtæ ſola legiſlatoris voluntas. Et quia ſæpe pœna ex arbitrio potius quàm ex ratione pendet, euenit vt idem crimen in diuerſis orbis Chriſtiani prouinciis, diuerſa pœna puniatur. Quia licet ratio naturalis, quæ eadem eſt apud omnes, oſtendat crimina eſſe punienda, qua tamen pœna punienda ſint, non perinde declarat ratio naturalis, & ideo voluntatis arbi-
B trium accedere oportet, quo vna potius quàm altera pœna eligatur. Et hinc euenire neceſſe eſt, vt, quia humanum arbitrium non eſt idem apud omnes, pœna etiam per legem decreta, non ſit eadem apud omnes. Et inde vlterius ſequitur, vt argumentum à ſimilibus, aut ab identitate rationis, ſit in lege pœnali prorſus inualidum. Quia lex pœnalis (vt dixi) non pendet tota à ratione, vt aliæ leges: ſed etiam pendet ex arbitrio voluntatis. Non enim eſt neceſſariò conſequens, vt furta omnia pœna quadrupli puniantur, propterea quòd furtum aliquod pœna quadrupli lex punire iubet. Poteſt enim eſſe, vt legiſlator voluerit furtum aliquod punire pœna quadrupli, non autem reliqua, ſed maiori aut minori pœna. De qua re apertum poteſt proferri teſtimonium, ex lege à Deo per Moyſen data, in qua, qui furatus fuiſſet bouem, iubebatur quinq; pro vno reſtituere. Ex qua lege minimè inferre licet, vt pro quocunque alio furto oporteat, iuxta legem Moſaicam, quinq; pro vno reddere. Nam eadem lex Moſaica iubebat, vt pro vna oue furto ſublata, quatuor tantùm oues reddere, & pro auro, aut argento, aut veſtimentis

furto ſublatis, duplum ſolummodo reſtitueretur. Quæ C pœnarum diuerſitas, etſi ex aliqua congruenti ratione proceſſerit (vt Lyra leges illas interpretans oſtendit) non tamen ex ratione naturali & neceſſaria orta fuit. Nam aliàs non fuiſſet vnquam mutata, ſed permanſiſſet vſq; hodie lex illa: quoniam lex naturalis perpetuò conſtat, & nunquam variatur. Ad primam igitur huius documenti intentionem reuertens, dico legem pœnalem nunquam eſſe extendendam vltra caſum per legem expreſſum, etiam ſi ſit per argumentum à ſimili, aut à contrario ſenſu, niſi fortè talis extenſio poſſet per alias iuris regulas

Abbas. apertè & euidenter probari. Abbas tamen in cap. Translato, de conſtitutionibus, gratis & abſque vlla ratione dicit legem pœnalem poſſe extendi ad ſimilem caſum propter ſimilitudinem rationis, & connexitatem negotij. Sed hæc illius opinio, ex his, quæ diximus, apertè conſtat eſſe falſa, cùm illius contrarium apertiſsimè doceatur in illo cap. Pœnæ, de pœniten. diſtinct. prima.

Scotus in 4. ſenten. diſt. 7. q. 5 Ex ratione huius tertij documenti, infert doctor ſubtilis Scotus, falſam eſſe quorundam Canoniſtarum opinionem, qui docent per reiterationem ſacramenti Confirma- D tionis committi irregularitatem, ſicut per reiterationem

Archid. baptiſmi. Hanc opinionem tenet Archidiaconus in capit. primo, diſtinctione lxviij. Et hanc Canoniſtarum opinio-

Richard. nem tuetur Richardus de media villa in iiij. ſententia, diſtinctione ſeptima, quæſtione penultima. Sed hanc opinionem falſam eſſe apertè conuincit Scotus per hoc, quòd vniuerſaliter (vt ille ait) nulla pœna canonica, quæ non eſt inflicta à papa condente ius, incurritur ipſo iure. Nec propter argumenta exponentium canones, ſiue à ſimili, ſiue à contrario ſenſu, eſt aliquis tali pœna aſtrictus: quia poſſunt exponere ius conditum, non autem condere nouum per ſuas expoſitiones. Cùm ergo nunquam inueniatur in iure Canonico pœna irregularitatis expreſsè inflicta pro iteratione confirmationis ſicut pro iteratione baptiſmi, inde euidenter colligitur, nullam talem pœnam incurri per confirmationis iterationem: quia pœnales leges potius ſunt reſtringendæ quàm ampliandæ. Et certè ſi legislatoris voluntas fuiſſet irregularitatis pœnam infligere, pro reiteratione Confirmationis, ſicut pro

A reiteratione Baptiſmi, expreſsiſſet in vno perinde ac in altero. Hi tamen, qui Richardi & Archidiaconi opinionem tuentur, afferunt pro ſe cap. Dictum, de conſecratione diſtinctione quinta. Sed ſi bene illius capituli verba circunſpiciantur, plus illis refragantur quàm ſuffragentur. Nam in illo capitulo nulla prorſus pœna infligitur, aut miniſtro confirmanti, aut ipſi confirmationem ſuſcipienti, ſed ſolùm dicitur decretum eſſe, vt qui bis, aut ter, aut eò amplius confirmatus fuerit, non ſeculo, ſed ſoli Deo ſub habitu regulari vel clericali religioſiſsimè famuletur. In his autem verbis (vt conſtat) præcipitur clericalis officij exercitium, tantum abeſt, vt pœna irregularitatis infligatur. Nam optimus & perfectiſsimus famulatus, qui in habitu regulari vel clericali Deo exhiberi poteſt, eſt in miniſterio altaris, vt puta in conſecratione Euchariſtiæ, aut in alio quouis ordinis ſacri exercitio ad Euchariſtiæ conſecrationem tendente. Hæc autem miniſteria (vt omnibus apertum eſt) nullus, qui irregularis eſt, rectè exhibere poteſt. Fortè aliquis cauſam quæret, cur potius pro iteratione baptiſmi, quàm
B pro iteratione confirmationis, aut pro iteratione ordinis, ſit pœna irregularitatis inflicta: cùm hæc duo vltima ſacramenta iterari non poſsint, ſicut nec baptiſmus. Huic quæſtioni licet per ea, quæ proximè diximus, faciliter reſponderi poſsit, dicendo ſatis eſſe pro cauſa & ratione ſolam legiſlatoris voluntatem: nihilominus aliam reddo congruentiſsimam rationem, quæ talis eſt. Pœnæ (vt ſuprà capitulo tertio dixi) non ſolùm ſunt ad punitionem, ſed frequenter imponuntur ad medicinam. Et ob hanc cauſam, ſæpe minoribus peccatis grauiores infliguntur pœnæ, propter maiorem hominum pronitatem ad illa: maioribus autem peccatis, aut leues, aut nullæ infliguntur à iure pœnæ: quia experientia docente, cognitum eſt, homines non eſſe ad illa peccata procliues. Certum eſt autem, fuiſſe olim peſsimas quorundam hominum hæreſes, qui homines ſemel baptizatos, ob diuerſas cauſas rebaptizare docebant. Et hoc noſtro miſerabili ſeculo, Anabaptiſtarum hæreſis, duce quodam Balthaſare, ſuſcitata eſt, atque in diuerſis huius orbis partibus diuulgata, quæ docet, homines pro libito quoties vo-

luerint, rebaptizari poſſe. At, de confirmationis aut ordinis ſacramento iterando, nulla vnquam talis hæreſis in publicum prodiit. Et hæc eſt ratio potiſsima, propter quam ad reprimendam rebaptizatorum aut rebaptizantium audaciam, pœna irregularitatis eſt à iure inflicta, & non contra eos, qui bis confirmati aut ordinati fuiſſent: quia non erat opus ibi apponere medicinam, vbi nullus vnquam patuerat morbus. C

Summa angelica. Ex hoc tertio documento infero etiam falſam eſſe opinionem Summæ Angelicæ, quæ in titu. Inceſtus. §. vltimo, dicit omnem inceſtuoſum, ſiue ille cum conſanguinea ſua, ſiue cum conſanguinea vxoris ſuæ inceſtum commiſerit, priuatum eſſe poteſtate exigendi debitum ab vxore, & peccare mortaliter, ſi contra iuris prohibitionem petierit. Quòd enim hæc opinio falſa ſit, inde apertiſsimè conuincitur, quòd omnia iura, quæ prohibent inceſtuoſum poſſe debitum ab vxore exigere, de ſolo illo inceſtuoſo loquuntur, qui vxoris ſuæ conſanguineam cognouit, & nō de illo, qui cognouit conſanguineam ſuam, vt apertè conſtare poterit cuiq; legenti & bene conſideranti omnia capitula illius tituli, qui inſcribitur, de eo, qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ. D Cùm igitur lex, quæ coniugem inceſtuoſum priuat iure exigendi debitum, pœnalis ſit, oportet vt (iuxta ea quæ diximus) non extendatur ad eos caſus, qui non ſunt per legem expreſsi. Sed Summa Angelica apertè cognoſcens, nullum capitulum illius tituli poſſe vllo modo ſuæ opinioni fauere, alios ex decreto citat textus, qui nec tantillum illi patrocinantur. Primò quidem citat cap. Si quis viduam, quod habetur xxxij. quæſt. vij. in quo, enumeratis caſibus, in quibus vir & mulier inceſtuosè commiſcentur, quorum aliqui committuntur cum conſanguinea vxoris, aliqui cum conſanguinea propria ipſius viri, tandem de omnibus illis dicitur eos diſiungi, & vlterius nunquam in coniugio copulari præcipimus. Sed re vera illa verba nullo pacto noſtræ ſententiæ contradicunt: quia per illa verba, quatenus de inceſtuoſis, qui ſuas conſanguineas polluerunt, loquuntur, ſolùm prohibetur, ne hi tales matrimonium contrahere poſsint: & hoc ipſum ego libentiſsimè fateor, quanquã verba illius capituli non de omni coniugio loqui videntur, ſed de ſolo coniugio

A iugio inter ipſos conſanguineos, qui ſe inuicem polluerant, quod taliter dirimendum eſſe dicit, ita vt nunquam amplius ad talem coitum fornicarium redeant. Cæterùm, ſi illorum aliquis cum quauis alia perſona legitimum contraxerit matrimonium, verba illa non prohibent, vt debitum ab vxore exigere poſsit. Si autem concilium Maguntienſe, cuius illa ſunt verba, voluiſſet ab huiuſmodi inceſtuoſis prohibere, ne debitum ab vxoribus peterent, ſicut prohibuit contractum matrimonij, apertè illud expreſsiſſet, ſicut apertè expreſsit Celeſtinus papa, huius nominis tertius, in capitu. Tranſmiſſæ, de eo, qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ, vbi decernit illum, qui priuignam ſuam polluerat, non poſſe debitum ab vxore petere, & poſt illam defunctam non poſſe aliam in matrimonium ducere. Si quis fortè contendat per verba illius cap. Si quis viduam, non ſolùm prohiberi coniugium inter ipſos cõſanguineos temerariè attentatum, ſed etiam prohiberi omne aliud matrimonium, ita vt nullus eorum poſsit cum quacunque alia perſona matrimonium contrahere, nec poſt matrimonium contractum ab vxo-
B re debitum exigere: ſequitur inde, vt per verba illius capituli etiam ſit illi interdictum, vxori petenti debitũ reddere: quod eſt nimis abſurdum, & nullus vnquam conceſsit. Quia non eſt iuſtum, vt propter delictum alterius coniugis, innocens ſuo iure priuetur. Quòd autem hoc inde neceſſariò ſequatur, euidenter probatur per ipſa verba, quibus generaliter & abſolutè præcipitur, vt nunquam coniugio copulentur, nec vllam facit diſtinctionem per hoc, quod eſt reddere aut exigere: ſed generaliter & indiſtinctè præcipitur, vt nunquam coniugio copulentur. Si per illa verba prohiberetur, non ſolùm contractus matrimonij & copula carnalis inter ipſos conſanguineos, qui ſe inuicem polluerunt, ſed etiam omnis alius matrimonij contractus, & copula inde ſequens etiam interdiceretur illis, euidentiſsimè inde ſequeretur, vt per illa verba etiam prohibeatur debiti redditio ſicut exactio. Ne igitur tantam abſurditatem & iniuſtitiam illi textui tribuamus, neceſſarium eſt dicere per illa verba non prohiberi, niſi ſolum matrimonij contractum, & non copulam, quæ poſt legitimum matrimonium ſuccedere ſolet. Et eodem

modo

modo reſpondeo ad cap. De inceſtis,& ad capit. Nec eam. C
xxxj.quæſt.ij.& iij.& ad capit. Si duo viri. xxxv. quæſt. vj.
Nam in omnibus illis capitulis (vt facilè conſtare poteſt illa omnia legenti & bene circunſpicienti) ſolum prohibetur inceſtuoſus cõtractus matrimonij:non autem vt poſt matrimonium verè contractum à ſe inuicem debitum exigere poſsint. Illis autem inceſtuoſis, qui ſuarum vxorum conſanguineas cognouerunt,vtrunque iure prohibetur, vt patet in illo iam citato cap. Tranſmiſſæ,& in cap. Si quis, eodem tit.Si quis autem quærat, quare potius priuatur iure exigendi debitum ab vxore is, qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ, quam is, qui cognouit conſanguineam propriam: huic quæſtioni facilè quiſq; (vt ſuprà diximus) reſpondere poterit,dicens ſatis eſſe pro ratione legiſlatoris voluntatem. Verùm, ne vbi vrgentiſsima adeſt, rationem prorſus deeſſe inauamus, eam nunc reddere volo. Qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ per talem, quamuis illicitum & nefarium coitum,acquirit affinitatẽ, quam ante non habebat,cum propria vxore:vt apertè innuitur in cap. Diſcretionem,& in cap.Tuæ, de eo, qui cogno.conſangui.
1.Cor.6. vxoris ſuæ:& probatur apertius per Apoſtolum dicentem. D
Qui adhæret meretrici, vnicum corpus efficitur cum meretrice.Iuſtum igitur fuit & æquum, vt ab vxore ſua,quam inceſtuoſus ſuo peccato fecit ſibi affinem, debitum exigere non poſsit,ne cum affine ſua ſe miſceat propria voluntate, niſi ſolùm quando fuerit ab vxore ſua exactus. Qui verò ſuam tantùm cognouit conſanguineam, nullam per hoc acquirit cum vxore affinitatem quam ante non habuiſſet, ac proinde non eſt illa affinitatis ratio quæ vrgeat prohibere illum ne ab vxore ſua debitum exigat: ſed ſatis eſt vt ſi liber ab vxore fuerit, priuatus ſit poteſtate rectè impoſterum contrahendi.

Antonius de Butrio. Tertiò, ex eodem tertio documento infero falſum eſſe quod Antonius de Butrio aſſerit, videlicet omnem illum peccare mortaliter qui audit miſſam à quouis ſacerdote exiſtente in quocunque crimine notorio.Quia licet in cap. Veſtra, de cohabi. cleri.& mulierũ,& in cap.Nullus.xxxij. diſtinct. præcipiatur vt nullus audiat miſſam presbyteri quem ſcit concubinam indubitãter habere, de aliis tamen presbyteris qui aliis criminibus quamlibet notoriis ſunt maculati,

A maculati, nihil tale præcipitur: & inde ſequitur vt qui ab aliis miſſas audiunt, non peccent. Quia ex hoc quod vnum præcipitur, non licet inferre aliud etiam eſſe præceptum quantacunque ſit inter illa duo ſimilitudo. Nam præceptum illud vt ad ſacerdotem fornicarium comparatur, pœnale eſt: quia in pœnam ſui criminis præcipitur aliis vt miſſam ab illo non audiant. Et propter hanc cauſam non eſt extendendum vltra caſum in lege expreſſum. Nec fauet opinioni Antonij cap. ſi. de tempo. ordi. quod ille pro ſe citat: quia textus ille loquitur de ipſis presbyteris criminoſis, & non de his qui miſſas ab illis audiunt. Alia multa poſſem ex hoc tertio decumẽto inferre corollaria, ſed prolixitatem vitare cupiens prudenti lectori committo, ſatis me feciſſe putans quòd viam qua rectè incedere poſsit, illi indicauerim.

Quòd legiſlator humanus poteſt ſtatuere legem pœnalem obligantem ad culpam, non obſtante pœna quæ per legem imponitur.

B CAP. VIII.

HACTENVS de lege pœnali, quæ ſit, & qualiter ſtatuenda, qualiter etiam interpretanda, per aliquot capitula diſſeruimus: nunc iam opus eſt vt ad noſtri operis ſcopum propius accedamus, & de poteſtate ipſius legis pœnalis tractare incipiamus. Hæc autem poteſtas quoniam ad duo potiſsimum (vt ſuprà me dixiſſe memini) referri poteſt, videlicet ad culpam & ad pœnam, ideo de poteſtate quam circa vnumquodque horum habet, hoc ordine dicere ſtatui, vt primo de poteſtate in ordine ad culpam, deinde de poteſtate circa pœnam diſſeram. Et circa poteſtatem quam lex pœnalis in ordine ad culpam habet, ſcio à tam multis erratum eſſe, vt iam prouerbij loco illorum error ſub hoc verborum tenore à multis celebretur. Nulla lex pœnalis obligat illius tranſgreſſorem ad culpam aliquam: quia ſatis eſt (vt ſic ſentientes dicunt) quod tranſgrediens legem exponat ſe periculo pœnæ per legem impoſitæ. Qui error cùm multorum animas læſerit, illis (vt

certa

certa experientia didici) ad diuerſa peccata committenda C audaciam tribuens, coactus ſum talem errorem apertiſsimis rationibus conuincere, vt illius falſitate manifeſtè demonſtrata, quotquot illi ante fauebant, ſtatim ab illo deficiant, & ſic à peccatis quæ illo occaſionē præbente commiſerant, libenter abſtineant. Vt autem hoc facilius & apertius efficere valeam, fortiſsimū & firmiſsimum quoddam fundamentum primo iacere ſtatui, cui noſtra diſputationis ſtructura innitens nequaquam corruere poterit. Fundamentum hoc huiuſmodi verbis deſcribitur.

Poteſtas humana ſiue eccleſiaſtica ſit ſiue laica, poteſt ſtatuere legem obligantem illius tranſgreſſorem ad culpam etiam mortalem, quamuis lex pœnam contra tranſgreſſorem ſtatuat, & ille ſe periculo pœnæ exponat. Hoc fundamentum probatur multiplici ratione, quarum prima ſit hæc. Humana poteſtas ſiue eccleſiaſtica ſit ſiue laica poteſt ſtatuere legem obligantem ad culpam etiã mortalem ſine impoſitione pœnæ, ergo poteſt etiam obligare ad eandem culpam cum impoſitione pœnæ. Aſſumptum eſt manifeſtum ex his quæ ſuprà cap. iiij. diximus, vbi multis euidentiſsimiſq; rationibus probauimus legem humanam poſſe D obligare illius tranſgreſſores ad culpam mortalem. Conſequentia verò probatur, quia impoſitio pœnæ non tollit ex ſe & ex ſua natura obligationem ad culpam: quod facilè probatur per hoc quòd culpa & pœna non ſunt ſic inuicem contraria, vt poſitio vnius inferat remotionem alterius. Alioquì fieri non poſſet vt quis ſimul eſſet in culpa & in pœna quæ pro culpa infligitur. Hoc autem vel ex eo conuincitur eſſe falſum, quod damnatis in inferno euenit, qui perpetuò ſunt in culpa, & pœnam pro culpa perpetuò patiuntur. Neque hoc ſolis perpetuò damnatis, ſed multis etiam in hac vita exiſtentibus contingit, qui cùm pro peccatis ſuis in hac vita ad tēpus à Deo puniantur, nihilominus obſtinati in ſuo peccato perſeuerant, quales fuerunt olim Pharao, & Antiochus, & Herodes, & vtinam hodie multi tales non eſſent. Ex quibus apertè conſtat pœnam non ſic eſſe culpæ contrariam, vt nō poſsit ſimul cum pœna in aliquo eſſe. Et inde vlterius ſequitur poſſe aliquem ſimul obligari ad culpam & ad pœnam. Et confirmatur eadem ratio, quia lex humana poteſt obligare ad culpam ſo-

lam,

A lam, & poteſt obligare ad pœnam ſolam: ergo etiam poterit obligare ad vtrunque ſimul. Aſſumptum pro vtraque ſui parte ex his quæ ſuprà diximus eſt manifeſtum. Conſequentia autem vel ex eo eſt manifeſta quòd pœna & culpa non pugnant inter ſe, nec ſibi inuicem contrariantur, ex quo neceſſario ſequitur, vt qui ad vtrunque illorum ſeorſum poteſt aliquem obligare, poſsit etiam obligare ad vtrunque ſimul. Præterea, humana poteſtas poteſt hominem ſibi ſubditũ ad duas & tres prorſus diuerſas & omnino diſparatas pœnas obligare, ergo poterit etiam obligare ad culpam & ad pœnam ſimul. Aſſumptum patet manifeſtè in hæretico quem iura obligant ad pœnas valde diuerſas, vt puta ad amiſsionem omnium bonorum, & infamiam, & mortem ſi reſipiſcere nolit: & idem contingit in criminibus contra legem maieſtatis commiſsis, quæ multis & valde diuerſis pœnis à iure puniuntur: prout habetur in cap. Si quis cum militibus.vj.quæſt.j. Conſequentia probatur, quia obligatio ad pœnam ſequitur ex culpa, & reſpondet illi: obligatio autem ad vnam pœnam non ſequitur ex alia pœna prorſus diſparata, nec reſpondet illi: &
B inde ſequitur vt maior ſit inter pœnam & pœnam diuerſitas, quàm inter culpam & pœnam: & inde vlterius ſequitur, vt ſicut legiſlator poteſt obligare ad diuerſas pœnas, ita etiam ad culpam & pœnam ſimul.

Secundò, principaliter arguo, & (vt mihi videtur) tam efficaciter vt rem ipſam euidenter demonſtrare credam. Si legiſlator humanus non poteſt condere legem obligantem ſimul ad culpam & ad pœnam, aut hoc eſſet virtute alicuius legis humanæ hoc generaliter ſtatuentis, vt nulla lex pœnalis obliget ad culpam, aut propter legem diuinam poſitiuam hoc prohibentem, aut quia legi diuinæ & naturali cõtrariatur talem legem ſtatuere: nec eſt aliqua alia ratio propter quam humana poteſtas non poſsit talem legem ſtatuere. Cùm igitur probauero neutram harum rationum ſubſiſtere, euidenter probatum erit, poteſtatem humanam poſſe talem legem ſtatuere. Primò quidem nulla eſt lex canonica aut ciuilis generaliter, & apertè ſtatuens nullam legẽ pœnalem obligare ad culpam propter tranſgreſsionem illius, quod lex ante impoſitionem pœnæ ſtatuit. Et ſi quis contenderit aliquam legem talem

talem eſſe quæ hoc apertè, & expreſſè, & ſine vlla dubita- C
tione decernat, proferat illam, & ſtatim libentiſsimè abſque vlla cõtradictione cedam. Scio tamen in toto iure ſiue ciuili ſiue canonico nullam talem reperiri, quoniam multos viros in vtroque iure doctiſsimos de hac re conſului, qui omnes apertè mihi confeſsi ſunt nullam talem legem in toto iure haberi. Si quis fortè in contrarium mihi obiecerit aliquem, aut aliquos doctores aſſerentes nullam legem pœnalem obligare ad culpam, ego illos quãuis alioqui in iure aut theologia doctiſsimos, in hac tamen parte non recipiam. Bene tamen ſe res habet, quod nullum hactenus legi theologum aut iuriſperitum qui hanc ſententiam tueretur: ſed ſolùm per multorum ora illam volare video. Scio quidem multos iuriſperitos & theologos ſcripſiſſe legem pœnalem non obligare ad culpam, propter omiſsionem pœnæ à lege ſtatutæ: de qua ſententia nunc non diſputamus, quoniam de illa libro ſecundo huius operis diſputabimus. Sed omnes illi qui negant obligationem ad culpam propter omiſsionem pœnæ, fatentur obligationem ad culpam propter tranſgreſsionem illius, propter quod lex ipſa pœnã ſtatuit. Sed vulgus indoctum neſciens D
diſcernere inter id quod primo & potiſsimum à lege ſtatuitur, & pœnam quam pro meliore illius obſeruatione lex ſtatuit, putauit idem eſſe de vtroque dicendum. Videns igitur doctores dicentes legem pœnalem non obligare in conſcientia ad pœnam, inde deceptus eſt, vt putaret legem illam minimè etiam obligare in conſcientia ad aliud propter quòd pœnam ſtatuit. Nec ſolùm indoctum vulgus video eſſe hoc errore deceptum, ſed multos alios qui ſe pro doctis habere volunt audio eſſe in hunc errorẽ lapſos, vt putent nullam legem pœnalem obligare in conſcientia, ad id pro cuius meliori obſeruatione lex ipſa pœnam adiecit: quaſi lex ipſa per additionem pœnæ tollat obligationem ad culpam: quod quiſquis fateri non erubeſcit, protinus ſe à ratione alienum oſtendit. Eſt ergo certum nullam eſſe legem, quæ admoneat legem pœnalem nunquam obligare ad culpam. Hoc autem de ſolis legibus vniuerſalibus, & quæ omnes obligant, quales ſunt quæ in iure canonico aut ciuili continentur, dictum eſſe volo. Nam ſcio in aliquibus religionibus, & in aliquibus collegiis
ſimiles

A ſimiles legis haberi quæ ad culpam non obligant, propterea quòd ipſemet lator illarum apertè declarauit,ſe nolle per tales leges ſubditos ſuos obligare ad culpam, ſed ſolùm ad pœnam. Inter ſtatuta enim fratrum Minorum, hoc primo loco in illorum prologo collocatur. Nolumus per hæc quæcunque noſtra ſtatuta fratres ad peccati vinculum aſtringere, niſi aliàs per ius diuinum vel humanum fuerint aſtricti. Hæc ibi. Simile etiam ſtatutum legi in ſtatutis fratrum Prædicatorum,quod ſequentibus verbis ab illis expreſſum eſt. Vt vnitati & paci totius ordinis prouideamns,volumus & declaramus, vt conſtitutiones noſtræ non obligent nos ad culpam, ſed ad pœnam, niſi propter præceptum vel contemptum. Hæc ibi. Et in aliquibus collegiis quæ in diuerſis Hiſpaniæ vniuerſitatibus in fauorem pauperum ſtudentium condita ſunt, inter varias conſtitutiones quæ pro illorum bono regimine authoritate Apoſtolica ſunt conditæ, hæc primo loco conſtituitur,qua declaratur nullam illarum conſtitutionum obligare ad culpam eos,qui in talibus collegiis vitam agunt,niſi illi aliunde fuerint ad culpam obligati. Eugenius quartus in quadam bulla quæ incipit,Ordinis tui,declarauit nihil eorum

Statuta Minorũ.

Statuta Prædicatorum.

B quæ in prima regula ſanctæ Claræ continentur, obligare ad culpam, præterquam quinque illius regulæ vota, quæ ſunt de obedientia,paupertate,& caſtitate, & clauſula, & abbatiſſæ electionem, aut depoſitionem. Et idem protinus declarauit ſentiendum eſſe de ſecunda regula per Vrbanum ſextum eiſdem ſororibus ſanctæ Claræ data. Ex qua declaratione apertè ſequitur ſororem ſanctæ Claræ non peccare mortaliter,quamuis diuinum officium dietim dicere omittat,ſi id non ex contemptu, ſed ex negligentia dicere omiſerit. Quia cùm ex regula ſua ad id dicendum non obligetur ſub pœna peccati mortalis, nullo alio iure ad peccatum mortale illas obligante illud dicere tenentur. Aliter tamen de fratribus minoribus dicere oportet, quia hi quamuis non ſint ad ſacros ordines promoti, ex particulari & ſpeciali ipſorum regulæ præcepto, tenentur dicere diuinum officium,iuxta ordinem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Fratres autem Prædicatores nullum tale habent ſuæ regulæ præceptum, ſed ſolo ordinis ſtatuto illud dicunt, quod ad peccatum non obligat: quia ſpeciali eo-

rum ſtatuto (vt diximus) cauetur nullum ſuorum ſtatuto- C
rum obligare ad peccatum. Si tamen illi de eleemoſynis aut de decimis illis à Pontifice Summo conceſsis aluntur, tenebuntur ſub obligatione peccati mortalis dicere officium diuinum integrum, quemadmodum clerici ſeculares qui beneficia poſsident. Ita enim declarat hoc Vincentius Bandellus in expoſitione ſuarum conſtitutionum capite primo. Sed iſtæ leges quæ obligationem ad culpam ab aliis ſimilibus legibus tollunt, non de ſola lege pœnali, ſed de omni lege loquuntur, apertè declarantes nullam talem obligare ad culpam. Deinde, & ſi aliqua eſſet lex in iure canonico, aut ciuili decernens nullam legem pœnalem obligare ad culpam, hæc non ligaret poſteros legislatores qui in eadem poteſtate ſuccedunt, vt non poſſent ſtatuere legem pœnalem obligantem ad culpam. Quia par in parem non habet imperium, vt dicitur in cap. Exiit qui ſeminat. §. Cæterùm ſanctæ Romanæ, de verborum ſignifica. libro vj. Cùm igitur nulla lege humana prohibitum ſit condere legem pœnalem obligantem ad culpam, opus eſt vt de lege diuina poſitiua inquiramus an illa prohibeat ſtatuere legem pœnalem obligantem ad culpam. Et de D
hac ego conſtanter dicere audeo nullam talem poſſe reperiri. Quoniam omnis diuina lex in ſacris literis continetur, in quibus nulla (vt certo ſcio) ſimilis lex inueniri poterit. Si quis autem contendat aliquam talem diuinam legem poſitiuam eſſe, proferat illam ex ſacris literis, & gratias illi pro hoc tanto beneficio reddam immenſas, tantùm abeſt, vt illi ſuccenſere, aut contradicere velim. Conſtanter tamen (vt iterum dicam) aſſero nullam talem in ſacris libris haberi. Sed quidam mecum de hac re contendere optans reſpondit mihi talem legem, & ſi verbis expreſsis non habeatur, deduci tamen ex aliis in ſacra ſcriptura contentis. Citabat enim ad ſuæ ſententiæ probationem id quod Deus per Naum prophetam prædixit: Non conſurget duplex tribulatio. Ex quibus verbis ſe colligere putabat non poſſe legem aliquam ſimul obligare ad culpam & ad pœnam: quia ſi hoc eſſet, duplex iam, contra legem diuinam, (vt illi videbatur) conſurgeret tribulatio, altera culpæ, & altera pœnæ. O ſubtilem ſacræ ſcripturæ interpretem,

Vincen. Bādellus *Naum. 1.*

A pretem. Non poſſum certè non admirari, vel vt verius dicam, non ingemiſcere, conſiderans iſtius & quorundam aliorum temerariam audaciam, qui ſe abſolutos theologos reputare non verentur, cùm tamen vix locum vnum difficilem ſacræ ſcripturæ intelligant. Satis ſibi eſſe putant, ſi Ariſtotelis mentem perceperint: & ad hunc ſcopum omnes ſuas diſputationes potiſsimum dirigunt, vt aliquid Ariſtotelis ſententiæ proximum tractent. Et ob hanc cauſam Ariſtotelem, tanquam ſi diuinus ille eſſet, ferè ſemper cùm de re theologica diſſerunt, verſant in ore. Ego quidem Ariſtoteli tantùm tribuo quantum nulli alteri homini fidei lumine deſtituto, non tamen adeò illum æſtimo vt putem res theologicas, quas ille prorſus ignorauit, per ſolas illius regulas eſſe dirigendas, prout multi theologi de ſimilibus rebus diſſerentes hactenus fecerunt. Ob quam cauſam à multis prudentibus viris deſideratur vt theologia purior & ſyncerior traderetur, quæ plus diuinarum ſcripturarum quàm Ariſtotelicæ doctrinæ contineret. Pro qua re video nunc egregiè laborare Ludouicum Caruaiallum, qui mecum ſub diui Franciſci inſtituto per *Ludouicus Caruaiallus.*
B multos annos ad hunc vſque diem militat, & in eodem Salmantino monaſterio quo ego, Franciſcani inſtituti habitum induit. Is enim res theologicas purè & Chriſtianæ tractare aggrediens optimas iam operis primitias dedit, & quæ reſtant ſperamus illum multò meliora daturum, & ſic meliores quàm hîc theologos prodituros. Hic enim theologaſter (vt ex illius argumentatione conſtare potuit) non intelligebat quid nomine tribulationis in illo prophetæ loco ſignificetur, ac proinde ignorabat, quid eſſet duplicem tribulationem conſurgere. Tribulationis nomine hoc loco ſignificatur punitio aut vindicta peccati, de qua re ſufficiens reddit teſtimonium translatio ſeptuaginta interpretum quam beatus Hieronymus hoc loco probat, quæ ſic ait, Non vindicabit Deus bis in idipſum. Ex qua translatione apertè conſtat eam in Hieronymi translatione dictam eſſe tribulationem, quam ſeptuaginta dixerunt peccati vindictam. Et hæc certè non erit duplex: quia ſi primo digna & ſufficiens fuerit capta de peccato vindicta, nunquã alia poſtea de illo ſumetur, ne Deus bis vindicare videatur. Omitto quid hoc loco Hieronymus do

ceat,quoniam periculoſa eſt illius ſententia, niſi illum ni- C
mium benigne interpreteris. Si hoc modò intelligenda eſt duplex tribulatio,neſcio quo pacto oſtendet conſurgere duplicem tribulationem, per hoc quòd lex pœnalis obliget ſimul ad culpam & ad pœnam. Nam obligatio ad culpam non eſt tribulatio, hoc eſt, peccati punitio ſiue vindicta. Quia etiam ſi nulla in homine præceſsiſſet culpa, poteſt illi dari lex obligans ad culpam. Deinde,illa prophetæ ſententia non eſt generaliter & abſolutè ad omnes referenda, ſed iuxta verum literæ ſenſum duabus tribubus,quę ex captiuitate Iudaica ſunt ereptæ, dicuntur, vt non timeant ſe etiam in captiuitatem redigi ſicut aliæ decem tribus: quia Deus non vult bis talem vindictam de populo Iudaico ſumere. Et hoc eſt quod dicit non conſurgere duplicem tribulationem. Si verò illa prophetæ verba non ad ſolas duas tribus, ſed ad omnes in vniuerſum homines dicta eſſe quis velit, oportet vt illa non de omni peccati punitione & vindicta intelligat, ſed de ſola illa quæ eſt culpæ æqualis, & per quàm dignè & pro ſua menſura culpa punitur. Nam de aliis punitionibus quæ culpæ menſuram non implent non eſt dubium quin duas & tres & multò D
Hierem. plures ſæpe Deus inferat pro vnica culpa. Hieremias ſiquidem de populo Iudæorum in idolatriam conuerſo loquens ad Deum ait. Induc ſuper eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos. Duplicem cõtritionem dixit pro duplici punitione quam illi imprecatur. Et Prophe
Pſal. 108 ta regius in Pſalmo centeſimo octauo de Iuda proditore prophetans, multas variáſque illi pro peccato proditionis prædicit pœnas. Ex his omnibus apertè conſtat illa Naum prophetæ verba quibus ait, non conſurget duplex tribulatio, nihil prorſus agere ad probandum legem pœnalem non poſſe obligare ad culpam. Cùm igitur conſtet nulla lege diuina poſitiua prohibitum eſſe legem humanam pœnalem poſſe obligare ad culpam, hoc ſolum iam mihi ſupereſt probandum, non eſſe contrarium legi naturali, legem pœnalem obligare ſimul ad culpam & ad pœnam. Hoc autem vel ex eo apertiſsimè probatur, quod multa fuerunt olim, & ſunt nunc leges diuinæ ſimul ad culpam, & pœnam obligantes: quas Deus nunquam dediſſet, ſi legi naturali contrariarentur. Abſurdum enim eſſet dicere,

Deum

A Deum legem aliquam condidiſſe, quæ legi naturali repugnaret. De qua re apertiſsimum reddit teſtimonium beatus Cyprianus, qui in ſermone de baptiſmo Chriſti Deum alloquens ait. Lex tua docet vitare peccatum, & corripit tranſgreſſores: & vt lotis mundiſque pedibus in via immaculata incedant, omnia præmonſtrat offendicula, & inſinuat diuerticula quibus periculoſi tranſitus euitentur, nihil impoſsibile, nihil iubet auſterum. In quibuſdam per legem tuam promiſſa præmia nos inuitant, in multis pœnæ propoſitæ & ſupplicia vel damna territos animos à ſcelerum retrahunt appetitu. Neque lex tua ſcripta à lege naturali in aliquo diſſonat. Hæc Cyprianus. Et beatus Auguſtinus ſuper illum verſum, Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ, ex Pſalmo 118. ait. Lege diuina inſtauratam eſſe legem naturalem, ſiue auctam, ſiue firmatam, tantum abeſt, vt putet legem diuinam repugnare vnquam legi naturali. Et lib. xxij. contra Fauſtum Manichæum, cap. xxvij. multò apertius hoc docet, ſic inquiens: Lex æterna eſt ratio diuina vel voluntas Dei, ordinem naturalem conſeruari iubens, perturbari vetans. Hæc Auguſtinus. Neque

Cyprian.

Auguſti.

B ſoli ſancti viri aut veri Chriſtiani ſed etiam Gentiles qui non tam plenam de Deo habuerunt notitiam, intellexerũt Deum in ſuis operationibus nunquam à lege naturali diſcedere. Nam Ariſtoteles in libro de mundo ait. Deus (vt vetere ſermone traditur) cùm omnium rerum principium, & finem, mediúmque teneat, rectè ſemper ſecundum naturam incedit, quem iuſtitia ſemper aſſectatur vlciſcens legis diuinæ violatores. Hæc ille. In quibus verbis id potiſſimum annotandum eſt quod ait, Deum rectè ſemper ſecundum naturam incedere: quod ideo dictum eſſe cõſtat, vt oſtenderet Deum nihil contra legem naturalem agere, Eſt itaque euidens, & omnibns manifeſtum, Deum nullam vnquam legem condidiſſe quæ legi naturali repugnaret. Si igitur oſtendero multas eſſe aut fuiſſe diuinas leges ſimul ad culpam & ad pœnam obligantes, inde manifeſtè probatum erit non eſſe contra legem naturalem, ſi lex aliqua ſtatuatur quæ ſimul obliget ad culpam & ad pœnam. Prima quam Deus homini dedit legem habetur, in libro Geneſis per hæc verba, quibus Deus primo homini loquens, ait. Ex omni ligno paradyſi comede: de ligno au-

Ariſtot.

Geneſ. 2

tem ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quocunque C enim die comederis ex eo, morte morieris. Ecce legem pœnalem, de qua nullus fidelis negare poterit eam obligaſſe ſimul ad culpam & ad pœnam. Nam quòd lex fuerit pœnalis, ex pœna mortis, quam illa minatur, & quam

Rom.5. Deus homini (vt Paulus docet) propter illius legis tranſgreſsionem infligit, apertiſsimè conſtat. Quod autem lex illa obligauerit ad culpam, adeò eſt omnibus, præſertim Chriſtianis, manifeſtum, vt nullus ſit homo qui in ſe non portet culpæ, quæ ex tranſgreſsione illius

Ibidem. legis contracta eſt, teſtimonium. Quia non in ſolo Adam culpa illa, aut pœna permanſit, ſed per Adam in omnes homines (vt Paulus ait) ſicut peccatum, ita & mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt. Dicens itaque Deus: In quocunque die comederis ex eo, morte morieris, ſimul denunciauit culpam quam legē tranſgrediendo cōmitteret: & pœnam quam pro legis tranſgreſsione ſuſtineret. Vtrunque enim horum, culpam videlicet & pœnam nomine mortis ſignificauit. In cuius

Eucher. rei teſtimonium profero beatum Eucherium qui libro primo, ſuper Geneſim capite decimoſeptimo prædicta D verba interpretans ait. Hanc quam Deus homini minatus eſt mortem, non eam tantùm debemus accipere, qua caro ſeparatur ab anima, ſed hanc qua hæc alienatur à Deo, qui eſt vita ſua. Sicut enim corpus viuit ex anima, ita anima vt beatè viuat, viuit ex Deo. Ergo deſerta à Deo anima iure dicitur mortua, ex qua tres poſtea ſecutæ ſunt mortes, prima in anima, ſecunda in carne, tertia in damnatione. Sed vt iſtæ ſequerentur, prima præceſsit deſertio Dei. Hactenus Eucherius. Poſt hanc legem, quam ſolam Deus homini in ſtatu integræ naturæ dedit, alias multas pro ſtatu naturæ lapſæ & diminutæ condidit leges: in quibus multæ ſunt quæ ſimul obligabant ad culpam & ad pœnam. Nam omnes illæ leges quæ prohibebant matrimonia contrahi inter illos qui erant aliquo conſanguinitatis aut affinitatis gradu coniuncti, obligabant ad culpam & pœnam eos qui contra tales leges matrimonia contraxiſſent. Obligationem ad culpam apertiſsimè Deus expreſsit, quum poſt datas omnes illas

leges,

A leges, ſtatim ſubiecit. Omnis anima quæ fecerit de abominationibus his quippiam, peribit de medio populi ſui. Obligationem ad culpam & pœnam ſimul oſtendit, quum poſtea iterum eaſdem leges repetens in multis illarum pœnam mortis ſtatuit contra eos qui leges illas tranſgrederentur. Qui dormierit cum nouerca ſua (inquit lex) & reuelauerit ignominiam patris ſui, morte moriantur ambo, ſanguis eorum ſit ſuper eos. Si quis dormierit cùm nuru ſua, vterque moriatur, quia ſcelus operati ſunt, ſanguis eorum ſit ſuper eos. Qui ſupra vxorem filiam, duxerit matrem eius, ſcelus operatus eſt, viuus ardebit cum eis, nec permanebit tantùm nefas in medio veſtri. Et aliæ multæ ſimiles leges illic continentur, quæ pœnam mortis tranſgreſſoribus minantur. Hæc autem mortis comminatio (vt doctor ſubtilis Scotus rectè annotauit) nunquam in lege Moſaica ponitur niſi propter tranſgreſsionem quæ eſſet culpa mortalis. Præterea in lege euãgelica quæ multò mitior & ſuauior eſt quàm lex Moſaica, aliquas, quamuis paucisſimas, leges pœnales inſtituit Chriſtus, per quas aliquibus criminibus certas pœnas

Leui.18. *Leuit.20* *Scot.in 4. ſen.diſt.1. q.6.*

B inflixit: nec tamen per talium pœnarum inflictionem eos à culpæ obligatione abſoluit imò potius ad oſtendendam culpæ grauitatem, & ad auertendum homines ab illius culpæ perpetratione talem minatus eſt pœnam. Nam homicidas ſtatuit iuſtè illos poſſe in pœnam criminis à iudice ad mortem damnari, ſic inquiens. Omnis qui occiderit gladio, gladio peribit. Per hæc enim verba (vt omnes theologi concorditer docent) Chriſtus dedit iudicibus poteſtatem occidendi homicidas. Adulteros etiam (vt longè latius libro ſecundo Deo duce oſtendemus) puniuit, priuando eos iure exigendi debitum ab vxoribus ſuis, quando hanc ſolam dixit eſſe cauſam propter quam marito licet dimittere vxorem ſuam. Nullum credo tam dementem eſſe, vt dicat homicidam liberum eſſe à culpa, propterea quòd hominem occidens ſe expoſuit periculo pœnæ quam illi lex diuina minatur. Et idem prorſus dicendum eſt de adultero, quum adulterium committens amittit ius exigendi debitum ab vxore. Ex quibus omnibus conſtat aliquas eſſe à Deo conditas leges obligantes ad culpam, non obſtante quòd per

Mat.26. *Mat.19.*

eaſdem aut per alias leges ſint ab eo decretæ pœnæ contra tranſgreſſores illarum legum. Et quia diuinæ leges (vt iam probauimus) nunquam à lege naturali diſcedunt, inde apertè conuincitur non eſſe contra legem naturalem poteſtatem humanam ſtatuere legem quæ ſimul obliget ad culpam & ad pœnam. Et quia ſuprà probauimus hoc nulla lege diuina poſitiua, aut humana eſſe prohibitum, inde euidentiſsimè probatur poteſtatem humanam habere ius condendi legem quæ obliget ad culpam non obſtante pœna per eandem legem impoſita. C

Tertiò, principaliter ad probandum eandem concluſionem argumentor ex multitudine exemplorum quæ apertiſsimum teſtimonium reddunt, iam ſæpe ab humana poteſtate factum eſſe id, quod nos ab humana poteſtate fieri poſſe contendimus. Plurimæ (vt notum eſt) ſunt leges Canonicæ quæ aliquid extra ius diuinum præcipiunt, aut prohibent ſub pœna excõmunicationis ipſo facto incurrendæ. Omnes huiuſmodi leges ab humana poteſtate cõditæ ſunt per authoritatem illi à Deo collatam, & tamen omnes illæ obligant illarum tranſgreſſores ſimul ad culpam & ad pœnam. De obligatione ad pœnã vel ex eo conſtat, quòd cùm in illis lata exprimatur ſententia, quotquot tales leges tranſgrediuntur, incurrunt ſententiã excommunicationis. Obligatio verò ad culpam apertiſsimè conuincitur ex ipſa ſententia excõmunicationis, quæ per talem legem contra tranſgreſſores profertur. Quia excõmunicatio non niſi pro peccato mortali, eóq; graui, & cui eſt annexa contumacia, D

Cap. 4. poteſt inferri, vt dicitur in cap. Nemo. & capit. Certum. xj. quæſt. iij. Et ob hanc cauſam nos ſuprà diximus excõmunicationem quæ per legem aliquam impoſita eſt, efficaciſsimum eſſe argumentum ad probandum legem illam obligare ad culpam mortalem. Sunt adhuc aliæ leges pœnales quæ præter excommunicationem alias pœnas tranſgreſſoribus earum imponunt, & illas obligare ad culpam eſt adeò manifeſtum, vt nullus meritò dubitare valeat. Nam in cap. Perpetuæ, de electione, lib. vj. declarat Papa eum qui ſcienter elegerit indignum ſimul committere culpam, &

Dominicus de S. Geminia. incurrere in pœnam. Super quem textum Dominicus de ſancto Geminiano notabi. tertio hæc ait. Nota hîc optimum textum, qui facit in argumentum, quod veniens contra

A contra legis præceptum peccat mortaliter,etiam ſi in lege præceptiua ſit alia pœna impoſita. Probat textus: quia dicit hîc quod quoad Deum punitur iſte, & etiam ab Apoſtolica ſede, ex quo tunc fecit à iure prohibita, licet non perfecerit:tamē quoad Deum fecerit. Hæc Dominicus,qui eandem ſententiam iterum docet & colligit ex cap. Commiſſa.§.illum,eodem titulo. Sed fortè aliquis dicet in illis capitulis citatis aſsignari pœnas contra tranſgreſsiones præceptorum diuinorum, & ideo non bene probari ex illis humanam poteſtatem lege ab ea ſtatuta obligare aliquem ſimul ad culpam & ad pœnam. Ideo alia exempla ego profero multò manifeſtiora, quibus apertè probatur aliquam legem humanam ſimul obligare ad culpam & pœnam. Eſt enim quædam lex circa librorum impreſſores condita in ſeſsione nona Concilij Lateranenſis ſub Iulio ſecundo & Leone decimo celebrati, qua eiſdem impreſſoribus præcipitur vt nullus eorum librum aliquem imprimere ſeu imprimi facere præſumat, niſi prius in Vrbe Romana per vicarium Papæ, & ſacri Palatij magiſtrum, in aliis verò ciuitatibus & diœceſibus
B per epiſcopum vel alium habentem peritiam ſcientiæ libri ſeu ſcripturæ huiuſmodi imprimendæ ab eodem epiſcopo ad id deputandum, ac inquiſitorem hæreticæ prauitatis ciuitatis ſiue diœceſis in qua libri illius impreſsio fieret, diligenter examinetur, & per eorum manu propria ſubſcriptionem, quam ſub excommunicationis ſententia gratis & ſine dilatione dabunt, approbetur. Qui autem impreſſor contra hanc datam legem aliquid auſus fuerit imprimere, vltra excommunicationis ſententiam quam ipſo facto lex illi infert, punitur etiam per eandem legem amiſsione omnium librorum impreſſorum, & publica illorum combuſtione, ac centum ducatorum fabricæ baſilicæ principis Apoſtolorum de vrbe ſine ſpe remiſsionis ſolutione, ac per continuum annum ab exercitio impreſsionis ſuſpenſione. Quæ lex iterum in tertia ſeſsione Concilij Tridentini ſub Paulo tertio celebrati me ibidem præſente confirmata eſt. Ecce vides quàm multas pœnas hæc canonica lex contra illius tranſgreſſores ſtatuit, nec tamen omnes illæ obſtant, quin lex illa eoſdem tranſgreſſores ſimul obligauerit ad culpam

mortalem. Hoc autem vel ex eo facilè conuincitur, quod C vltra omnes illas pœnas contra illius legis tranſgreſſores ſententiam protulit excommunicationis, quæ (vt iam diximus) non niſi pro peccato mortali inferri poteſt. In eodem Concilio Lateranenſi ſeſsione nona condita eſt alia lex contra eos clericos beneficia habentes, quî diuinum officium, prout tenentur, Deo perſoluere omittunt: quæ & ſi pœnalis ſit, ad culpam tamen obligat, vt ex verbis illius apertè conſtare poteſt, quæ talia ſunt. Statuimus quoq; & ordinamus, quòd quilibet habẽs beneficiũ cum cura vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento beneficio diuinum officium non dixerit, legitimo ceſſante impedimento, beneficiorum ſuorum fructus non faciat pro rata omiſsionis recitationis officij & temporis: ſed eos tanquam iniuſtè perceptos in fabricas huiuſmodi beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Si verò vltra dictum tempus in ſimili negligentia contumaciter perſeuerauerit, legitima monitione præcedente, beneficio priuetur: cùm propter officium detur beneficium. Intelligatur autem officium omittere, quoad hoc, vt bene probari poſsit, qui per quindecim dies illud bis ſaltem non D dixerit, Deo tamen vltra præmiſſa de dicta omiſsione redditurі rationem. Hactenus Concilium Lateranenſe. In quibus verbis id potiſsimum annotare oportet, quod vltimo dicitur, Deo tamen vltra præmiſſa de dicta omiſsione redditurі rationem. Ex quibus verbis apertè conſtat ſtatutum illud & ſi pœnale ſit, obligare ad culpam, aut ſaltem non tollere obligationem ad culpam, quæ ante tale ſtatutum habebatur. Quia niſi talis officij diuini omiſsio culpabilis eſſet, non oporteret de illa rationem Deo reddere. Multas alias poſſem ex vtroq; iure leges in medium proferre quæ ſimul ad culpam & pœnam obligant: ſed quia iſtæ ad probandum id, quod in principio huius capituli poſuimus fundamentum, ſufficiunt, & iſtæ apertiores etiam ſunt quàm vt de illis quis meritò dubitare poſſet: ideo alias omnes de quibus aliqua fortè poterat intempeſtiua oriri contentio, nunc prudens omitto, vt ſuo loco commodius de illis diſputare valeam.

Concilij. Lateranen. ſtatutum contra clericos non dicẽtes officium diuinum.

Quòd

A *Quòd lex purè pœnalis quatenus talis eſt nunquam ex ſe obligat ad culpam.*

CAP. IX.

QVAMVIS apertiſsimis rationibus oſtendimus hominem legiſlatorem poſſe condere legem pœnalem quæ ſimul obliget ad culpam: non tamen ideo credendum eſt illum quotieſcunque legẽ pœnalem ſtatuit, hac vſum fuiſſe poteſtate: ſed aliquas leges pœnales condidiſſe quæ ad nullam prorſus obligant culpam, aliàs rurſus quæ illarum tranſgreſſores faciunt culpæ, ſimul & pœnæ obnoxios. Operæprecium igitur me facturum exiſtimaui, ſi oſtenderem quæ & quales ſint leges pœnales ad nullam culpam obligantes, & quæ ſint quæ ad culpam ſimul & pœnam obligant. Quæ res, cùm nimium varia ſit, ſicut non poteſt vnica & certa regula definiri, ita etiam nec vno capitulo abſolui, niſi adeò prolixum foret, vt lectori quamlibet tenaci atque conſtanti facilè faſtidium commouere B poſſet. Vt igitur lector liberius in lectione perſiſtat, & quæ legerit memoriæ facilius cõmendare valeat, decreui huius quæſtionis definitionem per varias regulas diſtinguere, & per diuerſa capitula partiri. Sit igitur hæc prima regula.

Lex purè pœnalis quatenus talis eſt nunquam obligat ad culpam aliquam quæ contrahi poſsit, propterea quòd ſit aut omittitur id propter quod eſt impoſita pœna, quamuis aliquando ratione grauitatis pœnæ innuat illum, cui pœna imponitur eſſe, aliunde ad culpam obligatum. Hæc regula iuxta ſingulas illius partes prius declaranda eſt, & ex illius declaratione facilè illius veritas patebit. Primò igitur pro huius regulæ declaratione annotare oportet, duplicem eſſe legem pœnalem. Quædam eſt lex purè pœnalis, & alia eſt lex pœnalis miſta. Hanc legis pœnalis diſtinctionem annotat ſolennis doctor Henricus à Gandauo: *Henricus* quodlibet.iij.quæſt.xxij. quãuis eas leges non appellet his *Gandauenſis.* nominibus quibus nunc ego eas appello, ſed tantùm ponit exempla earũ. Sed quia hanc legis pœnalis diſtinctionem aliqui rem nõ bene conſiderantes irrident, præſertim Sylueſter

ueſter in ſua ſumma in tit.inobedientia,circa finẽ, vbi dicit C
eſſe verbalem tantùm & puerilem diſtinctionem: ideo volo ſingulas huius diſtinctionis partes apertè explicare, & oſtendere ex vtroq; iure, diuino ſcilicet, & humano non tantùm verbalem & puerilem (vt Syluester ſine vrbanitate & ciuilitate dixit) ſed veram & realem eſſe inter illas diſtinctionem. Et tandem oſtendam id, quod potiſsimum in hoc capite intendo, legem purè pœnalem quatenus talis eſt non obligare ad culpam. Lex purè pœnalis eſt illa, quæ nihil facere præcipit, aut prohibet: ſed tantùm imponit pœnam illi qui aut aliquid fecerit, aut facere omiſerit. Lex pœnalis miſta eſt, quæ aliquid fieri præcipit, aut prohibet, & inſuper verbis expreſsis ſtatuit pœnam contra eiuſdem legis tranſgreſſorem quocunq; modo illa ſtatuatur. Parum enim refert quòd ſit pœna aliqua certa decreta, aut quòd ſit iudicis arbitrio commiſſa, quocunq; modo exprimatur pœna in ipſa lege contra præcepti aut prohibitionis tranſgreſſorem, ſemper lex illa dicetur lex pœnalis miſta. Si verò nullum ſit verbum in ipſa lege, quòd aliquo modo exprimat aut innuat pœnam contra eiuſdem legis tranſgreſſorem, quamuis iudex poſsit propter aliquod aliud decretum illius legis tranſgreſſorem D
punire, nunquam tamen lex illa dicetur lex pœnalis miſta: quia lex pœnalis dici non meretur quæ nullum in ſe continet verbum aliquo modo exprimens pœnam. Sed lex illa dicetur ſolùm moralis, videlicet præceptum aut prohibitio: quia de ſolis moribus diſſerit, & nihil prorſus de pœna tractat. Nam ideo lex aliqua dicitur pœnalis miſta: quia ſub eodem verborum contextu ſimul in ea miſcentur mores & pœna. Ea parte qua aliquid præcipit aut prohibet, lex moralis cenſeri debet: ea verò parte qua pœnam contra tranſgreſſorem ſtatuit, pœnalis dicenda eſt. Et inde euenit vt tota integra lex quæ ex illis duabus partibus componitur, meritò lex pœnalis miſta dicatur. Iſtarum duarum legum pœnalium, videlicet legis purè pœnalis, & legis pœnalis miſtæ diſtinctio & diuerſitas manifeſtè probatur ex diuerſis legis poteſtatibus, quas Modeſtinus iuriſconſultus explicat in lege Legis virtus. ff. de legibus, ſic inquiens. Legis virtus hæc eſt, imperare, vetare, permittere, punire. Hæc ille. In quibus verbis

A verbis diuerſas legis poteſtates enumerans, eas diſtinguit per diuerſa obiecta, hoc eſt, per diuerſas materias circa quas leges ipſæ verſari poſſunt. Si res eſt bona, lex illam præcipere poteſt: ſi mala, poteſt illam prohibere: ſi neutra eſt aut indifferens, hoc eſt, ſi nec ex ſe bona aut mala, illam poteſt permittere. Si malum quis fecerit, lex illum punire poteſt, & pœnam contra illum ſtatuere. Si bonum quis fecerit, lex etiam poteſt illi mercedem donare, & præmium illi decernere. Et hanc quintam legis poteſtatem videtur iuriſconſultus præteriiſſe, in ſuis illis verbis modo citatis. Nec Accurſius huius poteſtatis legis meminit, quum ipſius Modeſtini verba interpretatur, & illis aliquid opponere nititur. Dicit tamen nullam eſſe legem in qua aliquod ex illis quatuor à Modeſtino expreſsis, aut aliquod æquipollens non inueniatur. Sed certè ego non video quo pacto poſsit Accurſius ad aliquod illorum quatuor reducere legem quæ nihil præcipiens aut prohibens fieri, ſtatuit præmium reddi illi qui primus hoſtium muros aſcenderit, vt per ſolam ſpem præmij multos ad opus illud alliciat. Sicut enim mala punire virtus eſt legis, &
B poteſtas principis, ita etiam poteſtas eſt principis & legis virtus, bonum præmio afficere. Sed in Modeſtini fauorem dici poteſt illum, & ſi hanc legis poteſtatem verbis apertis non expreſſerit, eam tamen apertè innuiſſe, quum dixit legis virtutem eſſe punire. Quia ſicut malis pœna, ita iuſtis debetur præmium. Quiſquis has omnes legis poteſtates plenè conſiderauerit, facilè agnoſcet eas non eſſe ſic inter ſe connexas, vt vna non poſsit ſine altera actum ſuum exercere. Non eſt enim neceſſarium, vt quælibet lex ſimul præcipiat, & prohibeat, & permittat, & puniat, & præmio donet: ſed ſatis eſt illam aliquod horum præſtare, vt lex dici mereatur. Ex quo neceſſariò conſequitur, vt ſicut poteſt eſſe lex aliqua quæ ſolùm præcipit abſque hoc quod puniat, & alia quæ ſine aliqua pœnæ impoſitione aliquid prohibet, ita è contrario poterit eſſe aliqua lex quæ abſque hoc quod aliquid præcipiat aut prohibeat, per metum pœnæ vrgeat ad faciendum id quod fieri optat: & aliqua rurſus poterit eſſe lex quæ aliquid præcipiat aut prohibeat, & ſimul pœnam imponat contra eos qui fuerint legem tranſgreſsi. Lex igitur quæ ſine

alicuius

alicuius pœnæ deſignatione aliquid præcipit aut prohibet, C
dicetur purè moralis. Legem moralem hîc voco, non vt theologi eam diſtinguere ſolent contra legem iudicialem aut cæremonialem, prout eſt illa quæ diſſerit de actu virtutis neceſſario, ſed illam omnem quæ quouis modo ad aliquam virtutem poſsit reduci, ſiue illa ordinetur ad lites tollendas ſiue ad bonos populi mores inſtituendos. Quæ autem abſque hoc quod aliquid præcipiat, aut prohibeat, pœnam decernit contra eos qui aliquid fecerint aut omiſerint, lex eſt purè pœnalis. Lex verò quæ aliquid fieri præcipit, aut vetat, & pœnam inſuper contra legis tranſgreſſores ſtatuit, dicitur lex pœnalis miſta. De lege purè morali non eſt opus exempla proferre, quia de illa in hoc opere non diſſero, ſed ſolùm de lege pœnali. Verùm ne exempla deeſſe videantur, vbi tam multa & tam aperta occurrunt, paucas aliquot ex omni genere decreui leges citare, vt ex illarum plena conſideratione facilè quiſque cenſere valeat, an ſit purè moralis, an purè pœnalis, an miſta. Sed vt apertius & facilius lector hoc quod promitto efficere valeat, non ſola legum capita (vt mos eſt à iuriſperitis receptus) ſed aliquando ipſas integras leges ci- D
tabo, vt illarum verba coram oculis habens ſtatim ſine alterius libri adminiculo, de qualibet illarum iudicare poſsit, quo nomine ſit cenſenda. Leges purè morales ſunt quæ ſequuntur, tam ex iure diuino, quàm ex iure humano. Ex iure diuino & naturali leges purè morales ſunt omnes illæ decem ex quibus conſtituitur ille ſolennis decalogus ad vitæ æternæ conſecutionem, neceſſarius.
Exod. 20 Nam omnes illæ leges, prout in Exodo continentur, quamuis bona præcipiunt, & mala prohibent, nullam tamen contra ipſarũ legum tranſgreſſores pœnam adiiciunt. Erant adhuc præter hæc decalogi præcepta plures aliæ leges purè morales inter eas quas Dominus Deus olim dedit per Moyſen, ex quibus pauculas aliquot proferam. Si
Exod. 21 emeris ſeruum Hebræum, inquit Deus per Moyſen, ſex annis ſeruiet tibi, ſeptimo exiet liber gratis. Aduenam non contriſtabis, neque affliges eum, aduenæ enim &
Exod. 22 ipſi fuiſtis in terra Aegypti. Si pignus à proximo tuo acceperis veſtimentum, ante ſolis occaſum reddes ei. Ex iure humano plurimas poſſem leges purè morales in

exemp

A exemplum proferre, ſed ne abſque neceſsitate cartas legibus impleam, ſolas tres aut quatuor citabo, & ſunt quæ ſequuntur. Non oportet in Quadrageſima quinta feria vltimæ hebdomadæ ieiunium diſſolui, & totam Quadrageſimam inhonorari, ſed per totos dies ieiunare, & eſcis abſtinentiæ conuenientibus, id eſt, aridioribus vti. Hæc lex condita eſt in Concilio Laodiceno, & habetur in capitul. Non oportet, de conſecrat. diſtinctione tertia. Similis lex de eadem re data eſt à Martino Papa in Concilio Romano, in qua dies dominici excipiuntur, qui non erant excepti in lege præcedenti. Et citatur hic canon à Gratiano in capit. Non liceat. eadem diſtinctione. Circa miſſarum auditionem variæ datæ ſunt purè morales leges. Vna lata eſt in Concilio primo Aurelianenſi capitul. xxviij. ſub hoc verborum tenore. Cùm ad celebrandas miſſas in Dei nomine conuenitur, populus non antè diſcedat, quàm miſſæ ſolennitas compleatur. Alteram dedit legem Anaſtaſius Papa de modo audiendi euangelium, quum legitur in miſſa, hæc continentem verba. Apoſtolica autoritate mandamus, dum ſancta euangelia in Eccle-
B ſia leguntur, vt ſacerdotes & cæteri omnes non ſedentes, ſed venerabiliter curui, & in conſpectu euangelij ſtantes, dominica verba intentè audiant, & fideliter adorent. Has duas leges citat Gratianus de conſecra. diſtinctione prima, in capitulo, Cùm ad celebrandas, & capitulo, Apoſtolica. De obſeruatione diei dominici lata eſt lex alia in concilio apud Compendium in Gallia, per quam prohibetur, ne mercatum in die dominico fiat, neque aliquis ad mortem damnetur. Et citatur hæc lex in capitulo, Omnes, de feriis. Omnes iſtæ leges, tam diuinæ quàm humanæ, dicuntur purè morales, quia ſolum præceptum aut ſolam prohibitionem abſque alicuius pœnæ impoſitione continent. De his legibus, quæ ſolùm morales cenſentur, non eſt opus amplius diſſerere, quia intra huius noſtræ diſputationis aleam non ſunt conſtitutæ. His igitur prorſus relictis, ad legum pœnalium exempla recenſenda procedamus, & primò leges purè pœnales, deinde miſtas proferamus.

Leges purè pœnales à Deo datæ ſunt, quæ ſequuntur. Si quis (inquit Deus per Moyſen) furatus fuerit bouem aut *Exod.* 22
ouem,

ouem, & occiderit, vel vendiderit: quinque boues pro vno C boue reſtituet, & quatuor oues pro vna oue. Si effringens fur domum ſiue ſuffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percuſſor non erit reus ſanguinis.
Leuit. 20 Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius,& adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi ſui, morte moriantur, & mœchus & adultera. Qui dormierit cum nouerca ſua, & reuelauerit ignominiam patris ſui, morte moriantur ambo, ſanguis eorum ſuper eos. Si quis dormierit cum nuru ſua, vterque moriatur: quia ſcelus operati ſunt:ſanguis eorum ſit ſuper eos. Qui dormierit cum maſculo coitu fœmineo, vterque operatus eſt nefas, morte moriantur: ſit ſanguis eorum ſuper eos. Qui ſupra vxorem filiam, duxerit matrem eius, ſcelus operatus eſt: viuus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio veſtri. Et multæ aliæ ſimiles leges in eodem loco recenſentur, quæ pœnas imponunt illis, qui inceſtas celebrauerint nuptias. Quòd autem hæ omnes ſint ſolùm pœnales dicendæ, inferius apertè probabo. Ex iure canonico leges merè pœnales, ex multis aliquas citabo multùm conducibiles. In capitulo, Plerunque, de donationibus inter vi- D rum & vxorem, hæc lex habetur. Si mulier ob cauſam fornicationis iudicio eccleſiæ aut propria voluntate à viro receſſerit, nec reconciliata poſtea ſit eidem,dotem vel dotalitium repetere non valebit. In capitulo, De cætero, extra, de homicidio voluntario vel caſuali.Hanc, quæ ſequitur, ſtatuit legem Alexander papa, huius nominis tertius. De cætero noueris, quòd diaconus, qui homicidio cauſam dediſſe videtur, non videtur ad ſacerdotium promouendus. In concilio Carthaginenſi quarto, duæ de auditione verbi Dei, & de auditione miſſæ, conditæ ſunt leges, quas merè pœnales eſſe, ex verbis illarum apertiſsimè conuincitur. Sacerdote (inquit lex) verbum in eccleſia faciente, qui egreſſus de auditorio fuerit, excommunicetur. Qui die ſolenni, prætermiſſo eccleſiæ conuentu, ad ſpectacula vadit, excommunicetur. Et citantur hæ leges ſiue canones (nam canones meritò leges appellare poſſumus) à Gratiano, in capit. Sacerdote, & cap. Qui die, de conſecra. diſtinct. j. Ex iure ciuili leges purè pœnales ſunt innumeræ, ex quibus tres aut quatuor ſolùm exempli cauſa integras citabo.

A citabo.l.Capitalium.ff.de pœn. diuerſæ pœnæ pro variis & diuerſis criminibus ſtatuuntur his verbis. Venenarij capite puniendi ſunt,aut ſi dignitatis reſpectu agi oportuerit,deportandi.Graſſatores,qui prædæ cauſa id faciũt, proximi latronibus habentur: & ſi cum ferro aggredi & ſpoliare inſtituerunt,capite puniuntur, vtique ſi ſæpius atque in itineribus hoc admiſerunt; cæteri in metallum dantur,vel in inſulam relegantur. Igni cremantur plerunque ſerui,qui ſaluti dominorum ſuorum inſidiauerint;nonnunquam etiam liberi plebei & humiles perſonæ. Incendiarij capite puniuntur. Qui ob inimicitias vel prædæ cauſa incenderunt intra oppidum, plerunque viui exuruntur. Deinde,in l.ſi quis aliquid. ij.eodem titulo, multæ aliæ pœnæ aliis diuerſis criminibus decernuntur ſub hoc verborum contextu.Si quis aliquid ex metallo principis, vel ex moneta ſacra furatus ſit, pœna metalli vel exilij punitur.Transfugæ ad hoſtes, vel conſiliorum noſtrorum renunciatores, aut viui exurantur, aut furca ſuſpendantur. Authores ſeditionis & tumultus,populo cõcitato pro qualitate dignitatis, aut in furcam tolluntur,aut beſtiis ſubiiB ciuntur,aut in inſulam deportantur.Sunt aliæ plurimæ in iure ciuili ſimiles leges, ſed hæ pro exemplo ſufficiunt. Si quis tamen plura adhuc exempla ex iure ciuili deſiderat, libenter illi aliarum legum capita offeram, vt ipſe per ſe in fonte eas integras inſpicere valeat.l. Nunquam. ff.de priua.delict.l.Falſus. §.Qui alienum.& l.Qui ea mente. ff.de furtis.l.Diuus.ff.de extraordinar. criminib. & l.Qui ædes.& l.Si quis ex naufragio,& l.Pedius. ff.de incendio, ruina.& naufragio.l.Prætor ait,prima & ſecunda in principio.ff.vi bonorum raptorum.l.Si leones. C.de epiſcopali audientia.l.Hi qui, & l.Eum qui. C.de apoſtatis.l.Quiſquis.C.ad legem Iuliam maieſtatis. l.Quamuis, & l.cũm vir.C.de adulteriis.l.vnica. C.de raptu virginum. Multas alias poſſem ex iure ciuili leges in exemplum citare, ſed hæ mihi ſufficere videntur.

Ex iure etiam Hiſpano,præſertim regni Caſtellæ, aliquas volo in medium proferre leges merè pœnales, vt ex omni parte lector habeat exẽpla,quibus poſsit reliquas omnes leges conferre, & ex illarũ collatione diſcere, an ſint merè pœnales dicendæ.In libro octauo regaliũ ordinatio-

num regni Caſtellæ, titu.vj.qui eſt de periuris atq; falſa- C
riis,ſequentes leges habentur. Præcipimus, vt quæcunque perſona, cuiuſcunq; ſtatus præeminentiæ, aut dignitatis, violauerit, aut non ſeruauerit iuramentum, quod fecerit ſu per quocunque contractu, ipſo facto amittat omnia bona ſua, quæ exnunc noſtræ cameræ applicamus. Ordinamus, vt quicunque falſificauerit noſtra ſigilla, aut ſigillum alicuius Archiepiſcopi, aut cuiuſcunq; alterius prælati, amittat ſuorum bonorum medietatem noſtræ cameræ applicandam. In eodem libro titu.vij. qui eſt de proditionibus aut traditionibus, hæc lex ſecundo loco habetur. Proditor eſt iniquus homo, & ab omni bonitate aliens, & ideo eſt ipſo facto omnibus bonis ſuis priuatus, & ſunt noſtræ cameræ applicata. In eodem etiam libro titulo nono, qui eſt de iniuriis, hæc lex ſecundo ordine locatur. Quicunque verbis inhoneſtis & grauiter infamantibus aliquem iniuriauerit, cantet coram iudice pallinodiam, & ſoluat inſuper trecentos ſolidos, quorum medietas noſtræ cameræ applicabitur, reliqua verò medietas dabitur iniuriam paſſo. Plurimas alias ex iure regni ſimiles leges citare potuiſſem, ſed hæ mihi ſatis eſſe videntur, vt pro exemplis lecto- D
ri ſeruire poſsint. Hæ omnes leges, quas ex iure diuino & humano pro merè pœnalibus citauimus, ex eo conſtat eſſe purè pœnales, quòd nulla illarum præcipit aliquid, aut prohibet, aut permittit: ſed quælibet illarum pœnam duntaxat ſtatuit, quæ debeat pro crimine infligi.

Legis pœnalis miſtæ exempla reddere etiam oportet, vt de omni lege exempla habeãtur, à quibus lector diſcat, quid de aliis ſentire debeat. Leges miſtæ ex iure diuino ſunt, quæ ſequuntur. Viduæ & pupillo non nocebitis (in-
Exo. 22. quit Deus per Moyſen) Si læſeritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiámq; vos gladio, & erunt vxores veſtræ vi
Leuit. 19 duæ, & filij veſtri pupilli. Rurſum in Leuit. ait Deus. Si immolaueritis hoſtias pacificorum domino, vt ſit placabilis, eo die, quo fuerit immolata, comedetis eam, & die altero: quicquid autẽ reſiduum fuerit, in diem tertiũ igne comburetis. Si quis poſt biduũ comederit ex ea, prophanus erit & impietatis reus: portabítq; iniquitatem ſuã, quia ſanctum domini polluit, & peribit anima illa de populo ſuo. Leges
miſtæ

A miſtæ ex iure canonico ſunt plurimæ, ex quibus paucas ali quot in exemplum proponam. In cõcilio Agathenſi de auditione miſſarum quædam lex condita eſt, quæ à Gratiano citatur de conſec. diſt. j. ſub hoc verborum tenore. Miſſas die dominico ſecularibus totas audire ſpeciali ordine præcipimus: ita vt ante benedictionem ſacerdotis egredi populus non præſumat: quod ſi fecerint, ab epiſcopo publicè confundantur. In cap. Fœlicis, de torneamẽtis, poſtquam apertis & expreſsis verbis prohibentur torneamẽta fieri, ſtatim contra huius prohibitionis tranſgreſſores, pœna decernitur his verbis. Quòd ſi quis eorum ibi mortuus fuerit, quanuis ei morienti pœnitentia non negetur, Eccleſiaſtica tamen careat ſepultura. Quæ pœna non ad omnes in torneamento pugnantes, ſed ad illos ſolos, qui illic mortui ſunt, extendenda eſt, cùm illi ſoli ſint per legem expreſsi. In cap. vnico, de ſagittariis, hæc habetur lex ab Innocentio tertio condita. Artem illam mortiferam & odibilem balliſtariorum & ſagittariorũ aduerſus Chriſtianos catholicos exerceri de cętero, ſub anathemate prohibemus. In illa nimium vulgata decretali, omnis vtriuſq; ſexus, quæ habetur in ti-
B tulo de pœnitentiis & remiſsionibus, primum præcipitur omnibus, vt ſemel in anno peccata ſua proprio ſacerdoti confiteantur, & ſaltem in die paſchæ Euchariſtiæ ſacramentum recipiant. Quo dato præcepto, ſtatim contra tranſgreſſores pœnam huiuſmodi verbis ſtatuit. Alioquin & viuens ab ingreſſu eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura. Eiuſdẽ conditionis eſt lex ſiue canon, qui habetur in cap. Cùm infirmitas corporalis, eod. tit. Similes his ſunt canones, qui habentur in cap. Romana, & in cap. Exigit, de cẽſib. lib. vj. Ex iure ciuili aliquot oportet leges miſtas in exemplũ adducere. In l. Ne quid. ff. de incẽdio, ruina naufragio. poſtquã prohibetur, vt nullus res naufragorum cauſa ſurripiẽdi colligat, quum ad littus eiectæ fuerint, aut in mari fluctuauerint, ſtatim pœnam tranſgreſſoribus imponit per hæc ſequẽtia verba. De his autem, quos diripuiſſe probatum ſit, præſidẽ vt de latronibus grauem ſententiam dicere. Item Vlpianus iuriſcõſultus ad coercendã malorum tutorum auaritiam, quandam legem dedit, quæ habetur. ff. de furtis. ſub hoc verborum contextu. Tutor adminiſtrationem quidem rerum pupillarium habet, intercipiendi

autem poteſtas ei non datur,& ideo ſi quid fraudandi ani- C mo amouerit,furtum facit: nec vſu capi res poteſt, ſed & furti actione tenetur. Imperator Conſtantinus ad reprimendam & omnino ſepeliendam peſsimam aruſpicum artem,quandam contra eos dedit legem,quæ habetur in C. de malefic.& mathema, ſub hac verborum ſerie. Nullus aruſpex, nullus ſacerdos,nullus eorum, qui huic ritui aſſolent miniſtrare, ad limen alterius accedat; nec ob alteram cauſam,ſed huiuſmodi hominum amicitia, quamuis vetus,repellatur: concremando illo aruſpice,qui ad domũ alienam acceſſerit,& illo in inſulam deportando poſt ademptionem bonorum,qui eum aduocauerit ſuaſionibus & præmiis. Nolo plures leges pro hac re citare: quia hæ ſatis eſſe mihi videntur ad ſumendum ex illis exemplum. Si quis verò plures deſiderat, quamuis ad hominem Theologum non ſpectet tot leges citare,aliarum plurium legum ſola capita citabo, vt lectori plurimarum legum cupido, prout potuero,ſatisfaciam. Lex, Iudices, & l. Addictos. C. de epiſcopali audientia. l. j. C. Nemini licere ſignum ſaluatoris &c. l. finali. C. de Iudæis. l. Pergit. C. de ſepulchro violato. l. j. C. ad legem Iuliam de ambitu. l. Omnes cognito- D res, & l. Sancimus. C. ad legem Iuliam repetundarum. l. fi. C. de ſeditioſis. l. j. C. de famo. libel. l. fin. C. de his, qui latrones occultant. l. Si quis intra prouinciam. C. de bon. proſcriptorum. Deniq; vt legis miſtæ exẽpla lectori vndiq; præbeam,aliquas ex iure Hiſpano, præſertim regni Caſtellæ, leges in medium producere decreui. In lib. ij. regalium ordinationum, tit. xv. lex vij. præcipit cũctis iudicibus, vt nulla munera recipiant. Quicunq; autem per ſe aut per alium receperit aliquod quãlibet paruũ munus, ipſo facto amittat iudicis officiũ,& nunquã illud poſsit iterum habere: & reddat inſuper munus illud, quod acceperat, cum duplo pro camera regia. In eodem libro & titulo, lex vltima præcipit omnibus iudicibus & notariis, vt pro ſui laboris ſalario non exigant aut recipiant aliquid vltra id, quod per alias eiuſdem regni leges illis decretum eſt. Si quis verò contra fecerit, pro prima vice reddet id, quod vltrà accepit, & inſuper quadruplum; pro ſecunda reddat decuplum: pro tertia verò priuetur officio, & amplius non vtatur illo. Nec opus eſt plures in exemplum citare

leges

A leges,quia hæ ſufficiunt lectorem,quamlibet rudem, erudire. Omnes hæ leges tam diuinæ quàm humanæ,quas in hoc paragrapho citauimus, leges miſtæ dicuntur: quia in qualibet illarum ſub eadem verborum ſerie miſcentur aliqua,quæ ad mores hominum publicos ſpectant,& aliqua, quæ pœnam tranſgreſſoribus imponunt. Eſt igitur quælibet iſtarum legum ſimul moralis,& pœnalis. Nam quatenus de moribus diſſerit, moralis cenſetur: quatenus verò pœnam ſtatuit,dicitur pœnalis. Et hinc manifeſtè conuincitur,non ſolũ verbalem (vt Syluester ait) ſed verè realem eſſe diſtinctionẽ inter legem purè pœnalem,& legem miſtam de eadem re diſponentẽ. Nam lex purè pœnalis (vt ex dictis conſtat)nihil præcipit aut prohibet,ſed ſolùm decernit pœnam illi,qui aliquid fecerit, aut facere omiſerit. Lex verò miſta vtrunq; exequitur,quia præcipit aut prohibet: & pœnam inſuper contra tranſgreſſorem ſtatuit. His igitur omnibus ſic prænotatis, opus eſt iam,vt primam & præcipuam huius capitis concluſionẽ repetamus, & illam euidentibus argumentis comprobemus,quæ talis eſt.

Lex purè pœnalis, quatenus talis eſt,nunquã ex ſe obli-
B gat ad culpam mortalem,quãuis aliquando ratione grauitatis pœnæ innuat illum,cui pœna imponitur eſſe aliunde ad culpam obligatũ. Primam huius concluſionis partem probo:quia lex purè pœnalis nullũ in ſe continet verbum, per quod poſsit conſtare illã obligare ad culpam,ergo talis lex nullo modo obligat ad culpam. Conſequentia iſta eſt notiſsima: quia nulla lex poteſt aliquẽ ad culpã obligare, niſi illi adeò apertè oſtendat ſe velle illum obligare,vt ille clarè poſsit cognoſcere,ſe eſſe per illã obligatũ ad culpam. Nam ob hãc cauſam ſuprà capi.j.diximus eſſe neceſſariam cuiuslibet legis,quæ naturalis nõ eſt,publicationẽ: nec legem aliquam,præter naturalem, poſſe homines obligare ad culpam ante illius publicationem. Quoniam aliàs homo (vt illic diximus) obligaretur ad impoſsibile: quod nefas eſt dicere. Parum autem referret legem publicare,ſi talibus verbis publicaretur,quibus ipſa non poſſet intelligi,aut illius obligatio à nemine poſſet agnoſci. Nam ſi huiuſmodi verbis publicaretur lex,quantũ ad illius obligationem attinet,idem eſſet ac ſi non publicaretur.Quia publicatio ad hoc ſolùm eſt neceſſaria,vt homo ſciat id,quod

facere tenetur,& ſub qua obligatione id facere tenetur. Eſt C
ergo ſummè neceſſarium,vt lex,quæ hominem ad culpam obligare debet, aliquibus verbis ſuam manifeſtet obligationem. Quòd autē lex purè pœnalis nullum tale verbum in ſe contineat, apertiſsimè probatur per ea,quæ ſuperius capite quinto,documēto quarto diximus,vbi recenſuimus omnia verba,quibus lex aliqua poteſt oſtēdere,ſe obligare ſubditos ad culpam. Verba enim,quæ obligationē ad culpam inducunt,diximus eſſe iſta. Præcipio, mando, iubeo, prohibeo, inhibeo, interdico, veto, aut quæ iſtis æquipollent,prout ſunt hæc verba,teneantur, debeant,neceſſariò, neceſſe eſt,non poteſt,non licet:& ſi quæ ſunt fortè alia his ſimilia. Et ſi poſt verbū,ſtatuimus,aut ordinamus,aut aliud ſimile, adderetur aliquod horum verborum,in virtute ſanctæ obedientiæ,ſub interminatione gehennæ,apertè(vt diximus) oſtenderetur eſſe obligationem ad culpam mortalem. Conſtat autem in lege purè pœnali, nullum iſtorum verborum,quæ obligationē ad culpam oſtendunt,haberi, niſi fortè in ordine ad pœnam, quæ per legem ſtatuitur. Si enim in ordine ad pœnam talia verba ponerentur,denotarent obligationem ad pœnā per iudicem imponendam, D
aut per reum (vt aliàs dicetur) ſuſcipiendam, non tamen obligationem ad id faciendum vel omittendum, propter quod imponitur pœna. Vt,gratia exempli. Si lex ſub hoc verborum ordine condita ſit. Eum,qui noctu armis accinctus fuerit,illis ſpoliari præcipimus. Hæc lex (vt ex illius verbis apertè conſtat)iudicē ſolùm,ad quem pœnam illam infligere ſpectat, obligat, vt pœnam per legem expreſſam infligat, & non obligat reliquos,vt à portandis armis abſtineant. Quia illud verbum, præcipimus,non reſpicit armorum delationem, nec ad illam refertur: ſed ad ſolam pœnæ impoſitionem. Et de illa obligatione, quæ reſpicit pœnam, ego in mea principali concluſione non ſum loquutus: ſed de obligatione, quæ reſpicit id, propter quod pœna impoſita eſt. Et ad talem obligationem oſtendendam oporteret, vt verbum præcepti aut prohibitionis apponeretur circa id,propter quod imponitur pœna,prout fit in lege miſta, ſic dicente. Præcipimus,vt nullus noctu armis accinctus incedat,& ſi quis hoc modo incedens inuentus fuerit, armis ſpolietur. In tali enim verborum forma

verbum,

A verbum, præcepti, refertur ad armorum delationem, quod (vt diximus) non fit in lege purè pœnali. Et propter hanc cauſam ego in mea principali concluſione dicens, legem purè pœnalem non obligare ad culpam, addidi: quatenus talis eſt. Nam lex pœnalis, quæ imponit pœnam à iudice imponendam, dupliciter conſiderari poteſt, iuxta duas diuerſas perſonas, quas lex illa reſpicit, quæ ſunt, Iudex, & reus. Si ad reum talis lex referatur, dicetur purè pœnalis: quia reo pœnam infligendam eſſe ſtatuit, nihil prorſus illi præcipiens aut prohibens, & ita dicimus reum ex vi illius legis, quæ (vt diximus) dicitur purè pœnalis, nunquam eſſe obligatum ad culpam. Si verò ad iudicem, à quo eſt illa pœna infligenda, lex illa referatur, tunc lex illa erit moralis & præceptiua cenſenda. Quia iudici non imponit lex illam pœnam, quam aduerſus reum ſtatuit, ſed ſolummodo præcipit iudici, vt talem pœnam imponat reo. Poterit igitur talis lex purè pœnalis (vt alio capite infrà dicemus) obligare iudicem ad culpam, ſi non inflixerit reo illam pœnam, quam lex infligere præcipit. Poſſet etiam lex talis ſtatui, quæ præ-
B ciperet hanc aut illam eſſe reo infligendam pœnam, quam ſi iudex infligere neglexerit, eadem aut alia ſimilis imponatur iudici. Vt igitur totam hanc noſtram diſputationem ad breue compendium reducam, dico per hoc apertè conuinci legem purè pœnalem, quatenus talis eſt, non obligare ad culpam, quòd in tali lege purè pœnali nullum eſt verbum talem obligationem oſtendens. Sed fortè aliquis dicet: ſatis apertè oſtendi talem obligationem ad culpam, per hoc, quòd pœnã imponit: quia ſi culpa non eſſet, nunquam imponeretur pœna. Sed hanc reſponſionem eſſe falſiſsimam, & falſiſsimo illam inniti fundamento, apertiſsimè, Deo fauente, conuincam. Nunquam enim per vnum è duobus datur intelligi alterum, niſi illa duo ſint correlatiua, aut vnum eorum neceſſariò dependeat ab altero, & ſine illo conſiſtere nequeat. Relatiua, quia ſe mutuò reſpiciunt, ſemper ſe inuicem manifeſtant, & cognitio vnius continet cognitionem alterius. Id etiam, quod ab altero dependet, & non poteſt ſine illo ſubſiſtere, ſi factum eſſe dicatur, eo ipſo datur intelligi, eſſe etiam illud, à quo dependet, & ſine quo exiſtere non poſſet. Vt, gratia.

exempli,ſi quis dicat Petrum exiſtere alicubi, eo ipſo innuit illius corpus & animam illic eſſe, quia homo verus ſine corpore aut anima nullibi exiſtere poteſt. Si quis etiam (vt rebus naturalibus omiſsis de ciuilibus rebus exempla ſumamus) dicat Petrum aut Ioannem condidiſſe teſtamentum, eo ipſo dicit illum inſtituiſſe aliquem hæredem: quia ſine hæredis inſtitutione teſtamentum perfectum eſſe non poteſt, vt dicitur, Inſtituta, de legatis. §. Ante hæredis inſtitutionem. Qui diceret etiam Petrum rem alioqui non ſuam legitimè preſcripſiſſe, eo ipſo innuit illum toto tempore, quo rem illam vſq; ad præſcriptionem poſſedit, bona fide poſſediſſe. Quoniam legitima præſcriptio ſine bona fide haberi nō poteſt, vt decernitur in cap. vltimo, de præſcriptionibus, & in regula, Poſſeſſor, de regulis iuris, libro ſexto. Quando autem vnum ab altero non dependet, ſed abſq; illo optimè conſiſtere valet, nunquam per poſitionem illius datur intelligi reliquum. At, pœna (vt iuriſperiti de illa loquuntur, & nos etiam impreſentiarum loquimur) non neceſſariò dependet à culpa. Quoniam etſi pœna nunquam alicui imponatur ſine cauſa, frequenter tamen alicui imponitur ſine culpa ſua, & aliquando ſine aliena: vt clariſsimè conſtat de irregularitate, quam incurrit bigamus propter ſecundas nuptias, & quam incurrit iudex propter mortis ſententiam, quam iuſtè contra aliquem protulit. Cùm igitur pœna non dependeat à culpa, neque illam neceſſario exigat ad ſui conſiſtentiam, conuincitur inde apertè ex impoſitione pœnæ, minimè oſtendi obligationem culpæ: & inde vltrà ſequitur, legem purè pœnalem, quatenus talis eſt, nunquam obligare ad culpam. Præterea, nunquam lex aliqua poteſt obligare ad aliquid, præterquam ad illud, quod per verba illius explicatur: ſed lex purè pœnalis non exprimit apertè aliquid eſſe neceſſariò faciendum vel omittendum, ſed ſolùm exprimit pœnam contra eum, qui hoc aut illud fecerit vel omiſerit: ergo lex pœnalis non obligat ad aliquid faciendum vel omittendum: ex quo manifeſtè ſequitur illam, quatenus talis eſt, non obligare ad culpam. Alia ſunt adhuc ad probandum hanc concluſionem efficaciſsima argumenta, ſed illorum virtus & potentia clariùs patebit ex ſolutione cuiuſdam argumenti, quod Syluester ad ſuæ opinio-

A nis probationem facit. Nam Syluester in titulo, Inobedientia, irridens (vt dixi) hanc diſtinctionem legis pœnalis, quam ex mente Henrici eſſe docui, dicit vniuerſaliter omnem legem pœnalem quacunq; verborum forma ſtatuatur, hoc eſt, ſiue illa ſit purè pœnalis, ſiue miſta, ſemper obligare ad culpam. Ad quod probandum hoc vtitur argumento. Nullus apponit pœnam ſtatuto, niſi quia vult aliquid fieri vel omitti: ergo ſic volendo obligat ad aliquid faciendum vel omittendum: & inde ſequitur, vt is, qui contra talem obligationem facit vel omittit, peccet. Et certè (vt ingenuè loquar) ego vehementer admiror, quòd vir alioqui doctus, qualem cenſeo fuiſſe Syluestrum, propter tam debile argumentum motus ſit ad talem opinionem, & tam apertè falſam tenendam. Valde etiam miror, quòd Henricum à Gandauo per illud argumentum expugnare ſe dicat: cùm ipſe Henricus eodem argumento motus, idem ſentiat & doceat, quod Syluester. Nam etſi Henricus fateatur legem purè pœnalem ex forma verborum non obligare ad culpam, ex intentione tamen ipſius ſtatuentis dicit illam aliquando obligare ad B culpam, aliquando non. Quæ differentia (vt ille ait) oritur ex diuerſitate rerum, de quibus leges ipſæ diſponunt, & ex diuerſa intentione ipſius ſtatuentis, vt puta quia lex pœnalis ſtatuit pœnam propter rem ſimpliciter malam, aut propter rem indifferentem. Si lex ſtatuit pœnam propter rem ſimpliciter malam, quales ſunt leges, quæ pœnam decernunt contra adulteros aut latrones, dicit illam, quamuis ſit purè pœnalis, ex intentione legislatoris obligare ad culpam. Quia propter hoc dicit pœnam eſſe à legislatore ſtatutam, vt illud ſimpliciter & abſolutè malum nunquàm fiat: & per ſolam paſsionem talis pœnę dicit culpam illam non deleri. Si verò lex purè pœnalis decernit de re indifferẽti, quæ nec eſt ex ſe mala nec bona, prout eſt lex, quæ in aliquibus religionibus habetur, ſic dicens. Quicunq; poſt dictum completorium loquutus fuerit cũ quouis, dicet ſeptem pſalmos. In tali lege dicit aliam eſſe habendam conſideratione͂. Et vt clariùs illius mens & ſententia intelligatur, verbíſq; meis plenior præſtetur fides, volo illius verba citare, quibus ſuam exprimit mentem, ſic inquiens. In tali ſtatuto pœnali, eò quòd eſt ſuper indifferẽti,

Syluester · *Henricus Gandauẽ.*

intentio ſtatuentis ſi rationabilis ſit,debet eſſe,non vt non loquatur aliquis omnino poſt completorium: quia hoc in caſu aliquo poſſet vergere in magnũ damnum aut incommodum. Et etiam debet eſſe intẽtio eius,non ſolùm vt non loquatur in caſu magnæ neceſsitatis, de quo iam dictum eſt: ſed quòd non loquatur in multis caſibus inferioribus:ſcilicet ne paſsim & temerariè,aut ex leui cauſa loquatur tunc. Sed ſi rationabilis cauſa loquendi occurrat etiam citra dictam magnam neceſsitatem, quòd tunc,ſi loquatur,hoc ſit ſub pœna appoſita: quæ apponitur in tali caſu, vt cogat eum ponderare,an cauſa,propter quam ei videtur loquendum, ſit rationabilis. Hoc enim conuincitur ex qualitate & quantite pœnæ, per hoc quòd iuxta regulam rationis rectam ponderantis,mauult huiuſmodi pœnã ſubire,quàm loqui ex tali cauſa poſtponere. Dico ergo, quòd ſi loquamur de huiuſmodi ſtatuto pœnali, referendo ipſum ad intentionem ſtatuentis, quod obligat tranſgreſſorem ex rationabili & probabili cauſa ſolummodo ad pœnam,& nullo modo ad culpam: imò cùm talis cauſa occurrit, potius meretur quàm demeretur,ſi loquatur,& pœnam legitimè perſoluat, quam & ſi in hoc caſu ſuſtinet ſine culpa, non tamen ſine cauſa. Tranſgreſſorem verò paſsim & temerariè ſine cauſa rationabili,æſtimo quòd non ſolũ obligat ad pœnã, ſed ad culpam. Quia ſtatutum ex intentione ſtatuẽtis rationabiliter implicat,ne temerariè quis loquatur omnino, & ſub hac pœna: ſed tunc ſolummodo cùm rationabilis cauſa occurrit,vt dictum eſt. Et ſic tranſgreſſor temerarius talis ſtatuti pœnalis nõ poteſt ipſum tranſgredi abſq; omni culpa,ſoluẽdo pœnam. Et ſimile eſt de ſtatutis principum & prælatorum in conſimili materia. Hactenus Henricus,cuius verba,nec vno mutato,tam prolixè citaui, vt ex illis clariſsimè omnibus conſtet,opinionem Henrici eſſe,omnem legem pœnalem, quacunq; verborum forma ſtatuatur,ſemper ex intentione ſtatuentis obligare ad culpam,niſi quando eſt de re indifferenti,& rationabilis cauſa tranſgreſsionis occurrit. Quo caſu non dubito etiam Syluestrum idem dicturũ. Quia iuxta doctrinam ſancti Thomæ,quem ille imitatur ac tuetur, vbi rationabilis cauſa, quę eſt moralis neceſsitas,occurrit,ſi ſuperior,penes quem eſt diſpenſandi poteſtas, conueniri non poteſt, tunc ipſe

C

D

ſubdit

A ſubditus poteſt ſecum diſpenſare, vt contra legem agat. Quibus omnibus plenè circunſpectis, conſtat nullum eſſe inter Syluestrum & Henricum diſcrimen, ſed de hac re prorſus inter illos conuenire. Deinde, argumentum, quod pro ſe adducit Sylueſter, illud etiam facit Henricus, vt probet omnem legem pœnalem obligare ad culpam, ſic inquiens. In omni ſtatuto pœnali, principalis intentio ſtatuentis non attendit ad pœnam: hoc enim tyrannidis eſſet & crudelitatis, ſed attendit ad alicuius operis, virtutis, & legalis conſuetudinis obſeruantiam, ad quam, vt legi ſubiectos fortiùs aſtringat, ne per inobedientiam tranſgrediantur, pœnam adiungit. Quare tranſgredi opus virtutis vel legis obſeruantiam, quam in ſtatuto quocunq; pœnali legiſlator principaliter intendit, cui pœnam ipſam ſecundaria intentione annectit, non poteſt eſſe quin ſit culpabile, ſi contra legiſlatoris intentionem tranſgrediatur. Dicendum eſt igitur abſolutè, quòd non eſt aliquod ſtatutum pœnale, quin etiam tranſgreſſores obliget aliquo modo ad culpam. Hæc omnia Henricus. Quæ verba ſi lector diligenter aduertat, facilè intelliget Henricum &
B Syluestrum eſſe in eadē ſententia concordes, & Henricum eodem argumento motum eſſe, ad opinandum omnem legem pœnalē ex intentione ſtatuentis obligare ad culpam, quod pro ſe adducit Sylueſter contra Henricum, putans illum longè aliter ſenſiſſe quàm ſenſit. Propter quod ego vehementer ſuſpicor, Syluestrum non legiſſe ipſum Henricum, ſed ſolùm quoſdam illius centones, quos in Summa Angelica citatos inuenit. Vt tamen rem hanc legitimè ille tractaſſet, debuiſſet priùs Henrici literam legere, & bene illius ſenſum perſcrutari, qui ſi illi ob aliquam iuſtam cauſam diſplicuiſſet, meritò ab illo diſcedere potuiſſet, ſed cum modeſtia & Chriſtiana vrbanitate, qualem decet virum Theologum, præſertim monachum, & tam ſancti ac tam modeſti patris, qualis fuit ſanctus Dominicus, imitatorem. Sed hæc miſſa faciamus, & ad ſolutionem argumenti, quod pro ſua opinione Henricus & Sylueſter adducunt, noſtram orationem reuocemus, oſtendentes quàm debili fundamento illi innitantur. Fateor quidem, quod illi obiiciunt, quamuis illud (vt mox dicemus) non ſemper ſit verum, in omni lege pœnali primam & præcipuam legisla

legiſlatoris intentionem eſſe, vt fiat vel omittatur id, pro- C
pter quod imponitur pœna, non tamen inde neceſſariò ſequitur eos, qui tali legi ſubduntur, eſſe obligatos ad culpam, ſi faciant vel deſerant id, propter quod imponitur pœna. Quoniam qui intendit aliquid ab aliis fieri vel omitti, non ſemper eo ipſo vult illos ad id faciendum vel omittendum obligare, etiam ſi ille talis ſit, qui illos obligare poſſet. Frequenter enim contingit, vt is, qui poteſtatem obligandi habet, velit aliquid ab aliis fieri, & ſuam illis manifeſtet voluntatem, nec tamen per hoc illos obligare intendat. Et hoc non ſolùm in hominibus, ſed etiam in ipſo Deo frequenter experimur. Manifeſtat ſiquidem nobis Deus voluntatem ſuam per conſilia, quibus apertè declarat ſe velle, vt faciamus id, quod nobis conſulit, non tamen ſic volendo, intendit nos obligare ad id, quod conſulit. Conſulendo igitur quamuis intendat vt faciamus id, quod conſulit, non tamen hac intentione ad id nos obligat. Et idem prorſus dicendum eſt de aliis hominum prælatorum conſiliis. Præterea, ſicut legiſlator per legem obligantem ad culpam oſtendit ſe velle vt fiat vel deſeratur id, quod lex præcipit aut prohibet: ita ſine obli- D
gatione culpæ, ſed per ſolum pœnæ timorem poteſt ſibi ſubiectos inducere ad faciendum vel omittendum id, propter quod imponitur pœna. Tales leges diximus eſſe omnes, quæ continentur in ſtatutis fratrum minorum, & in ſtatutis fratrum prædicatorum, quæ non obligant ad culpam, quamuis per illas intendatur, vt fiat vel omittatur id, quod per illas ſtatuitur. Non eſt ergo neceſſariò conſequens, vt legiſlator, qui legem ferens intendit, vt aliquid fiat vel omittatur, eo ipſo intendat obligare ad illud. Fortè aliquis reſpondebit & dicet, ideo hoc in illis fratrum ſtatutis contigiſſe, quia ipſi ſtatuto ſuo hoc expreſſerunt, ſe nolle per ſtatuta illa fratrum conſcientias ad aliquam culpam obligare: & ſi hoc non præmonuiſſent, non fuiſſet dubium, quin talia ſtatuta obligaſſent ad culpam. Sed hæc reſponſio facilè conuincitur per hoc, quod in prima regula ſororum ſanctæ Claræ à beato Franciſco edita, & per Innocentium quartum huius nominis pontificem confirmata, multæ leges continentur, quæ etſi per eas intenderit ſummus pontifex, vt ea fierent vel omitterentur,

A rentur, quæ ipſe in illis ſtatuit, non tamen obligant ſorores ad culpam, prout Eugenius quartus poſtea declarauit, quamuis beatus Fráciſcus regulam illam ſtatuens, aut Innocentius Papa illam confirmans, nihil tale expreſsit, quale fratres minores aut prædicatores in ſuis ſtatutis fecerũt. Ex quo apertè conuincitur, vt legiſlator, qui legem ſtatuens intendit aliquid à ſuis ſubditis fieri vel omitti, non eo ipſo intendat eos ad id faciendum vel omittendum obligare. Fortè quis dicet Eugenium, eò quòd parem habuerit poteſtatem, reuocaſſe tantam præceptorum multitudinem, quanta in illa prima regula continebatur, alioqui ſi id non feciſſet, illa omnia obligaſſent. Hoc tamen apertè conuincitur eſſe falſum, ex eo quòd Eugenius non dixit ſe reuocare regulam illam per Innocentium confirmatam, aut ſe diſpenſare in illa: ſed ſolùm dicit ſe declarare regulam illam, ſic inquiens. Authoritate & tenore pręſentium declaramus, & volumus quòd in nullius prædictorum tranſgreſsione, præterquam eorum quatuor, quæ concernunt principalia vota, obedientiæ ſcilicet, paupertatis, caſtitatis, & clauſuræ, & ſuper electione ab- *Eugenius quartus.*
B batiſſæ, & depoſitione, peccatum mortale incurrant. Hæc Eugenius papa. Deinde, licet fratres minores aut prædicatores in ſuis ſtatutis præmonuerint ſe nolle per illa ſtatuta fratres ad aliquam culpam obligare, ex illa tamen monitione hoc apertè colligitur, legiſlatorem poſſe, quum voluerit, legem ſtatuere, per quam ſine aliqua culpæ obligatione intendat aliquid à ſuis ſubditis fieri vel omitti. Et inde apertiſsimè deducitur non eſſe neceſſariò conſequens, vt quoties legislator intendit aliquid à ſuis fieri, toties intendat eos ad illud obligare. Mala eſt igitur conſequentia illius argumentationis, qua Henricus & Sylueſter nituntur probare, omnem legem pœnalem obligare ad culpam, ſic arguentes. Legislator talem legem ſtatuens intendit vt fiat vel omittatur id, propter quod pœnam imponit: ergo obligat ad illud. Quàm mala ſit hæc conſequẽtia, prudens lector ex his, quæ diximus, facilè agnoſcet. Sed neque illius conſequentiæ antecedens eſt vſquequaque verum: quia (vt ſtatim oſtendam) non ſemper in omni lege pœnali legiſlator intendit, vt fiat vel omittatur id, propter quod imponitur pœna: ſed propter alium iuſtum finem. Hoc enim

enim conſtat eſſe verum in omni lege pœnali, quæ ſta- C
tuit pœnam alicui ſine ſua culpa, non tamen ſine iuſta cauſa infligi. Nam leges pœnales, quæ filiis hæreticorum pœnas imponunt, non intendunt, vt fiat aut omittatur omne illud, propter quod tales pœnæ imponuntur. Quia tales pœnæ ideo illis imponuntur, quia filij hæreticorum ſunt, lex autem non intendit, vt illi faciant ſe non eſſe hæreticorum filios: quia hoc eſt illis impoſsibile. Fortè aliquis dicet, legiſlatorem per tales leges intendere, vt homines ab hæreſibus caueant, ne ſuos filios tam grauibus pœnis puniri videant. Ab hæreſi autem cauere quilibet poteſt cum Dei adiutorio, quod ipſe cuilibet bene credere volenti, ſemper paratus eſt dare. Fateor legislatorem hoc ipſum intendere, ſed propter hæreſim vnius nunquam alteri catholico pœnam irrogaret, niſi ille catholicus res eſſet, quæ quodammodo ad hæreticum pertineret. Propter hoc igitur ſolum punitur catholicus, quia eſt hæretici filius: quoniam etſi quiuis alius homo hæreticus fiat, iſte catholicus non ideo puniretur, ſi illius filius non eſſet. Et licet ob hoc ſolum filio catholico lex irroget pœnam, quia filius hæretici eſt: non tamen intendit, vt ille filius D
id omittat, propter quod pœna ſibi impoſita eſt: quia in ſua poteſtate ſitum non eſt, vt deſinat eſſe hæretici filius. Et eodem modo poteſt argui de filio illegitimo, qui ſine culpa ſua, non tamen ſine cauſa, hanc ſuſtinet pœnam, vt non poſsit ſacrum altaris miniſterium exercere. Conſtat autem, quòd lex hanc pœnam illi imponens, non intendit per illam auocare illum, aut remouere ab illegitimatione, quam à ſe expellere non poteſt. Quòd ſi iſta exempla, quamuis manifeſtiſsima, alicui non placent, profero alia multò apertiora, quæ noſtram ſententiam tam manifeſtè probant, vt nullam hoſti, qua elabi poſsit, rimulam relinquant. Lex, quæ imponit irregularitatis pœnam illi, qui ſecundas celebrauit nuptias, non intendit quòd fiat aut omittatur id, propter quod talem imponit pœnam. Nam ſi id intenderet, eo ipſo, iuxta Henrici & Sylueſtri ſententiam, obligare videretur homines, vt ſecundas nuptias non contraherent. Et inde vltrà ſequeretur eos omnes peccare, qui ſecundas fecerint nuptias: quod eſt apertè erroneum, & eſt hæreſis Cathphrygarum, & Nouatianorum.

Lex

A Lex etiam, quæ pœnam irregularitatis infligit iudici,danti contra aliquem iuſtam mortis ſententiam,non intendit per talem pœnam reuocare illum à talis ſententiæ prolatione: quamuis illa ſit, propter quam lex talem illi irrogat pœnam. Nam ſic intendens videretur tollere à iudicibus eam occidendi poteſtatem, quam Chriſtus ſaluator noſter illis tribuit, dicens. Omnis qui occiderit gladio, gladio peribit. *Mat.26.* Falſum eſt igitur, legislatorem ſemper in omni lege pœnali intendere, vt fiat vel omittatur id, propter quod eſt impoſita pœna. Nec propterea ſequitur (vt Henricus ait) talem legem purè pœnalem eſſe tyrannidem dicendam.Quia etſi non præceſsit culpa,ſatis eſt præcedere cauſam, vt propter illam iuſtè poſsit pœna imponi. Nam ſæpe contingit, vt aliquis ſine culpa ſua careat aliquibus, quæ ſunt neceſſaria ad aliquod officium bene exercendum: & ob hanc cauſam iuſtè, quamuis ſine culpa ſua,hæc illi infligitur pœna, vt tale officium aſſumere,aut aſſumptum exercere non valeat.De qua re nolo quidquam impræſentiarum diſſerere:quia de illa ſatis abundè me dixiſſe memini libro ſecundo de iuſta hæreticorum punitio-

B ne capite vndecimo. Sed adhuc contra hanc noſtram ſententiam poſſet aliquis argumentari, ſic dicens. Si lex purè pœnalis, quatenus talis eſt, non obligat ad culpam: ergo non eſt dicenda lex. Nam (vt capite primo huius operis diximus) non eſt lex dicenda, ſed conſilium, aut aliquid aliud ſimile, quæ ſubditos non conſtringit aut obligat ad id,quod per legem decretũ eſt.Sed huic argumento facilis patet reſponſio ex his,quæ ſuperiùs in hoc capite diximus. Si lex pœnalis ſtatuit pœnam à iudice inferendam, iudici præcipit, vt illam pœnã reo infligat,& ſic illum (vt poſtea alio capite dicemus) ipſum iudicem obligat ad talem pœnam inferendam.Si verò lex pœnalis ſtatuit pœnã ipſo iure latam, tunc (vt infrà, Deo duce,apertè oſtendam) obligat ipſum reum ad illam pœnã ſuſtinendam. *Lib.2. cap.11.* Et propter hanc cauſam ego in cõcluſione,quam in principio huius capituli poſui,nõ dixi abſolutè legem pœnalem ad nullam culpam obligare,ſed contractiùs loquutus ſum, ſententiam meam reſtringẽs ad ſolam illam culpam,quæ incurri poſſet, propterea quod id fuiſſet factum vel omiſſum, propter quod eſt impoſita pœna.Poteſt igitur lex purè pœnalis obligare

iudic

iudicem ad pœnam inferendam vel reum ad ſuſtinendam: C neutrum tamen obligare poteſt ad faciendum vel omittendum id, propter quod imponitur pœna. Et certè ex defectu huius conſiderationis fuit deceptus Syluester, citans pro ſe beatum Thomam, dicentem omnes leges humanas iuſtas obligare ſubditorum conſcientias. Fateor quidem cum beato Thoma, leges humanas obligare ad culpam, non tamen vltra id, quod leges decernunt. At, lex purè pœnalis de nulla re diſponit, niſi de pœna: ergo licet obliget ad culpam, talis obligatio non erit niſi ad pœnam inferendam. Et certè Caietanus, qui multò melius (vt ego cenſeo) nouit mentem beati Thomæ quàm Syluester, huic meæ ſententiæ fauet, prout ex verbis illius infra per me citandis clarè conſtare poterit.

Pars ſecunda cõclusionis principalis.

Reſtat vt ſecundam noſtræ primæ & præcipuæ concluſionis partem declaremus, & probemus: & illa declarata & ſufficienter probata, inde adhuc prioris partis veritas clarius innoteſcet. Secunda pars noſtræ primæ concluſionis, dicit homines aliquando eſſe obligatos ad culpam & peccare, propterea quòd faciunt vel omittunt id, propter quod eſt impoſita pœna: ſed hæc obligatio non inducitur virtute D legis purè pœnalis, ſed virtute alterius legis moralis ſeorſum datæ, quæ id præcipit aut prohibet. Contingit enim ſæpe, vt legislator primò per particularem aliquam legem præcipiat aut prohibeat aliquid fieri: poſtea videns legem ſuam ſæpe & paſsim præteriri, ſtatuit legem purè pœnalem, per quam decernit pœnam contra legis tranſgreſſores, vt pœnæ timore illos cogat ad legis obſeruationem. Eo caſu, hi qui legi ſubduntur, obligantur ad culpam, non tamen habent hanc obligationem à lege merè pœnali, ſed à lege morali. Si quis igitur tunc poſt pœnalem legem datam contra legem ageret, peccaret: non tamen ideo quòd tranſgreſſus eſt legem purè pœnalem: ſed quia fecit contra legem moralem. De qua re volo ex omni iure aliqua exempla proferre, vt res ipſa exemplorum multitudine fiat notior. In Leuitici capite decimo octauo multæ habentur leges, quas Deus olim per Moyſen dedit, quibus multa prohibuit, nullam prorſus tranſgreſſoribus illarum legum apponẽs pœnam. Poſtea eiuſdem libri capite vigeſimo, præuidens Deus futuros eſſe multos, qui prædi-

ctas

A ctas leges non obſeruarent, vt timore pœnæ homines ad illarum obſeruationem vrgeret, ſtatuit leges purè pœnales contra eos,qui leges illas morales prius datas tranſgrederentur.In c.xviij.dicit lex diuina. Turpitudinem vxoris *Leuit.* 18 patris tui non diſcooperies.Turpitudinẽ ſororis tuę ex patre ſiue ex matre,quæ domi vel foris genita eſt, non reuelabis.Et aliæ multæ conſimiles leges in eodem capite continentur:quibus tot aliæ leges purè pœnales correſpõdent, cap.xx.eiuſdem libri:ita vt ſingulæ cuique legi morali,quę habetur in capite decimo octauo, correſpondeat alia lex purè pœnalis,que ſpecialiter pro tranſgreſsione illius tantum legis pœnam imponit. Nam lex purè pœnalis, quæ correſpondet illi primæ nunc proximè citatæ, habetur capite vigeſimo,ſic dicens.Qui dormierit cum nouerca ſua, & reuelauerit ignominiam patris ſui,morte moriatur. Et *Leuit.* 20 ad hunc modũ ſunt plures aliæ leges in illo capitulo, quæ pœnam imponunt his, qui tranſgreſsi fuerint illas leges morales,quæ datæ fuerãt in capite decimo octauo. Si quis igitur contra aliquam illarum legũ feciſſet, peccaret quidem,& eſſet obligatus ad culpam: hanc tamen obligatio-
B nem non habebat à lege purè pœnali: ſed à ſola lege morali,quam fuiſſet tranſgreſſus. Et certè ex hoc legis diuinę exemplo ſumitur argumentum meo iudicio efficaciſsimum,ad probandum legem purè pœnalem non obligare ad culpam.Nam ſi illa ad culpam obligaret, ſufficiebant illæ leges pœnales,quæ dantur in capite xx. & ita ſuperfluebant omnes aliæ,quæ datæ fuerant cap.xviij. Non eſt autem rationi conſonum, vt tantam dicamus eſſe in lege diuina verborum ſuperfluitatem,vt quæ ſemel dicta ſunt, iterum ſubitò, modica litera interiecta, repetantur. Ne igitur inanem illam verborum repetitionem in lege diuina admittamus,cogimur dicere priores illas leges,quæ habentur in capite decimo octauo, eſſe purè morales, obligãtes ſolùm ad culpam,& poſteriores illas,quæ de eiſdem rebus in cap.xx.decernunt,eſſe purè pœnales, obligantes ad ſolam pœnam,& non ad culpam. Hoc idem contingit in omni lege humana purè pœnali,quæ imponit pœnam pro tranſgreſsione alicuius præcepti diuini,vt eſt in cap.j. de clericis pugnantibus in duello,& in cap. De cætero, de homicidio voluntario. Nam ſi quis clericus in duello pu-

gnauerit, peccabit, quia agit contra præceptum diuinum, C & non quia agit contra illud cap.j.de clericis pugnantibus in duello. Quia textus ille, cùm nullum contineat præcepti aut prohibitionis verbum, ſed ſolam pœnam imponat, non obligat ad culpam. Et idem dicendum eſt de diacono, qui cauſam homicidio dedit: quia ille eo ipſo manſit ligatus in culpa: non tamen virtute illius cap. De cætero. quod cōſtat eſſe purè pœnale, ſed virtute præcepti diuini, quod ait. Non occides. Idem dicendum eſt per omnia de latronibus, veneſariis, incendiariis, & aliis, qui puniri iubētur in l. Capitalium. ff. de pœnis. Si quis aliquod iſtorum criminum commiſerit, non eſt dubium, illum eſſe ligatum in culpa, ſed hoc erit virtute legis diuinæ, quæ omnia talia crimina fieri prohibet, non tamen virtute illius legis, Capitalium: quia cùm illa (vt conſtat) ſit merè pœnalis, non obligat ad culpam ex tranſgreſsione illius propter quòd pœnam imponit. Et ne aliquis putet me eſſe ſingularem in hac ſentētia, & nullum habere doctorem qui huic meæ ſentētiæ faueat, profero Caietanum, qui in commentariis ſuper ſecundam ſecundæ ſancti Thomæ q.187. articu.5. tractans de peccato illorum qui ex ſola cupiditate mendicant, & ſciens legem D purè pœnalem eſſe contra illos latam, quæ habetur lib.ij. Codicis, titulo de mendicantibus validis, tandem per hæc verba reſpondet. Dico quòd mēdicans ex cupiditate ocioſi victus ex quo in veritate eſt pauper, nullam fraudem committit in proximum, ſed ſolùm peccat in ſeipſum, ocioſam vitam & abiectam abſque vlla rationabili cauſa eligens: & propterea nulla eſt hic ratio peccati mortalis. Neque etiam propter pœnam legis ciuilis: quia huiuſmodi pœna non facit, ſed ſuppoſitam punit culpam, quæ de ſe non eſt mortalis. Hæc Caietanus. In quibus verbis id potiſsimum annotare oportet, quòd dixit legem illam ciuilem non facere culpam, hoc eſt, non obligare ad illam, ſed ſuppoſitam culpam punire. Quæ licet de ſe non ſit mortalis, quia tamen talis ocioſitas ſæpe multorum mortalium peccatorum eſt cauſa, ideo tam grauiter per illam legem punitur, ac ſi ipſa eſſet peccatum mortale. Nam lex illa pœnam ſeruitutis imponit valido mendicanti, decernens vt is qui talem mendicantem validum

Caietanus.

Nauar. en M... cap. 23. n. 55. ... leſ...

prodi

A prodiderit, dominium illius conſequatur. Hanc tamen legem dicit Caietanus non obligare ad culpam. Quod non ob aliam cauſam ille dixit, niſi quia lex illa merè pœnalis eſt, nihil præcipiens aut prohibens, ſed ſolam imponens pœnam. Ex his omnibus iam apertè conſtat verum eſſe id, quod in ſecunda parte noſtræ primæ concluſionis diximus, hominem eſſe obligatum aliquando ad culpam, quia facit vel omittit id propter quod lex purè pœnalis imponit pœnam, quanuis talis obligatio nõ oriatur à lege purè pœnali, ſed à lege alia morali. Hanc autem obligationem ad culpam quę ex alia lege morali oritur, aliquando ipſa lex merè pœnalis ex grauitate pœnæ quã imponit, apertè dat intelligere. Nam (vt capit. v. ſuperius diximus) aliquæ ſunt pœnæ tam graues, vt non niſi pro peccato mortali iuſtè poſsint infligi, vt ſunt, mors, mẽbri alicuius abſciſsio, ſeruitus, perpetuus carcer, aut perpetuum exilium, excommunicatio. Quando igitur lex purè pœnalis aliquam iſtarum pœnarum imponit, eo ipſo innuit, per aliam legem aut diuinam aut humanam eſſe præceptum aut prohibitum id propter quod eſt impoſita pœna tam grauis. Quoniam

B cùm illa non niſi pro culpa graui poſsit imponi, & ad illam lex purè pœnalis (vt hactenus diximus) non poſsit obligare, conſequens eſt, vt alia ſit lex moralis obligans illius tranſgreſſorem ad culpam, propter quam lex illa merè pœnalis tam grauem pœnam imponit. Et propter hanc cauſam etſi aliquando contingat, vt propter aliquam iuſtam cauſam alicui ſine culpa ſua imponatur pœna, nunquam tamen hoc lex permittit, vt pœna aliqua grauis, quales ſunt illæ nunc proximè numeratæ quantumlibet magna cauſa accedat, imponatur alicui ſine culpa ſua. *Deu. 24.*
Nam Deus iuſtiſsimus qui parentum peccata in tertiam & quartam generationem viſitat, præcipit vt patres non occidantur pro filiis, neque filij pro patribus, ſed vt vnuſquiſque pro peccato ſuo moriatur. Quæ lex (vt beatus Thomas & Alexander de Hales docent) non de ſola morte, ſed etiam de flagellis, & vulneribus, & aliis corporis cruciatibus eſt intelligenda, ita vt etiam intelligant iudices non licere ſibi vnum pro peccato alterius flagellare, aut vulnerare, aut alio quouis corporis cruciatu torquere. Et meritò quidẽ hi theologi illuſtres

Tho. 22. q. 118. ar. 3.
Alexan. de Hales p. 3. q. 41. memb. 4. arti. 1.

ſenſerunt talem diuinam legem ſic eſſe interpretandã: quo C
niam ſicut per præceptum illud: Non occides, non ſolùm prohibetur mors, ſed quælibet alia corporis percuſsio: ita etiam oportet, vt per præceptum illud: Non occidentur patres pro filiis, aut filij pro patribus, intelligant iudices flagellationes, aut quemlibet alium corporis cruciatũ eſſe illis interdictum. Huiuſmodi enim pœnæ, quæ non niſi pro culpa poſſunt infligi, nunquam ſunt alicui pro aliena culpa infligendæ. Quod perpendens & optimè conſiderans beatus Auguſtinus epiſtola 75. dicit neminem poſſe pro peccato alterius excommunicari, & reprehẽdit Aprigium quendam epiſcopum, qui propter cuiuſdam patrisfamilias peccatum totam illius domum excommunicauerat. Et idem dicit de omnibus ſpiritualibus pœnis, quòd nulla illarum ſit propter alterius peccatum alicui infligenda. Et ob hanc cauſam dico legem purè pœnalem quæ talem pœnam ſtatuit, eo ipſo innuere, id propter quòd talem pœnam imponit eſſe per aliam legem diuinam aut humanam ſit præceptum vel prohibitum, vt eius tranſgreſsio culpam inducat mortalẽ. Si lex pœnalis quę talem pœnã imponit eſt miſta, ita vt primo ſtatuat aliquid fieri vel omitti, & poſtea pœnã D
adiiciat, per talis pœnæ impoſitionem (vt capite v. ſuperius diximus) indicat id quod per talem legem ſtatutũ eſt, obligare ad culpam mortalem. Si verò lex illa eſt purè pœnalis, indicat aliam fuiſſe priorẽ legem moralem diuinam vel humanam obligantem *ad culpam* mortalem, ſi id propter quod pœnam imponit, fiat vel omittatur. Et huic ſententiæ conſonat id, quod *Caietanus* in verbis ſuprà citatis dixit, legem illam pœnalem ſuppoſitã punire culpam. Supponere culpam dixit, pro innuere, aut indicare culpam præceſsiſſe propter quam lex talem imponit pœnam. Et certè in lege diuina olim per Moyſen data hoc facilè cognoſcetur: quia nunquam in ea reperietur aliqua lex purè pœnalis imponens pœnam quæ ſoli peccato mortali debetur, niſi propter id, quod fuerat per aliam legem moralem diuinam præceptum vel prohibitum. Et credo firmiter hoc etiam contingere in iure canonico & ciuili, ita vt in nullo eorum reperiatur aliqua lex purè pœnalis quæ imponat pœnam grauem indicantem culpam mortalem, niſi prius præceſſerit aliqua lex diuina vel humana præcipiens

aut

A prohibens id propter quod talis imponitur pœna. Quæ res ſi bene conſideretur, apertè meo iudicio declarat legem purè pœnalem, quatenus talis eſt, nunquam obligare ad id, propter quod pœnam imponit. Nam ſi illa ex ſe ſola ad hoc obligaret, aliquando contigiſſet legem purè pœnalem dare abſq; hoc quod præceſſerit lex moralis diuina aut humana quæ præcipiat aut prohibeat id, propter quod imponitur pœna. Cùm autem hoc nunquam contigerit, manifeſtum eſt argumentum legem purè pœnalem, quatenus talis eſt, nunquam ſe ſola poſſe obligare ad culpam. Et ſi fortè aliqua talis oſtendatur purè pœnalis lex quæ pœnā mortis imponat propter id, quod nulla alia lege fuerat antè prohibitum, dicam illum legiſlatorem non bene ſuam manifeſtaſſe intentionem, talem legem ſtatuendo.

Quòd lex purè pœnalis nō tollit obligationem ad culpam, quæ per priorem legem moralem fuerat impoſita.

B

CAP. X.

MVLTIS & apertis (vt ego exiſtimo) rationibus in præcedēti capitulo probaui nullam legē purè pœnalem, quatenus talis eſt, obligare ad culpam ſi fiat vel omittatur id, propter quod pœnam imponit. Et ne ex hac ſententia aliquis rem parum aduertens colligeret, nunquam poſſe eſſe culpam vbi eſſet lex purè pœnalis, addidi in ſecunda parte illius capituli legem purè pœnalem, quanuis ipſa ad culpam non obliget, indicare tamen aliquando culpæ obligationem, quæ per aliam priorem legem ſiue diuinam ſiue humanam impoſita fuerat. Sed quia per hæc omnia tam perplexæ & ſcrupuloſæ quæſtioni non plenè me ſatisfeciſſe intelligo, ideo vt omnem, qui de legis purè pœnalis obligatione ad culpam oriri poſſet, ſcrupulum tollam, plura adhuc addere decreui, per quæ clarius innoteſcet quàm modica ſit, vel (vt verius dicam) nulla legis pu-

rè pœnalis ad culpæ obligationem poteſtas. Pro cuius rei C
plana declaratione hanc pono concluſionem.

Lex purè pœnalis, quatenus talis eſt, ſicut non imponit culpæ obligationem, ita nec tollit obligationem priorem, quæ per aliam legem moralem diuinam aut humanam impoſita fuerat, niſi fortè ipſe legislator plenam ad hoc poteſtatem habens per legem ſuam pœnalem declaret ſe tollere priorem. Ad huius autem concluſionis pleniorem declarationem & probationem oportet prius annotare duplicem eſſe legem moralem, & duplicem etiam eſſe legem purè pœnalem, & oportet etiam leges purè pœnales cum legibus moralibus conferre. Omnis lex moralis aut diuina eſt, aut humana. Lex etiam purè pœnalis quædam eſt diuina, & quædam humana. Nec opus eſt pro hac re exempla citare, quia illa ſunt omnibus notiſsima. Legem diuinam purè pœnalem non eſt opus in hac parte conferre cum lege morali humana: quia nunquam hactenus Deus condidit legem aliquam purè pœnalem, quæ particularem aliquam pœnam temporalem exprimeret, contra eos qui ſpecialem aliquam
Mat. 23. legem moralem humanam tranſgrederentur. Scio enim D
Deum præcepiſſe omnibus inferioribus, vt ſuperioribus ſuis obedirent, quum dixit illis, vt facerent omnia quæ dixiſſent hi qui in cathedra ſedent: non tamen minatus eſt pœnam his qui illorum mandata præteriiſſent. Præterea, dicens Apoſtolis: Qui vos audit, me audit: & qui
Luc. 10. vos ſpernit, me ſpernit, ſolùm indicauit qua obligatione tenerentur homines obedire illis: non tamen expreſsit vllam pœnam temporalem contra illos qui Apoſtolorum aut illorum ſucceſſorum præcepta non ſeruaſſent. Fortè quis mihi obiiciet id, quod alibi eiſdem Apoſtolis Salua-
Mat. 10. tor dixit. Quicunq; non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris. Amen dico vobis, tollerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati. Fateor quidem per hæc verba ſaluatorem noſtrum oſtendiſſe gehennæ pœnam & quidem acerbam eſſe infligendam illis qui Apoſtolorum ſermones non audiſſent: vt peccatum illorum hac via declararet eſſe mortale & graue: non tamen expreſsit

vllam

A vllam pœnam temporálem, quæ eſſet in hac vita illis imponenda. Deinde, & ſi concedamus ſatis eſſe pœnam inferni per legem minari, vt lex illa ſit cenſenda pœnalis, nihil tamen illud Saluatoris dictum obſtaret noſtræ ſententiæ. Quoniam illa Saluatoris verba de omni Apoſtolorum præcepto, & non de aliquo ſpeciali illorum mandato loquuntur. Non enim propter vnum aut alterum ſpeciale Apoſtolorum mandatum, ſed propter omnia in vniuerſum illorum mandata, quæ de fide aut neceſſariis moribus dediſſent, talem minatus eſt pœnam. Et idem prorſus accidit in ea lege pœnali, quam Deus olim per Moyſen dedit contra eos qui ſacerdotis imperio obtemperare noluiſſent, quæ in hunc modum loquitur. Qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, *Deut.17.* qui eo tempore miniſtrat domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël: cunctúſque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. Hæc diuina lex ad hunc finem (vt ex illius verbis apertiſsimè conſtat) data eſt, vt metu pœnæ homines cogeret, non ad alicuius tantum ſpecia-B lis mandati, ſed ad omnium mandatorum, quæ de rebus difficilibus & ambiguis à ſacerdote data fuiſſent, obſeruationem. Ego tamen hoc in ſententia mea non negaui, ſed ſolùm dixi nullam hactenus à Deo datam fuiſſe legem purè pœnalem, quæ particularem aliquam pœnam temporalem exprimat contra eos qui ſpecialem aliquam legem moralem humanam tranſgrederentur: ita vt data prius lege aliqua humana morali, Deus propter illius meliorem obſeruationem poſtea legem pœnalem ſtatuerit. Et ideo non eſt opus has duas leges inter ſe conferre, vt inquiramus an lex diuina purè pœnalis tollat obligationem ad culpam, quæ per legem moralem humanam prius impoſita fuerat. Si tamen aliqua talis fuiſſet vnquam lex condita à Deo (quod tamen puto nunquam contigiſſe) illa nullo modo tolleret obligationem ad culpam, quę per legem moralem humanam ante fuiſſet impoſita, niſi hoc per legẽ ſuã ipſe Deus declaraſſet. Huius autem ſententię veritas ex his quę mox dicemus apertiſsimè conſtabit. Leges purè pœnales multæ ſunt olim à Deo per Moyſen datę, vt metu pœnarum quæ in illis ſtatuuntur,

homines ad ſuarum legum moralium aut cærimonialium C obſeruationem cogeret. De quibus, quia in proxime præcedenti capitulo plurima propoſui exempla, non eſt opus nunc ea repetere, aut plura addere. Si ergo ſingulas leges diuinas purè pœnales cum moralibus diuinis quæ illis reſpondent, cõferre volumus, dicendum erit ſemper, nullam legem diuinam purè pœnalem tollere illam obligationem ad culpam, quæ per priorem legem moralem diuinam impoſita fuerat. Et, vt rem hanc apertiorem & clariorem faciamus, operæpretium erit vnum aut alterũ exemplum

Leuit.18. proponere. In Leuitico ſtatuit dominus legem qua præcepit vt nullus cum nouerca ſua coiret, ſic dicens. Turpitudinem vxoris patris tui non diſcooperies. Vt autem hæc lex melius ab omnibus obſeruaretur, legem purè pœnalem

Leui.20. poſtea in alio capitulo ſtatuit, ſic dicẽs. Qui dormierit cum nouerca ſua, & reuelauerit ignominiam patris ſui, morte moriantur ambo. In eodem libro legem ſtatuit Deus qua prohibuit omni viro ne ad mulierem menſtruatam ac-

Leuit.18. cederet, quæ in hunc modum ait. Ad mulierem quę patitur menſtrua non accedes, nec reuelabis fœditatem eius. Ad huius autem legis meliorem obſeruationẽ poſtea legem D

Leui.20. purè pœnalem adiecit, ſic dicentem. Qui coïerit cum muliere cum fluxu menſtruo, & reuelauerit turpitudinẽ eius, ipſáq; aperuerit fontem ſanguinis ſui, interficientur ambo de medio populi ſui. Ad hunc modum ſunt multæ aliæ leges morales, prout nunc de legibus moralibus loquimur, in capite xviij. Leuitici: quibus totidẽ aliæ leges purè pœnales reſpondent in eiuſdem libri capite vigeſimo. Dico igitur per has aut alias leges purẽ pœnales ibidẽ aut alibi à Deo datas non tolli eam poteſtatẽ obligandi ad culpam, quæ erat in legibus prioribus moralibus antequam tales leges pœnales pro meliori illarum obſeruatione inſtituerentur. Hæc concluſio apertiſsimè probatur per ea quæ capite ab hinc tertio ſuprà diſſeruimus. Nunquam enim poſitio alicuius rei infert neceſſariò ablationem alterius, niſi quando illa duo ſibiinuicem contrariãtur, aut quouis alio modo ſic inter ſe mutuo pugnant, vt ſimul eidem hærere non poſsint. Frigiditas tollit calorem, & è contrario, quia frigus & calor contrariantur. Poſitio lucis infert ablationem tenebrarum: quia diuiſit Deus lucem à tenebris, & ir

A reconciliabili bello illa duo inter ſe pugnant. At dulcedinis poſitio non tollit albedinem:nec ex frigoris poſitione ſequitur neceſſariò depoſitio nigredinis: quia nec dulcedo pugnat cum albedine, nec frigiditas cum nigredine, ſed amicabili ſocietate bina & bina illa iunguntur. Nam albedo cum dulcedine iungitur in lacte: frigus ſimul cum nigredine exiſtit in Opio. Pœna autem & culpa (vt capite viij.ſuperius oſtendimus) non ſunt inter ſe contraria, nec ſibiinuicē aduerſantur, ergo poſita obligatione ad pœnam per legem pœnalem,non neceſſariò ſequitur inde remotio obligationis ad culpam, quæ prius impoſita fuerat per legem moralem. Præterea,ratio naturalis non patitur,vt id quod ex ſua naturali inſtitutione ordinatur ad meliorem & firmiorem illius cōſiſtentiam, ſit illius abolitio & totalis deſtructio. Veſtimentum quod ex natura ſua cuſtodit corporis humani calorem, non eſt veriſimile quod ipſum calorem deſtruat. Frigiditas & ſiccitas quæ ex natura ſua carnes ne putreſcant,cuſtodiunt: nunquam eaſdem carnes putreſcere faciunt. Accidentia omnia quæ ſubſtantiam conſeruant & firmam faciunt, nunquam illam deſtruunt.

B Lex pœnalis ex natura ſua ad hoc ordinatur, vt homines magis obligatos faciat ad legis moralis obſeruationem, nunquam ergo illa ex ſe tollet illam obligationem, quæ per priorem legem moralem impoſita fuerat. Rurſum, ſæpe contingit aliquem duobus valde diſtinctis præceptis obligari ad aliquod vnum opus particulare, vt ſi quis voueret omni die dominico audire miſſam: aut totam quadrageſimam ieiunare: quæ duo,etiam ſecluſo voto,facere obligatur. Falſam enim & nimium erroneam ego communi theologorum ſententiæ ſubſcribens cenſeo eſſe illorum opinionem,qui dicunt votum nunquam eſſe niſi de re aliàs indebita. Poteſt enim quiſq; (vt verior theologorum ſententia docet) ſe iterum nouo vinculo obligare ad id,quod aliàs ex præcepto diuino, aut ex præcepto humano facere debebat: prout contingit in voto caſtitatis ab omnibus monachis emiſſo,quo ſe iterum fortiori vinculo conſtringunt non ſolùm ad non ducendam vxorem,prout aliqui malè ſentientes docent, ſed ad omnem aliam caſtitatem ſeruandam, quam ex iure diuino ſeruare tenebantur. Quum iſtarum duarum obligationum vna alteri

ſuccedit, nunquàm poſterior tollit priorem, ſed ſimul ſe iuuant vt hominem fortius ligent & conſtringant ad faciendum id, quod priori vinculo quis facere tenebatur. Ergo eodem modo obligatio quæ per legem pœnalem inducitur non tollet illam obligationem quæ ante fuerat per legem moralem impoſita, ſed mutuo ſe iuuabunt, cùm eundem habeant finem, qui eſt, vt fiat id vel omittatur, quod fuerat per priorem legem moralem mandatum. Non enim ad hoc lex pœnalis ſtatuitur, vt moralem legem deſtruat, & illius poteſtatem minuat, ſed potius vt illam confirmet, & illius poteſtatem firmiorem faciat. Et hanc ſententiam fortius confirmat id, quod præcedenti capitulo dixi, ſæpe legem purè pœnalem declarare quanta ſit legis moralis obligatio, quæ prorſus ignoraretur, ſi nulla lex pœnalis fuiſſet ex qua conuinci aut ſaltem coniici poſſet. At, ſi lex purè pœnalis ſemper tolleret obligationem ad culpam, quæ per legem moralem prius impoſita erat, fieri non poſſet vt lex purè pœnalis oſtenderet obligationem legis moralis. Non eſt enim poſsibile vt aliqua res verè oſtendat id eſſe, quod ipſa adueniente ſtatim ſublatum eſt. Illa enim quæ inuicem velut ex diametro pugnant, & ſimul in eodem ſubſiſtere non poſſunt, hoc à natura habent, quod altero illorum adueniente ſtatim docent alterum non adeſſe, vt lux & tenebræ, cæcitas & viſus, forma ligni & forma ignis. Nam quoties iſtorum alterum adeſt alicui, toties alterum deeſſe cognoſcemus. Si lex purè pœnalis tolleret obligationē ad culpam, quemadmodum lux tenebras, aut forma ignis formam ligni, nunquam indicaret illam obligationem, imò potius ex oppoſito doceret nullam obligationem adeſſe. Sæpe autem (vt diximus) lex purè pœnalis indicat quanta ſit legis moralis obligatio, quæ lege pœnali ſublata nullatenus poſſet cognoſci: ergo lex purè pœnalis non tollit obligationem ad culpam, quæ ante fuerat per legem impoſita. Et hæc ſatis mihi eſſe videntur ad oſtendendum eam poteſtatem quam lex diuina purè pœnalis habet circa legem moralem etiam diuinam. Nunc ſupereſt vt de lege purè pœnali humana diſſeramus.

Lex purè pœnalis humana poteſt etiam cum duabus legibus moralibus, diuina videlicet, & humana comparari: quemad

A quemadmodum comparauimus, legem diuinam purè pœnalem cum eiuſdem legibus moralibus. Si lex purè pœnalis humana conferatur cum lege morali diuina, apertiſsimum eſt nullam legem pœnalem humanam tollere illam obligationem ad culpam, quam impoſuerat lex moralis diuina. Nam inferior non poteſt tollere, & prorſus abrogare legem ſuperioris. Homo autem adeò eſt inferior Deo, vt nullam niſi quam ab illo accepit, prout beatus Paulus docet, habeat poteſtatem. Igitur homo per nullam ab eo conditam legem poteſt legis diuinæ poteſtatem quouis modo innuere, ne dum prorſus tollere. Obedire oportet (inquit Petrus) Deo magis quàm hominibus. Qui autem contrarium facere non verentur, à Chriſto ſaluatore noſtro reprehenduntur ſic dicente. Quare & vos tranſgredimini pręceptum Dei propter traditiones veſtras? Quibus verbis apertè docuit Saluator noſter propter nullas humanas traditiones licere alicui tranſgredi vllum Dei præceptum. At, ſi lex purè pœnalis humana poſſet tollere obligationem legis moralis diuinæ, tunc iam liceret præceptum Dei tranſgredi propter traditiones humanas. Cùm B igitur hoc nunquam agere liceat, conuincitur inde apertiſſimè nunquam legem purè pœnalem humanam tollere, aut quouis pacto minuere obligationem legis moralis diuinæ. Præterea, ſi lex pœnalis humana tolleret obligationem legis moralis diuinæ, ſequeretur quod nulla eſſet iam totius diuini decalogi obligatio: quia ferè nullum eſt ex toto decalogo præceptum propter cuius tranſgreſsionem non ſit aliqua lex pœnalis à principibus, præſertim Chriſtianis, ſtatuta. Oporteret igitur fateri neminem in tranſgreſsione decalogi peccare, propterea quod ſe exponit periculo pœnæ per legem humanã ſtatutæ. Hoc autem quàm ſit erroneũ & hæreticũ, nemo ſanæ mentis eſt qui non videat. Rurſum, ſi obligatio legis moralis diuinæ tolleretur per ſequẽtem legem pœnalem humanam, ſequeretur inde legem moralem diuinã non habere parem vbiq; locorum poteſtatem & obligationem. Sunt enim aliquæ leges diuinæ morales, quarum tranſgreſsio in aliquibus regnis aut prouinciis nullã prorſus habent pœnã ab humana lege ſtatutã. Nam Lacedæmones ex præcepto Lycurgi (vt Plutarchus in vita eiuſdẽ Lycurgi refert) furta impunita relinquebant,

Rom. 13.
Act. 2.
Mat. 15.
Lycurgus.
Plutarchus.

bant,vt furti occaſione & cupiditate ingenia illorum acue- C rentur, & animo eſſent ſolerti & curioſo. Herodotus de Tauroſcythis refert illos furandi licentia ſibi victum quæritare. Diuina igitur lex quæ furtum prohibet apud ſolos Lacedæmones, & Tauroſcythas, & alios qui furta non puniunt, habebit poteſtatem obligandi ad culpam, apud alios autem qui varias contra fures leges pœnales ſtatuerunt, nullam prorſus habebit obligationem, propterea quod per leges pœnales ab hominibus ſtatutas illius obligatio ſit penitus ablata. Non puto virum Chriſtianum, niſi demens ille ſit, in tantum poſſe incidere errorem, vt hæc fateri non reformidet, atque vereatur. Ob quam cauſam viſum eſt mihi non eſſe opus plura afferre argumenta pro huius tam apertæ ſententiæ confirmatione. Ex hac igitur tam manifeſta ſententia conabor aliqua non minus manifeſta corollaria deducere, per quæ multi errores qui in populo verſantur, tollentur.

Herodotus.

Primò, ex hac probata concluſione ſequitur leges pœnales humanas, quæ pœnas ſtatuunt contra eos qui aliena ſylua ſcindunt & capiunt ligna, aut in alieno prato oues ſuas aut alia pecora paſcunt, non liberare ipſos tranſgreſ- D ſores à culpa, etiam ſi illis earundem legum pœnæ inferantur. Prima huius corollarij pars probatur, quia ſic facientes furtum committunt, & per conſequens diuinam legem tranſgrediuntur, quæ prohibet furtum fieri. Et inde clariſsimè conuincitur illos peccare, quamuis lex humana contra eos qui huiuſmodi furta committunt, pœnam ſtatuerit. Quoniam (vt in noſtra concluſione probatum eſt) obligatio legis diuinæ nõ potuit tolli per legem pœnalem ſequentem. Nam aliàs oporteret etiam fateri in nullo alio furto peccatum committi, propterea quod lex humana contra omne furtum pœnam aliquam ſtatuit. Res enim apertiſsima eſt, & minimè controuerſa furtum committere illum qui ligna è ſylua aliena inuito domino ſcindit, aut in alieno prato contra domini voluntatem oues ſuas aut alia pecora paſcit. Nam dominus ſyluæ habet verum lignorum in illa naſcentium dominium: & dominus prati aut agri cuiuſlibet habet etiam plenum & perfectum dominium herbæ in illa naſcentis. Quoniam poteſt vtrunque illorum donare, aut vendere, aut permutare:

quorum

A quorum neutrum facere poſſet, ſi verum & perfectum non haberet in illis dominium. Ergo qui aliquid illorum contra domini voluntatem capit, alienum inuito domino capit, & per conſequens furtum committit, vt apertè dicitur in l.Sciendum, & in l.Furtim, iuncta gloſſa.ff.Arborum furtim cæſarum. Et inde vlterius ſequitur vt ſic faciens quia legem Dei tranſgreditur, peccet non obſtante quacunque pœna per legem humanam contra huiuſmodi fures decreta: prout etiam peccaret in quocunque alio furto, quamuis lex humana pœnam quamlibet acerbam contra illud ſtatuiſſet. Secunda pars corollarij eſt etiam manifeſta, & apertè deducitur ex priori. Nam ſi peccatum aliquod mortale committitur per ſciſsionem lignorum in aliena ſylua, aut per paſtum pecorum in alieno prato, illud non poterit per ſolam pœnæ temporalis paſsionem deleri: ſed neceſſaria erit contritio, ſicut ad deletionem cuiuſlibet alterius peccati mortalis eſt ſemper illa neceſſariò requiſita. Nullum eſt enim peccatum mortale quod poſſit ex lege dimitti adulto abſque vlla cordis contritione. Quia nunquam Deus cõuertitur ad peccatorem illius pec-
B catum remittendo, niſi ipſe peccator ſuum peccatum deteſtando conuertatur ad Deum. Conuertimini ad me (inquit Deus) & ego conuertar ad vos. Ex quibus omnibus *Ioelis 2.*
apertè conuincitur illum qui ex aliena ſylua ligna rapit, aut pecora ſua in alieno prato paſcit, non liberari à culpa per ſolam paſsionem pœnæ à lege ſtatutæ, niſi verè de culpa per tale furtum commiſſa, illum pœniteat. Addo inſuper illum non verè pœnitere niſi damnum quod per lignorum ſciſsionem aut herbarum paſtum domino intulit, plenè reſtituat. Quamuis itáque pœnam à lege ſtatutam ſubeat, & de lignis aut herbis ablatis doleat, nunquam erit à culpa liber, niſi ablata reſtituat. Nam (vt habetur de regulis iuris libro ſexto,) peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum. Eandem ſententiam confirmat Auguſtinus in epiſtola ad Macedonium, ſic inquiens. *Auguſti.*
Si res aliena propter quam peccatum eſt, reddi poſsit, & non redditur, pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur. Hæc Auguſtinus, & citantur à Gratiano in capit. Si res. xiiij. quæſt. vj. Præterea, (vt habetur in capitulo fin. de iniuriis & damno dato) non ſolùm oportet ſatisfacere de iniuria,

ſed

ſed etiam de damno:ergo quamuis qui ligna ex aliena ſylua ſurripuit, per paſsionem pœnæ à lege ſtatutæ ſatisfaciat iniuriæ quam intulit legi contra illius prohibitionem furando, tenebitur nihilominus ſatisfacere damno quod intulit illi, ex cuius ſylua ligna ſurripuit, aut in cuius prato propria pecora pauit. Rurſum, is qui huiuſmodi furta commiſit, quamuis de damno ſatisfaciat ei qui ab illo læſus fuerat, non tamen per hoc liberatur à pœna per legem ſtatuta, ſi iudex illam inferre voluerit: ergo etiam è contrario per paſsionem pœnæ à lege ſtatutæ non liberatur ab obligatione quam habet ad ſatisfaciendum damnum illatum. Conſequentia eſt manifeſta: quia ſicut tenetur ſatisfacere iniuriæ quam intulit legi ſubiiciendo ſe pœnæ per legem impoſitæ & à iudice inflictæ, ita etiam tenetur illi quem læſit ſatisfacere de damno. Cùm hæc igitur ſint tam apertè probata, & ex principiis tam manifeſtis deducta, non poſſum non mirari, cùm audio aliquos pro doctis à populo exiſtimatos dicere, illos qui ab alienis ſyluis ligna ſubripiunt, aut ſua pecora in alienis pratis paſcunt, non peccare, nec obligari ad reſtitutionem, propterea quòd ſic facientes ſe exponunt periculo pœnæ à lege contra tales ſtatutæ. Teſtor Deum quòd de hac re fui ſæpe à variis hominibus & in variis prouinciis interrogatus, quibus omnibus cùm conſtanter & eodem tenore ſemper reſponderem illos in taliũ rerum captura peccare mortaliter, nec poſſe à peccato abſolui niſi taliter capta reſtituant, obiiciebant mihi ſe contrarium ab aliis viris doctis audiuiſſe. Interroganti mihi qui nam eſſent illi viri docti ſic perperam docentes, quoſdam nominarunt, quos ego (vt ingenuè loquar) inter mediocres diſcipulos non computarem, tantum abeſt vt illos verè doctos eſſe cenſeam. Populus tamen propterea quod in celeberrimis ciuitatibus & coram magna populi frequentia illos ſæpe prædicantes audiebat, illos verè doctos eſſe exiſtimabat. Putat enim populus, & quidem meritò, prædicationis officium non eſſe niſi viris doctis committendum. Nam qui doctus non eſt alios docere non valet. Et ideo niſi prædicatoris imperitia ſit aliunde manifeſta, nunquam ſibi populus perſuadere poteſt, vt doctus non ſit ille cui eſt aliorum docendorum officium commiſſum. Et hinc ſæpe euenit, vt quoties ali-

qua

A qua populum vexat de re agenda dubitatio, ad prædicato-
rem tanquam ad præcipuum legis doctorem accedat vt ab
illo, quid agere oporteat, doceatur. Et inde oritur, vt hic
de quo nunc agimus, & alij multi ſimiles errores in popu-
lo verſentur, qui illum ſecurum in varia peccata deducunt.
Sed ſi à ſolis indoctis prædicatoribus hic error emanaſſet,
fortè iam periiſſet, & non tantas apud populum cœpiſſet
vires. Sunt tamen adhuc alij qui abſque prædicationis
officio pro doctis à populo rudi celebrantur, & pro tali-
bus haberi conantur, qui huic errori apertè fauent, aut
magnam aliis errandi occaſionẽ præbent, propterea quòd
generaliter docent nullam eſſe culpam in eo opere pro
quo eſt lex aliqua pœnalis ſtatuta. Nam per hoc quod
periculo pœnæ per legem ſtatutæ quis ſe exponit, dicunt
eum eſſe à culpa liberatum, nec amplius illum obligari
quàm ad hoc vt paratus ſit pœnam ſubire quæ ſibi iuxta
legem erit inflicta. Teſtor enim Deum & non mentior,
quòd ſæpe audiui hanc ſententiam doceri à multis qui pro
doctis à multis exiſtimabantur. Et certè hæc vna ex præ-
cipuis cauſis fuit, quæ me ad hoc opus ſcribendum impu-
B lit, vt huic peſtifero errori quem ſciebam multorum pec-
catorum fuiſſe cauſam, occurrerem. Timebam certè ne ſi
hoc facere neglexiſſem, aliquando poſtea cum mœrore
& cordis anguſtia dicerem, quod olim Eſaias prophe- *Eſa. 6.*
ta ob ſimilem cauſam dixit. Væ mihi quia tacui. Time-
bam etiam ne in illam Leonis Papæ inciderem ſentẽtiam,
qua ait. Qui alios cùm poteſt, ab errore non reuocat, ſe-
ipſum errare demonſtrat. Hæc ille. Quis enim vir do-
ctus & verè catholicus tolerare potuiſſet ſententiam tam
peſtiferam, quæ docet furta poſſe ſine peccato exerce-
ri, & quæ furto ſublata ſunt poſſe ſine peccato retineri?
Gratias benigniſsimo Deo ingentes refero, quia non per-
miſit me tam ferreum eſſe, vt potuerim tolerare ſenten-
tiam tam erroneam quæ dicat legis diuinæ poteſtatem
& obligationem poſſe abrogari per ſolam legem pœna-
lem ab homine ſtatutam. Nam qui ita docent, hac ſo-
la ratione Deum homine inferiorem faciunt. Si nul-
la eſſet lex pœnalis ab homine ſtatuta contra eos qui
ligna ex alienis ſyluis rapiunt, aut qui pecora in alie-
nis pratis paſcunt, nullus iſtorum qui hæc docent aude-

Leo papa primus in epiſtola ad Toribiũ Aſtorgenſem epiſcopũ.

ret

ret dicere illos ſic facientes non peccare:quia contra legem C
Dei, quæ furta prohibet, illos facere apertiſsimè conſtat. Quòd autem tali lege pœnali ab homine conſtituta (vt illi dicunt) non peccent qui talia faciunt, euenire nullatenus poſſet, niſi lex humana ſuſtuliſſet poteſtatem legis diuinæ:quod nefas eſt dicere, & piæ aures audire abhorrent. Sed quidam ex illis cum quo de hac re diſputabam qui à populo cenſebatur doctus,quãuis mea opinione non erat, mihi hæc argumenta obiicienti reſpondit negando furtum committi in talium rerum captura: quia à principio quando res inter homines diuidi cœperunt, hac lege ſyluæ & prata alicui particulari homini venerunt in ſortem, vt quamuis aliquis inde aliquid ſurriperet, non peccaret: ſed ſolùm fuiſſet obligatus eam ſubire pœnam quæ illi fuiſſet per legem aut per iudicem inflicta. O bellum commentum, in quo magis veritas quàm dicendi libertas deſideratur. Fateor quidem talium rerum capturam non eſſe dicendam furtiuam, ſi à prima rerum diuiſione talis fuiſſet condita lex: ſed an ſic fuerit inter omnes de hac re conuentum, non video quomodo quis probare poterit, cùm nullum extet de hac re apud probatos authores teſti- D
monium. Et ideo qua facilitate dicitur,eadem contemnitur. Potuiſſet etiam nunc populus qui communes ſyluas, & communia prata habet, hanc legem ſtatuere, vt quamuis nullus de re illa communi aliquid ſibi abſque reipublicæ licentia capere poſsit,ſi tamẽ cœperit aliquid, non ideo peccet:ſed ſolùm ſubiiciatur pœnæ per eandem rempublicam conſtitutæ. Qua lege data non eſt dubium illos per talium rerum capturam non peccare: quia eo ipſo quod talis lex condita fuiſſet, per illam videretur reſpublica facere, vt furtum non eſſet talium rerum captura: quoniam licentiam daret vt illas ſine peccato capere poſſent. Et fortè prout nunc ſunt multorum hominum ingenia ad huiuſmodi res furtim capiendas prona,expediens eſſet de lignis ſyluarum, & de herbis pratorum communium talem ſtatuere legem, vt multa per illam euitarentur peccata, quæ homines præſertim agricolæ propter huiuſmodi res paſſim committunt. Hanc tamen legem circa illas ſyluas & illa prata quæ non ſunt communia, ſed ſunt particularium dominorum, non poſſet reſpublica ſtatuere, ſine ipſorum
dominorum

A dominorum particularium conſenſu. Quoniam non tantam habet reſpublica poteſtatem circa ea quæ ſunt cuique propria, quantam habet circa illa quæ ſunt omnibus communia. Nam in his quæ ſunt communia, habet reſpublica plenum & perfectum dominium: & ideo poteſt illa donare, vendere, locare, aut permutare, prout illi melius expedire videbitur. In illis verò quæ ſunt particularium perſonarum propria, non habet tam plenum dominium, niſi quando ſunt ad ipſius reipublicæ conſeruationem neceſſaria: & ideo non poteſt ſine particularis perſonæ conſenſu illa donare, aut vendere, aut permutare, niſi fortè ipſa reſpublica ſummè tali re indigeret. Tunc enim quælibet particularis perſona obligaretur iuri ſuo cedere propter reipublicæ conſeruationem: ſicut in corpore humano natura docente permittimus manum, aut brachium, aut pedem prorſus abſcindi, ne totum corpus periclitetur. Si aliquis, gratia exempli, haberet prope ciuitatem ſyluam lignorum, quæ hoſtes ciuitatem ipſam inuadentes multum iuuaret, poſſet ciuitas, ſi aliunde ſibi remedium parare non poſſet, totam ſyluam etiam domino contradicente prorſus
B ſus deſtruere, & omnia illius ligna ſecare, aut radicitus tollere. Obligaretur tamen ipſa ciuitas ipſi domino ſyluæ de damno illi illato ſatisfacere, ſi vnde hoc facere poſsit, habeat: ſiue hoc ſit de communibus ciuitatis bonis, ſiue ipſam damni recompenſationem per ſingulos ciues diuidendo, pēſata bene cuiuſque ciuis ſupellectili, iuxta quam, proportione iuſta ſeruata, erit facienda diuiſio. Secluſa autem vera & magna ciuitatis neceſsitate, non poterit illa alicuius particularis hominis ſyluam, aut illius ligna ſine ipſius domini voluntate donare: & inde conſtat vt illo contradicente non poſsit talem quam ſuprà diximus, legem circa capturam lignorum ex illa ſylua ſtatuere, prout diximus illam poſſe circa capturam lignorum ex ſylua communi. Quòd ergo ſuprà dixi illos, qui huiuſmodi furta committunt, obligari ad reſtitutionem damni, quamuis pœnam contra tales à lege ſtatutam ſubeant, hac conditione intelligendum eſſe volo, niſi contrarium eſſet per legem validam conſtitutum, aut niſi antiqua conſuetudine quæ pro lege tenenda eſt, contrarium fuiſſet ſemper obſeruatum. Si enim ex antiqua & inuiolata conſuetudine hoc

receptum & obſeruatum eſt, vt domini ſyluarum aut pratorum non petant damni reparationem, ſed ſolã pœnam legis contra huiuſmodi fures ſtatutam, crederem illos fures per paſsionem talis pœnę liberari à reparatione damni quod intulerunt. Nam ex ipſa ſemper obſeruata conſuetudine conuincitur, hac intentione fuiſſe talem legem pœnalem contra huiuſmodi fures conſtitutam, vt per paſsionem pœnæ quam ipſa lex decreuit, liberarentur à damno quod intulerunt. Nam etſi poſsibile ſit vt vnus aut alter talem reparationem damni ſibi debitam petere neglexiſſet, non tamen eſt veriſimile vt omnes in vniuerſum ſemper eam petere recuſaſſent, ſi illam iure ſibi debitam eſſe intellexiſſent. G

Secundò ex eadem concluſione infero illos, qui iuſta tributa principibus debita per fraudem aut ſimulationẽ reddere omittunt, non liberari à peccato, nec à reſtitutione, quamuis ſic facientes ſubeant periculum pœnæ, quę eſt per legem impoſita contra eos, qui huiuſmodi tributa ſoluere negligunt. Contrariam huic corollario ſententiam tuentur illi, qui falſo docent nullam legem humanam obligare ad mortalem culpam, ſi pro illius obſeruatione fuerit aliqua per legem impoſita pœna. Nam ex hac falſa doctrina hunc inter alios deducunt errorem quo docent eos qui tributa principibus debita ſubtrahunt, nõ peccare neq; ad vllam illorum reſtitutionem obligari, propterea quòd ſic facientes ſe cõmittunt periculo pœnæ quæ eſt per legẽ contra tales ſtatuta. Ex qua falſa doctrina non paruũ regij patrimonij diſpendiũ eſt ortum. Teſtor enim Deum & nõ mentior, quòd mihi cõſtat multos hac ſola ratione denegaſſe in Hiſpania regi tributa, quæ iuſtè ſunt regibus debita. Inter alia tributa quæ in Hiſpania præſertim in regno Caſtellæ ex antiquo regni iure regibus debentur, duo pręcipua ſunt: Vnum eſt, quo omnis homo, præter ſolos eccleſiaſticos viros, qui rem aliquam vendiderit obligatur decimam pretij partem reddere regi. Et hoc tributũ vulgo dicitur Alcauala. Alterũ eſt, quo ex omnibus mercemoniis quę à regno ad alias prouincias deferũtur, aut ex aliis partibus ad regnũ ipſum deportãtur, debetur regi certa aliquã portio pecuniis æſtimãda iuxta ipſius rei qualitatẽ & valorem. Hoc autẽ tributũ ſi eſt de rebus quæ per terram deferuntur D

A runtur, vulgo dicitur Portazgo: ſi verò eſt de his quæ ſunt nauigio portata: dicitur Diezmo de mar. Et quia multi ſunt qui clam & ſecrero res vēdunt, aut mercimonias ſuas extra regnū in abſcondito deferunt, ne huiuſmodi tributa reddere cogantur, ideo variæ leges pœnales conditæ ſunt contra illos qui huiuſmodi tributa reddere omiſerint. In his omnibus tributis quamuis ſæpe & ſæpiſsimè ſit rex à multis defraudatus, illi tamē qui illum fraudauerunt nullam prorſus reſtitutionis memoriā habent: nec illos (quod peius eſt) de huiuſmodi malè retentis tributis conſcientia illorum accuſat: & inde vlterius euenire neceſſe eſt, vt nunquam ſe de hac re coram ſacerdote in ſecreta confeſsione accuſent. Putant enim ſatis ſibi eſſe, quòd ſe committunt periculo pœnæ, quæ contra ipſos ſic facientes eſt per legem ſtatuta. Et hac ſola ratione credunt ſe eſſe à culpa & obligatione reſtitutionis liberatos. Rem mihi plenè notam narro, quam ego ipſe vidi, & non quam ex aliorum relatione didici. Nā multi mercatores in variis Hiſpaniæ locis me de hac re conſuluerūt, quibus cōſtanter & eodem tenore ſemper reſpondebā illos qui talia tributa denegāt
B peccare mortaliter, & teneri ad reſtitutionem, quamuis ſe opponant periculo pœnæ per legem impoſitæ: & multos ad huiuſmodi reſtitutionē faciendam coëgi. Multi tamen alij propterea quòd illis placentia non dicebam, mihi credere nolebant dicentes ſe ab aliis viris doctis didiciſſe nullum in tali re eſſe peccatū, nullāmque reſtitutionis obligationē, propterea quòd lex pœnalis, quæ contra illos cōdita eſt, omnē (vt dicebant) tollit culpæ obligationē quæ alioqui orta fuiſſet. Et hæc eſt altera cauſa quæ me impulit ad ſcribendum hoc opus de poteſtate legis pœnalis, vt per illud huiuſmodi errori occurrerē, qui ſimul quorundā hominum cōſcientias, & aliorū hominū marſupia lædit. Quòd autem hæc ſententia ſit falſa, & apertum errorem contineat, ex eo manifeſtè cōuincitur, quòd ſubditi, qui ex particulari principis priuilegio non ſunt exempti, tenentur ex obligatione legis diuinæ ad reddendū principi iuſta tributa. Et inde apertiſsimè colligitur illos à tali legis obligatione nō liberari per hoc, quòd ſe exponūt periculo pœnę, quæ per legē humanā contra eos qui tributa non reddunt, eſt ſtatuta. Cōſequētia iſta eſt notiſsima per ea quæ in vlti-

ma huius capitis principali concluſione diximus: vbi probauimus legem humanam pœnalem non poſſe tollere obligationem legis diuinæ. Antecedẽs verò, quia ex eo tota huius diſputationis vis pendet, multis & euidentibus rationibus ſtatim probabo. Primò quidem teſtimonio Saluatoris noſtri, qui interrogatus an liceret cẽſum dari Cæſari, an nõ, petiit oſtẽdi ſibi numiſma cenſus, viſáq; in illo Cæ-
Mat.22. ſaris imagine dixit. Reddite ergo quę ſunt Cæſaris, Cęſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Quibus verbis apertè præcepit tribu-
Hierony. tum Cæſari reddi. Nam beatus Hierony. in cõmentariis ſuper Matthæum nomine eorum quæ Cæſaris ſunt, dicit intelligi tributum Cæſari debitum, ſic inquiens. Porro quod ait: Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: id eſt, nummum, tributum & pecuniã: & quæ ſunt Dei, Deo: decimas, primitias & oblationes ac victimas ſentiamus. Hæc Hieronym.
Theophil. Et Theophilactus eadẽ Saluatoris verba interpretans ait. Ieſus per hoc quod figuratũ erat numiſma imagine Cæſaris, perſuadet illis deberi Cæſari quæ eius ſunt: hoc eſt, quæ habent eius imaginem. Et in corporalibus & externis obediẽdum eſt regi: in internis autẽ & ſpiritualibus ſoli Deo. Hæc Theophilactus. Præterea, ipſe Saluator noſter Chriſtus Ieſus, prout in aliis omnibus virtutis operibus fecerat: ita in hac re opere & exemplo priuſquã verbo, nos docuit tributa principibus eſſe reddenda. Nam quum illi qui tributa Cæſaris nomine exigebant, propter ſignorum magnitudinẽm quæ in Chriſto videbant ab illo tributum petere nõ audentes acceſsiſſent ad Petrum, & pro magiſtro illius
Mat. 17. tributum petiiſſent, dixit Chriſtus Saluator noſter Petro. Vade ad mare & mitte hamum, & eum piſcem qui primus aſcẽderit, tolle. Et aperto ore ejus, inuenies ſtaterem: illum ſumens da eis pro me & pro te. Quanquã Saluator noſter propterea quod regis æterni eſt filius, & illũ pater cœleſtis hæredem vniuerſorum conſtituit, tributum nullum debere poterat: quatenus tamen homo erat tributum reddere voluit, vt exemplo ſuo doceret tributa eſſe principibus neceſſariò reddenda. Nam ſi tributa quanuis verè ab illo indebita, illo Cæſari reddere noluiſſet, multi inde occaſionẽ putandi tributa nõ eſſe principibus reddenda, ſumpſiſſent. Vt igitur hoc ab infirmis ſcandalum tolleret, iuſsit Petro vt pro ſe & illo tributum Cæſari daret. Sed ne hoc quaſi

A quaſi debitum ab eo quis reddi putaret, antequam reddere præcepit, oſtendit ſe minimè eſſe talis tributi debitorem. Quo prius oſtenſo iuſsit vt ad ſcandalum vitandum tributum redderetur. Scio Chryſoſtomum & illius *Chryſoſt.* imitatorem Theophilactum interpretari hunc Matthæi lo- *Theophil.* cum, non de tributo Cæſari debito; ſed de tributo quod pro primogenitis lege diuina iubebatur reddi tribui Leuiticæ. Hieronymus tamen, cui ego magis in hac parte credo, ſemel & iterum hunc locum de ſolo tributo Cæſari debito intelligendum eſſe cenſet. Nam illum Matthæi locum in quo hæc hiſtoria ab illo narratur; interpretans Hieronymus ait. Poſt Auguſtum Cæſarem Iudæa *Hierony.* facta eſt tributaria; & omnes cenſi capite ferebantur. Vnde & Ioſeph cum Maria cognata ſua profeſſus eſt in Bethlehem. Rurſum, quoniam nutritus erat in Nazareth, quod eſt oppidum Galilææ Capharnaum vrbi ſubiacens, ex more poſcunt tributa. Et aliquibus interiectis poſtea ſubdit. Dominus noſter & ſecundum carnem, & ſecundum ſpiritum filius regis erat: vel ex Dauid ſtirpe generatus, vel omnipotentis verbum patris. Ergo tributa quaſi

B regum filius non debebat: ſed qui humilitatem carnis aſſumpſerat, debuit adimplere omnem iuſtitiam. Hæc Hieronymus in præfato loco; qui poſtea interpretans locum illum, vbi Matthæus refert Chriſtum ſaluatorem *Matt. 22.* noſtrum præcepiſſe, vt quæ Cæſaris ſunt, Cæſari redderentur: poſtquam dixerat illa verba de tributis Cæſari debitis eſſe intelligenda, hæc verba ſubdit. Quomodo & ipſe reddidit tributa pro ſe & Petro. Hæc Hieronymus. Ex quibus verbis apertè conſtat, illum in hac ſententia eſſe firmum, vt ſemper cenſeat ſtaterem, quem Chriſtus iuſsit Petro vt pro ſe & illo daret; eſſe pro tributo, quod Cæſaris nomine petebatur redditum. Rurſum, tributa eſſe ex lege naturali & diuina principibus debita, apertè conuincitur ex illorum miniſterio, & ex laboribus, quos illi pro vtilitate populi ſibi commiſsi ſubeunt. Iuſtum eſt enim, vt aliquod illis pro ſuis laboribus ſtipendiũ reddatur. Nã (vt ſaluator noſter ait) dignus *Lucæ 10.* eſt operarius mercede ſua. Principes autẽ (vt Paulus ait) miniſtri Dei ſunt, ad Dei honorem, populi vtilitatem ſeruien- *Rom. 13.* tes, & pro illo laborantes. Multi enim & varij ſunt labores,

quos principes pro populo tolerāt, ex quibus multæ etiam C
& variæ oriuntur rationes, propter quas conſtat, tributa illis ex iure naturali & diuino deberi. Laborant principes pro populo in executione iuſtitiæ, vt ſua cuiq; reddantur: vt nemo alterū lædat, nemo alteri iniuriā inferat: ſed omnes tuti ſint & ſecuri, & omnes quietā & pacificā vitā agāt. Niſi vnus eſſet in populo princeps, cui omnes æquè obedire tenerentur, & qui omnes ad iuſtitiam ſeruandā cogeret,
Abac.1. eſſent homines (vt quidam propheta egregiè dicit) velut piſces maris, quorum maiores ſæpe deuorant minores. Ne igitur diuites & potentes opprimāt pauperes & debiles, & eorum ſubſtantiā deuorent, oportet vt vnus omnibus præſit, & omnibus iuſtitiā miniſtret. Oportet vt vnus pro omnibus laboret, & illius labor aliis omnibus quietē & tranquillitatem præbeat. Hunc principum laborem tanti æſtimat Paulus, & tam magnum cēſet eſſe beneficium, vt propter illud conſequendum, dicat nos primò pro regibus &
1. Tim.2. principibus orare debere. Obſecro (inquit ille) primum omniū fieri obſecrationes pro regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, vt quietam & trāquillam vitam agamus. Huic tam magno & tam neceſſario labori, quem princeps D pro populi vtilitate patitur, aliquod ex iure naturali & diuino ſtipendium debetur. Quoniam nemo, qui ſeruus non eſt, alicui gratis & ſine ſpe mercedis ſeruire tenetur, præſertim ſi ille, cui ſeruit, potens eſt ad ſtipendium reddendum.
1. Corin.9 Quis paſcit gregem, inquit Paulus, & de fructu eius nō comedit? Principes omnes, quāuis ſeculares ſint, paſtores ſunt
Ezec.34. & paſtoris nomine à Deo per Ezechielem prophetam dicuntur, vt. ibidem Hieronymus exponit. Paſcunt gregem, hoc eſt, populum ſibi commiſſum iuſtitia, & pace, & tranquillitate, quam ſuo labore populo miniſtrant. Iuſtum igitur eſt, vt illi à grege lac, hoc eſt, tributū aliquod ſumant, quo ſe & illos, per quos iuſtitiam populo miniſtrant, alere poſsint. Laborat etiam princeps pro defenſiōne populi ſibi cōmiſsi, ne ab aliquo tyrāno opprimatur, aut quouis modo lædatur. Vt autem hūc laborem rectè exequatur, ſæpe ſunt milites neceſſarij, quibus poſsit tyrannidem & violentiam à populo propellere. Pro talium militum ſtipendio, aliqua oportet tributa reddere: quoniā ſine ſtipendio, milites

A lites labores & pericula belli ſuſcipere nollent. In cuius ſententiæ confirmationem, Auguſtinus libro xxij. contra Fauſtum capite lxxiiij. ait. Ad hoc enim tributa pręſtantur, vt propter bella neceſſario militi ſtipendium præbeatur. Hæc Auguſtinus. Nec ſatis eſt, vt pro hac re tantum tributum reddatur, quantum ſufficit ad ſoluendum ſtipendium militibus pro bello neceſſariis: ſed opus eſt, vt ipſi principi, pro labore, quem belli cauſa ſuſtinet, aliquod ſtipendiũm addatur. Nam etſi princeps ipſe belli pericula in ſua perſona non ſubeat, nihilominus militare dicetur, quoniam totum belli pondus in illo conſiſtit, & omnes vires belli procedunt ab illo. Nam ille eſt, qui milites ad bellum neceſſarios quærit: ille eligit duces, qui bello præſint, & milites regant: ille machinas, munitiones, & omnem bellicum apparatum præparat. Iuſtum autem eſt, vt propter hunc tam grauem & tam neceſſarium laborem, aliquod tributum principi reddatur. Nemo enim (vt Paulus ait) ſuis ſtipendiis vnquam militauit. Hos omnes & alios ſimiles labores, quos principes pro vtilitate populi ſubeunt, Paulus conſiderans in ea, quæ eſt ad Romanos epiſtola, *Auguſti.* *1.Cor.9.* *Rom. 13.*

B poſtquam præcepit, vt omnes principibus ſubdamur, & illos timeamus, propterea quòd eorũ quilibet Dei miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum operatur: ſtatim ſubdidit. Ideo enim & tributa præſtatis. Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes. Quæ Pauli verba Theophilactus interpretans, ait. Ipſe iſtiuſmodi principum in te beneficia teſtificaris & probas, cùm eis tributum & mercedem dependis. Quod ſanè perſpicuum eſt, eò te illud perſoluere, quia & tui curam illi ſuſceperint. Neq; enim præſidibus ipſis hos cenſus à principio detuliſſemus, niſi nobis fuiſſent perneceſſarij: quippe cùm ipſi curis vacui, hos habeamus, qui pro nobis inuigilent. Fit itaq; vel Dei id voluntate, vt tributa ſuis miniſtris depẽdantur. Vult enim Deus, vt pax ipſa & virtus exerceantur, & propulſetur iniquitas, ad idq;, Deo volente, ſunt principes, & illi parent, cùm miniſterio iſto funguntur, & pro communi hominum ſtatu labores inſumunt, in eóq; & perſtant & conituntur, vt vitam ipſi per quietem ducamus. Hactenus Theophilactus. Deinde, Paulus inter varia debita enumerat tributa, dicens. Reddite ergo omnibus debita, cui tri- *Theophil.*

butum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. In quibus verbis apertiſſimè docet Paulus tributa eſſe aliquādo debita. Hoc autem non de omnibus tributis, ſed de illis ſolis, quæ iuſtè impoſita ſunt, intelligendū eſt. Nam, quæ iniuſtè impoſita ſunt, nulla ratio patitur, vt ad illa reddenda populus obligetur. Quæ autem ſunt iuſtè impoſita tributa, & quæ iniuſtè, licet ad præſentem diſputationem non ſpectet diffinire, breuiter tamen rem ipſam obiter perſtringere decreui. Pro cuius rei clariori diffinitione oportet primò inter ipſa tributa diſtinguere, an ſint antiqua an noua. Si tributa ipſa quouis nomine illa cenſeantur, tam antiqua ſunt, vt de illorum initio nulla prorſus poſſit haberi memoria, tunc ſemper pro his, qui illa exigunt, præſumendum eſt, quod iuſtè exigunt. Quia (vt regula iuris ait) quilibet præſumitur bonus, donec probetur contrarium. Dum igitur non conſtat de iniuſto liorum tributorum initio, præſumendum eſt illud fuiſſe iuſtum, & per conſequens nunc iuſtè à dominis exigi. Et in talibus verum eſt, quod dicitur, meliorem eſſe conditionem poſſidentis: ita vt meritò credendum ſit, iuſtiùs agere dominum, quum tale tributum exigit, quàm ſubditus, cùm illud domino negare conatur. Hæc ſentētia apertè probatur per cap. Super quibuſdam, de verborum ſignificatione, vbi enumerans tributa, quæ iuſtè exigi poſſunt, inter ea recenſet illa, quæ ex antiqua conſuetudine à tempore, cuius non extat memoria, introducta ſunt. Si verò talia tributa noua ſunt, ita vt nunc primò procurentur inſtitui, aut ſi iam impoſita ſunt de illorum initio aperta habetur notitia: tria in talibus tributis conſideranda ſunt, vt per illa talium tributorū iuſtitia manifeſtè poſſit agnoſci. Primum eſt, authoritas ad talia imponendū tributa. Hanc verò authoritatem (vt in prædicto cap. Super quibus. decernitur) nō habent niſi imperator, aut rex, aut Papa, aut concilium. Aliqui ex illo cap. Super quibus. colligunt etiam antiquam conſuetudinem, cuius nō cognoſcitur memoria habere authoritatem ad imponendum tributa: qui ſic colligunt, malè re vera intelligunt textū. Quoniam antiqua conſuetudo (vt ex litera textus conſtat) ad tuendum vetera tributa valet, non ad imponendū noua. Aliud ſiquidem eſt exigere tributum, & aliud eſt imponere tributum. Et inde ſequitur,

Ioannes Methina q. 13. de contract.

C

D

A ſequitur, vt diſtinctę etiam ſint authoritates ad hæc diuerſa exequenda. Vna eſt authoritas ad exigendum tributa. Altera eſt authoritas ad imponendũ illa. Hęc authoritas multò maior eſt quàm prima: quia qui habet ſecundam, habet etiam primam, non tamen è contrario. Nam is, cui rex aut imperator conceſsit aliquod tributum ſibi debitum, habet authoritatem exigendi tributum, non tamen habet authoritatem imponendi. Antiqua ergo conſuetudo à tempore, cuius nõ extat memoria, dat authoritatem ad exigendum tributa, quæ ab illo tempore antiquo ſunt introducta: & non dat authoritatem ad imponendum noua. Nam cap. Super quibuſdam, in §. Præterea, loquitur (vt conſtat ex litera) de tributis, quæ ex antiqua conſuetudine introducta ſunt, & non loquitur de authoritate imponendi noua tributa. Et confirmatur hæc ſententia per cap. Innouamus, de cenſibus, vbi talis authoritas imponendi noua tributa, aperrè negatur antiquæ conſuetudini: quia expreſsè ibi dicitur, illam ſolis regibus & principibus eſſe conceſſam.

Alterum, quod exigitur ad tributorum iuſtitiam, eſt cauſa: quæ ex ſola populi neceſsitate aut vtilitate, & non B ex principis vtilitate ſumenda eſt. Alioqui, ſi princeps propter ſolum ſuum commodum tributa imponat, non iuſta, ſed tyrannica dicentur. Quoniam rex propter populi vtilitatem, & non populus propter regis commodum datus eſt. Nam propter hanc cauſam, principes populi Iſraël dominus per Ezechielem prophetam reprehendit, dicens. *Væ* *Ezec.34.* paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos. Nónne greges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini: & quod craſſum erat occidebatis: gregem autem meum non paſcebatis. Quæ verba (vt beatus Hieronymus *Hierony.* ea interpretatur) non ad ſolos prælatos Eccleſiaſticos, ſed etiam ad principes ſeculares dicta ſunt: quia hi etiam ſicut illi paſtores dicuntur, & vtriq; quamuis non eodem paſtu, gregem ſibi commiſſum paſcere tenentur. Tertium, quod ad tributorum iuſtitiam exigitur, eſt, vt tributa ipſa iuxta debitam proportionem imponantur. Hæc autem proportio in multis conſideranda eſt. Primò inter ipſum tributum & cauſam, propter quam imponitur: ita vt non maiora tributa exigantur, quàm cauſa ipſa, propter quam imponuntur, poſtulet. Nam ſi maiora exigantur,

iniuſta erit talis exactio propter exceſſum, qui ſine vllā C
cauſa exigitur,& erit talis exceſſus obligatus reſtitutioni, vt habetur in cap. Quia pleriq; de immuni. eccleſ. Oportet etiam habere proportionem & commenſurationem inter tributum & populum, cui imponitur tributum, ita vt tributum ipſum populi facultatem non excedat: alioqui tyrannicum & iniuſtum erit tributum. Quoniam quod pro populi vtilitate inſtituitur, non debet contra illius vtilitatem militare. Tributum autem etſi regi datur, non tamen propter regis, ſed propter populi vtilitatem datur:& inde ſequitur, vt non debeat tantum tributum imponi, vt per illud populus penitus deſtruatur, aut in nimiam deueniat paupertatem. Nam qui hoc faciunt, non ſolùm de lacte gregis comedunt, ſed ipſum gregem excoriant. Propter quod dominus per prophetam Michæam huiuſmodi prin-
Mich.3. cipes qui talia tributa imponunt, reprehendit, dicens. Audite principes Iacob,& duces domus Iſraël: & poſt pauca. Qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis,& carnem eorum deſuper oſsibus eorum. Qui comederunt carnem populi mei,& pellem eorum deſuper excoriauerunt. Poſtquam tributum toti populo impoſitum eſt, oportet in il- D
lius diſtributione ſeruare proportionem geometricam, ita vt conſiderata priùs cuiuſq; hominis facultate, tantò maius aut minus cuiq; imponatur tributum, quantò ille magis aut minus diues fuerit. Ecce omnia, quæ mea ſententiâ ſunt neceſſaria & ſufficiunt ad hoc, vt tributum aliquod ſit iuſtum. Si aliquod horum deſit, vt puta authoritas, aut cauſa, aut debita proportio, tributum erit iniuſtum, & ſubditus non tenebitur in conſcientia ad illud reddendum, niſi forte propter ſcandalum vitandum. Nam propter illud vitandum ſæpe tenetur reddere, quæ aliâs reddere non teneretur. In hoc enim caſu credo præceptum eſſe, quod
Matt.5. Saluator noſter ait. Ei, qui vult tecum in iudicio contendere,& tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicunq; te angariauerit mille paſſus, vade cum eo alia duo. Sed hic notandum eſt, quòd ſi tributum eſt iniuſtum propter ſolum defectum proportionis: vt puta quia excedit cauſæ neceſsitatem, aut populi facultatem, pro ſola ea parte, qua eſt exceſſus, non obligabitur ſubditus ad reddendum: ſed aliam partem, in qua eſt iuſta proportio,
& debita

A & debitā commenſuratio, tenebitur in conſcientia ſubditus reddere. Si verò hæc omnia, quæ ad iuſtum tributum diximus eſſe neceſſaria & ſufficientia, ſimul in aliquo tributo cohæreāt, tunc illud erit iuſtum, & ſubditi, qui ab illo liberi non ſunt, tenebuntur in conſcientia illud reddere: neq; ab hac obligatione liberabuntur per hoc, quòd ſe exponunt periculo pœnæ, quæ eſt contra tales per legem impoſita. Nam (vt probauimus in vltima huius capituli particulari concluſione) lex pœnalis humana non poteſt tollere obligationem legis diuinæ. Lex autem diuina (vt proximè probauimus) præcipit tributa principibus reddi: ergo lex pœnalis humana non poteſt tollere huiuſmodi obligationem. Et inde ſequitur, vt ſi quis tributū aliquod iuſtum, quouis nomine illud cenſeatur, reddere omittat, & poſtea de hoc accuſatus & conuictus pœnam legis patiatur, teneatur nihilominus adhuc in conſcientia ad huiuſmodi tributum reddendum: quemadmodum is, qui pœnam furti tolerat, tenetur ad rem furtiuā reſtituendam. Quia (vt in priori corollario diximus) nulla paſsio pœnæ per legem humanam impoſitæ poteſt hominem liberare ab ea obligatio-
B ne, quam ex lege diuina habebat ante paſsionem talis pœnæ. Fortè contra hæc omnia quis argumentabitur, volens probare tributa non eſſe ex lege diuina principibus debita: quia ſi illa ex lege diuina deberentur, ſequeretur neceſſariò oportere illa eſſe æqualia, & eadem apud omnes nationes vbiq; gentium. Quia lex diuina, præſertim moralis, æquè omnes obligat, & eandē vim apud omnes habet. Non ſunt autē eadem nec æqualia apud omnes nationes tributa: quia alia redduntur in Hiſpania, alia in Gallia, alia in Anglia. Ex qua tributorum diuerſitate videtur apertè conuinci, talem legem de tributis neceſſariò reddendis nō eſſe diuinā. Fateor tributa eſſe varia iuxta varietatē regnorum & prouinciarū: non tamen ſequitur inde, tributa nō deberi principibus ex lege diuina. Nam etſi lex diuina nō obliget ad aliquod ſpeciale & determinatum tributum, obligat tamen ad aliquod tributū reddendum. Quantū autē & quale tributum ſit reddendum, quia propter varias populi facultates, & occurrentes illius neceſsitates, non poterat vnica & generali lege definiri, ideo ipſius tributi determinatio & ſpecificatio committitur diſpoſitioni legis humanæ.

Multa

Multa enim ſunt, quæ ſolùm in genere ſine vlla ſpecificatio præcipiuntur in lege diuina: & illorum ſpecificatio & determinatio ad aliquod particulare, ex ſola lege habetur humana. Diligere Deum tenemur ex lege diuina & naturali: ipſa tamen lex diuina non expreſsit, quando aut quo loco Deum diligere debemus: ſed hæc ſpecificatio (vt aliquibus placet) lege humana facta eſt per præceptum de auditione miſſæ in die dominico. Tunc enim, iuxta iſtorum opinionem, tenetur homo in ipſa miſſæ auditione diligere Deum expreſsè aut interpretatiuè, vt puta faciendo aliquid propter Deum. Ex iure diuino & naturali tenetur homo aliquem diem in hebdomada ad Dei cultum deputare. Quis autem ſit iſte dies, ex lege diuina, quæ nunc viget, non exprimitur: ſed hoc ſola lege humana eſt declaratum. Nam etſi olim lege Moſaica fuit ſeptima dies ad cultum Dei præcepta, illud tamen preceptum quia non morale, ſed cærimoniale erat, fuit inter alia per mortem Chriſti reuocatum: & ideo in lege euangelica non obligat. Ob quam cauſam Eccleſia diuino ſpiritu afflata, loco illius ſeptimæ diei, octauam, quæ dies dominica dicitur, ſtatuit in honorem dominicæ reſurrectionis. Ex iure etiam diuino & naturali eſt, vt his, qui altario ſeruiunt, aliquid tanquam ſtipendium ſui laboris pro illorũ alimentis offeratur. Quantum autem ſit illis tribuendum, vt puta decima, aut octaua, aut vigeſima fructuum pars, ipſa lex diuina, quæ hodie extat, non exprimit. Olim enim lex Moſaica decimam fructuum portionem dare iuſsit: ſed quia præceptum illud, quatenus determinatam exprimit partem (vt omnes Theologi concorditer docent, quamuis Canoniſtæ, ad quos de hac re definire non ita ſpectat, contrarium ſentiunt) inter cerimonialia præcepta numeratur. Et inde ſequitur, vt per paſsionem Chriſti ſit cum aliis reuocatum. Ex quo vlteriùs ſequitur, vt illa decimæ portionis taxatio, non ex lege diuina aut naturali, ſed ex ſola lege humana vim habeat obligantem. Iuxta iſtum modum ego de tributis reddendis dicendum eſſe cenſeo. Tributum aliquod regibus & principibus reddi, lex diuina & naturalis præcipit. Quale autem & quantum tributum ſit illis reddendum, legi humanæ committitur, quæ iuxta regnorum varietatem, varia etiam neceſſariò erit ſtatuenda. Multa alia de trib

Leui. 20. *Num. 18.*

D

A de tributis, præſertim particularibus, dubia mihi occurrunt, quæ ſunt digna inueſtigatione: ſed quia à prima huius diſputationis intentione ſunt valde aliena, ideo illa hîc præterire ſtatui.

Hoc ſolum iam mihi tractandum ſupereſſe video, legem videlicet purè pœnalem humanam cum lege morali etiam humana conferre, quo peracto, conſummata erit diſputatio de poteſtate legis purè pœnalis, quatenus reſpicit obligationem ad culpam. De hac re nihil aliud dicendum eſſe cenſeo, quàm id, quod docet prima & principalis concluſio in principio huius capitis poſita, quæ ait, legem purè pœnalem nunquam tollere obligationē ad culpam, quæ per aliam legem moralem priùs impoſita fuerat, niſi ipſe legiſlator plenam ad hoc poteſtatem habens, per legem ſuam pœnalem declaret ſe tollere priorem obligationem ad culpam. Huius concluſionis primam partem non eſt opus amplius probare, cùm ex his, quæ ſuprà diximus, ſit iam ſatis ſupérque probata, præſertim ex eo, quod probauimus, has duas obligationes, videlicet ad culpam, & ad pœnam, non eſſe contrarias, nec ſecum inuicem ex
B aduerſo pugnare. Nam inde apertiſsimè conuincitur, ad vnius poſitionem non ſequi neceſſariò deſtructionem alterius, cùm ex ſupradictis conſtet, illas duas obligationes, ad culpam videlicet & ad pœnam, circa eandem rem poſſe ſimul conſiſtere. Præterea, lex purè pœnalis diuina (vt ſuprà probatum eſt) nō tollit obligationem ad culpam, quæ per legem moralem diuinam ante fuerat impoſitā: ergo eadem ratione lex purè pœnalis humana non tollet obligationem ad culpam, quam priùs impoſuerat lex moralis humana. Conſequentia iſta inde apertiſsimè conuincitur eſſe manifeſta: quia lex purè pœnalis humana non habet maiorem contrarietatem aut pugnam cum lege morali humana obligante ad culpam, quàm lex purè pœnalis diuina, cum lege morali diuina. Secundam concluſionis partem hoc argumento conuinco eſſe veram. Legiſlator plenam poteſtatē habens, poteſt prioris legis moralis purè humanæ obligationem tollere, & prorſus abrogare ſine alicuius legis pœnalis inſtitutione: ergo etiam poterit eiuſdem legis moralis obligationem per alicuius legis purè pœnalis inſtitutionem tollere. Conſequentia iſta vel

vel ex eo eſt notiſsima, quòd per legis purè pœnalis inſtitutionem nullo modo minuitur legiſlatoris poteſtas, quam ante habebat ad legis moralis obligationem tollendam. Antecedens eſt etiam æquè manifeſtum. Quia (vt dicitur in cap. Exiit qui ſeminat, de verborum ſignificatione libro ſexto.) par in parem non habet imperium. Ex qua ſententia apertè ſequitur, vt quidquid vnus legiſlator inſtituit, ipſemet aut alter ſucceſſor illius parem cum illo poteſtatem habens, poſsit illud deſtituere, & prorſus abrogare. An autem legiſlator hac vſus fuerit poteſtate, vt legē purè pœnalem inſtituens, per illius verba aperta prioris legis moralis obligationem ſuſtulerit, & prorſus reuocauerit, mihi non conſtat. Nam in iure communi, canonico, vel ciuili, credo nullam talem legem reperiri, quæ verbis expreſsis & manifeſtis, declaret ſe per nouam legem pœnalem reuocare obligationem ad culpam, quæ antea fuerat in ea re, propter cuius meliorem obſeruationem ipſa lex noua talem pœnam inſtituit. C

Quòd lex pœnalis miſta aliquando obligat ad culpam, aliquando non, iuxta variam ipſius legiſlatoris intentionem. D

CAPVT XI.

DVPLICEM iam ſuprà diximus eſſe legem pœnalem, alteram purè pœnalem, quæ nihil prorſus aliud ſtatuit, quàm pœnam infligi his, qui aliquid fecerunt, aut facere neglexerunt: alteram verò pœnalem miſtam, quæ poſtquam de moribus aliquid ſtatuit, poſtea etiam pœnam decernit contra eos, qui legem ipſam fuerunt tranſgreſsi. Hactenus de lege purè pœnali diſſeruimus, ſupereſt vt de lege pœnali miſta aliquid dicamus. De qua quid iure ſentiendum ſit, licet ex his, quæ in tribus proximè præcedentibus capitulis dicta ſunt, facilè vir doctus colligere poſſet: quia tamen non ſolis doctis ſed etiam indoctis ſcribimus, oportuit aliqua particulariter & in ſpecie de lege pœnali miſta pertractare, vt de omni lege pœnali facilè omnibus conſtet, qualem illa ad obligandum habeat poteſtatem.

Aſtatem. Ad hoc autem rectè perficiendum, vna mihi ſuffi-
cere videtur concluſio, quæ talis eſt. Obligatio legis pœ-
nalis miſtæ, quæ induceretur per ſolam illam eius partem,
quæ de moribus aliquid ſtatuit, non tollitur per additio-
nem alterius partis, quæ pœnam imponit, ſed manet ea-
dem legis ad culpam obligatio, quæ eſſet ſecluſa pœna,
aliquando maior, aliquando minor, iuxta variam legiſla-
toris intentionem. Prima huius concluſionis pars ſatis eſt
manifeſta ex his, quæ in præcedenti proximè capite dixi-
mus de lege purè pœnali. Nam ſi lex purè pœnalis ſeor-
ſum poſita nō tollit obligationem, quæ fuerat inducta per
legem moralem: ergo ſi iungatur lex pœnalis ſimul cum
lege morali, ita vt ex ambabus fiat vnica lex, pars illa, quæ
ſtatuit pœnam, non tollet obligationem, quæ inducere-
tur per aliam partē moralem, ſi ſeorſum ſtatueretur. Con-
ſequentia iſta eſt notiſsima: quia lex pœnalis ſimul poſita
cum lege morali, non ſumit per hoc maiorem poteſta-
tem ad tollendum obligationem legis moralis, quàm ſi
ſeorſum & per ſe ſtatueretur diſtincta à lege morali. Nihil
enim refert ad legis pœnalis poteſtatem augēdam vel mi-
B nuendam, quòd ſimul cum lege morali, aut ſeorſum ab
illa ſtatuatur. Vt autem, quod dico, apertius & euiden-
tius omnibus fiat, exemplum aliquod in medium propo-
nere oportet. Sit aliqua lex purè moralis ita diſponens.
Nullus per ciuitatem aut oppidum incedens, ſecum arma
deferat, ne hac occaſione iurgia & tumultus in ciuitate
oriantur. Poſtea, quia experientia docente, cognitum eſt,
multos indiſciplinatos tali legi non obedire, ad illius le-
gis meliorem obſeruationem ſtatuitur alia lex purè pœ-
nalis, ita dicens. Quicunque per ciuitatem armatus inceſ-
ſerit, priuetur armis, & recludatur in carcerem decem con-
tinuis diebus. Alius fortè legiſlator, præuidens à principio
futuros eſſe aliquos indiſciplinatos, qui legibus nō obtem-
perabunt, legem moralem ſtatuens, ſimul pœnam adiecit,
& ex duabus illis legibus vnam condidit, ſic dicentem.
Nullus per ciuitatem armatus incedat, ne hac occaſione
iurgia & ſeditiones oriantur. Si quis verò armatus per ciui-
tatem inceſſerit, priuetur armis, & in carcerem recludatur.
Manifeſtum eſt & luce clarius, hanc vltimam legem, quæ
miſta eſt ex illis duabus prioribus, non amplius valere, nec

maiorem

maiorem aut minorem poteſtatē habere, quàm illæ duæ, C ex quibus componitur. Quia cùm hæc lex ſit quaſi totum aliquod integrale ex illis duabus legibus, tanquam ex partibus illius integralibus compoſitum, inde euidēter ſequitur, vt iuxta legem & conditionem cuiuslibet totius integralis, ſit per omnia æqualis omnibus ſuis partibus ſimul ſumptis, ita vt in nullo excedat eas, nec excedatur ab illis. Et inde vlterius ſequitur, vt ſi duæ illæ leges, quando ſunt ſeorſum poſitæ, habent obligationem ad culpam, reſpectu eius, quod per legem moralem ſtatuitur, etiam habeat eandem obligationem lex illa, quæ ex illis duabus condita eſt. Præterea, ſi pars pœnalis, quæ ponitur in tali lege miſta, tolleret obligationem ad culpam ab altera parte morali, hoc eſſet, quia pœna & obligatio ad culpam pugnant inter ſe & inuicem contrariantur: ſed nulla talis contrarietas aut pugna eſt inter illa duo, vt ſatis apertè probatū eſt in duobus capitulis proximè præcedentibus: ergo pars pœnalis in lege miſta non tollit obligationem, quæ per alteram partem moralem induceretur, ſi eſſet ſeorſum ſtatuta. Omnia etiam argumenta, quæ in duobus capitulis præcedentibus fecimus, ad probandum legem purè pœnalem non tollere obligationem legis moralis, poſſunt accommodari ad probandum idem de parte pœnali, quæ additur in lege miſta. D

Secunda pars noſtræ principalis concluſionis probatur: quia ſi lex pœnalis miſta aliquam poteſt imponere obligationem, illa non aliunde pendere poteſt, quàm ex intentione & voluntate legislatoris, qua vult obligare illos, quibus legem ſtatuit. Sicut enim bonitas & malitia actus exterioris pendet à bonitate & malitia actus interioris, à quo eſt imperatus: ita legis ſcriptæ aut voce prolatæ obligatio pendet ab actu interiori voluntatis volentis per legem ſuam
Cap. 8. obligare. Nam ob hanc cauſam (vt aliàs diximus) ſtatuta fratrum minorum & fratrum prædicatorum non obligant ad culpam aliquam: quia illorum ſtatutorum conditores noluerunt ad culpam aliquā ſuos ſubditos obligare, prout ipſimet in principio ſuorum ſtatutorum apertè expreſſerunt. Ex his euidenter ſequitur, vt iuxta variam legislatoris intentionem, varia ſit etiam diuerſarum legum obligatio, ita vt vna magis, altera minus obliget, quia ſic voluit

legisl

A legiſlator. Hæc autem legiſlatoris intentio, ex ſolis verbis legis eſt colligenda, niſi fortè ille conſuli poſſet, & ſuam verbis explicare voluntatem: quia tunc etſi verbis legis non poſſet coniici, quanta eſſet illius obligatio, illi tamen, quibus legiſlator ſuam voce expreſsit intentionem, erunt obligati iuxta id, quod ille eis declarauit. Si verò legiſlator conſuli non poteſt, vt ſuam voce aperiat voluntatem, tanta erit ſemper & non maior neq; minor cenſenda obligatio, quanta ex verbis ipſius legis apertè coniici poſsit. Nam legiſlator nunquam ſola ſua voluntate poteſt aliquem obligare, niſi ſuam illi manifeſtando voluntatem. Alioqui fieri eſſet neceſſe, vt aliquis obligetur ad impoſsibile. Quia intentionem, quam legislator intus in corde latentem habet, nemo cognoſcere valet, niſi ipſe illam exterius per aliqua manifeſta ſigna prodat. Quæ autem ſunt ſigna, ex quibus legis obligatio perfectè cognoſci poteſt, iam ſuprà oſtendimus cap. v. huius libri. Inter multa autem, quæ illic dedimus ſigna ad cognoſcendam legis obligationem, vnum eſt illud, de quo nunc agimus, videlicet pœna per legem impoſita. Quia ſæpe ex grauitate pœnæ, quam ipſa lex contra illius

B tranſgreſſores imponit, cognoſcitur magnã eſſe eiuſdem legis obligationem. Lex igitur pœnalis miſta, quia duas habet diſtinctas partes, alteram moralem, alteram pœnalem: ideo per vtramq; illius partem poteſt oſtendere, quantam illa ſubditis imponat obligationem ad faciendum vel omittendum id, quod per partem moralem ſtatuitur. Si pars illa moralis habeat aliquod verbum præcepti, aut prohibitionis, aut aliquod illis æquipollens, tota lex miſta dicetur obligare ad culpam mortalẽ, vt fiat vel omittatur id, quod per talem partem moralem decernitur. Si verò nullum tale verbũ præcepti, aut prohibitionis, aut æquipollentis in illa parte morali reperitur: tunc niſi aliunde, videlicet ex parte pœnali, oſtendatur maior obligatio, tota lex miſta cenſebitur non imponere obligationem ad culpam mortalem. Quæ autem ſint talia verba præcepti, aut prohibitionis, aut æquipollentis, quia ſuprà in capite v. huius libri ſatis apertè oſtendimus, non eſt opus nunc repetere. Si illa pars legis miſtæ, quæ pœnam contra tranſgreſſores ſtatuit, pœnam talem decernit, quæ non niſi pro culpa mortali iure poteſt infligi, qualis eſt excõmunicatio, mors,

exilium perpetuũ,& alię ſimiles,quas loco proximè citato C recenſuimus,ex illa pœna adiuncta,etiam ſi nullũ aliud ſignũ adeſſet,coniici poteſt legislatorẽ velle obligare tranſgreſſorem partis moralis ad culpã mortalẽ.Si verò nullam tam grauẽ pœnam lex miſta imponat,nec in parte morali eiuſdẽ legis reperiatur aliquod verbũ pręcepti,aut prohibitionis,aut æquipollentis,tũc abſolutè dici poteſt,talem legem miſtam non imponere obligationem culpæ mortalis ſed ſolũ venialis,ad faciendũ vel omittendum id, quod per legem moralem ſtatuitur. Et certè hæc regula , quam de pœna inſpicienda nunc dedimus ad cognoſcendam obligationem legis,eſt valde notãda:quoniam per illam de multis legibus,tam diuinis quàm humanis cognoſcimus,quanta ſi illarũ obligatio, quod, ſecluſa pœna,nullo modo, aut ſaltẽ difficillimè, cognoſci poſſet. Multa enim ſunt in iure canonico ſtatuta & ordinata,quorũ obligatio,quanta nunc eſt,non poſſet agnoſci,ſi pœna excommunicationis,quæ in illis cõtra tranſgreſſores apponitur, ſecluderetur. Per hanc regulam cognoſcimus leges imperatorum , quæ alearum vſum prohibent,obligare ad culpam mortalem eos,qui legibus imperialibus ſubduntur. Quoniam tam graues pœ- D næ,quales contra aleatores ius imperiale decernit. l.j. ff.de aleæ luſu , & in Authenti. Alearum vſus.C.de religioſis & ſumptibus funerum,nõ niſi pro culpa mortali iuſte poſſent inferri. Eodem modo cognoſcimus in regno Caſtellæ obligare ad culpam mortalem eam legem, quæ prohibet taxillos vendere,aut cum illis ludere.Quoniam tales pœnæ contra luſores taxillorum , & illorum venditores in illa lege ſtatuuntur , quales non niſi pro culpa mortali , & quidem graui , meritò poſſunt infligi. Aliquæ etiam fuerunt olim leges diuinæ per Moyſen datæ, quarum obligatio ad mortalem culpam non niſi ex pœna in illis appoſita poſſet

Leuit.18. & 20. agnoſci.Omnes enim illæ leges , per quas in Leuitico prohibuit dominus matrimonia contrahi inter eos , qui aliquibus certis gradibus conſanguinitatis aut affinitatis erant coniuncti , obligabant tunc ad culpam mortalem , quam obligationem nulla alia res æquè manifeſtabat , ſicut pœna mortis contra tranſgreſſores in illis legibus appoſita , quæ (vt notiſsimum eſt) non niſi pro graui culpa mortali poteſt infligi. An autem in le-

A ge euangelica & tẽpore gratię omnes illę leges habeãt ean
dem obligationẽ,quã ante habuerunt, non ita facilè poteſt
agnoſci, propterea quòd pœnæ, quæ talibus legibus erant
appoſitæ,nullã nunc habent vim,ſed omnes ſunt per mortẽ
Chriſti reuocatæ:quemadmodum cætera omnia iudicialia
præcepta,quæ erant in lege illa. At pœnis illis ſublatis, ex
natura ipſarum rerum,quæ per tales leges prohibẽtur,non
poteſt conuinci tales leges æquè nunc obligare ad culpam
mortalem,ſicut priùs obligarunt.Quoniã cùm cõſtet ex ſa-
cris literis multa matrimonia ante legẽ per Moyſen datã
fuiſſe legitimè contracta, in illis gradibus per leges Moyſi
prohibitis,euidenter conuincitur, tales leges non eſſe de iu
re naturæ, & per conſequens nec morales: ex quo vlteriùs
ſequitur,illas tempore legis euangelicæ non obligare,qua-
tenus per Moyſen datæ ſunt,niſi aliũde ex Eccleſiæ ſtatuto
obligarent. Et certè hac ratione moti ferè omnes Theolo-
gi ſcholaſtici docent,nõ omnes illas leges obligare ad cul-
pam mortalẽ,quę Leuitici 18.& 20.capitulis ſtatuuntur de
matrimonio in aliquibus gradibus non contrahendo. Ita
enim docet Alexander de Ales,iij. parte, quæſtione xxvij. *Alex. de*
B mẽbro iiij.articulo ij.§.ij.& eadem parte, q.xxxv. mẽbro *ales.*
vj.Scotus in iiij.diſtinct.xl.& xlij.eandem docet ſententiã. *Scotus.*
Ioannes Baſſolis etiam in iiij.diſt.xl.eidem ſententiæ ſub- *Ioã. baſſo*
ſcribit.Thomas de Argentina,diſtin.xxxix. quarti eandem *lis.*
tutatur opinionem. Idem ſentit Gulielmus de Rubione in *Thom. de*
iiij.diſtin. xl.His omnibus conſentit Caietanus ſuper ij. ij. *Ar.*
ſancti Thomæ.q.154.art.ix.Iſtorum omnium ſententiã ex- *Guliel.de*
tenſis(quod aiunt)vlnis amplectitur Vuendelinus in ſupple *Ru.*
mento Gabrielis. Multi alij, quos longum ac valde proli- *Caieta-*
xum eſſet recenſere, hanc tuentur ſententiam. Alij, quãuis *nus.*
paucisſimi,inter quos eſt Petrus de Palude,oppoſitã tenent *Vuendeli*
ſententiam dicentes, omnes illas leges, per quas certi gra- *nus.*
dus conſanguinitatis & affinitatis prohibẽtur ad matrimo *Petr. de*
nium contrahendum,obligare nunc ad culpam mortalem, *Palu.*
ſicut olim tempore legis Moſaicæ obligabant.De quorum
ſententia ego ſæpe miratus ſum, & nunc etiam multò ma-
gis admiror. Quia pœna illis legibus appoſita, ex qua il-
larum obligatio conſtare poterat, iam reuocata eſt: nec
eſt alia certa via (vt diximus) per quam talis obligatio
poſsit oſtendi. Propter quod, meritò iſtorum opinio per

ſententiam Papæ definitiuam in parte damnata eſt, occa- C
ſione litis motæ per Henricum octauum huius nominis, Angliæ regem, qui tẽtauit diſſoluere & irritum facere matrimonium, quod à multis retroactis annis contraxerat cum Catherina filia Ferdinandi & Helyſabeth, Catholicorum Hiſpaniæ regum. Cauſa autem, quam, vt id legitimè facere poſſet, offerebat, erat: quia ipſa Catherina prius nupſerat Arcturo, eiuſdem Henrici fratri maiori, quo ſine liberis defuncto, poſtea ex Papæ diſpenſatione nupſit ipſi Henrico. Ob quam cauſam dicebat matrimonium illud, quod cum præfata Catherina contraxerat, fuiſſe nullum: quanuis ad illud contrahendum acceſſerat Papæ diſpenſatio. Quia dicebat tale matrimonium eſſe lege diuina prohibitum, offerebátq; ad ſuæ ſententiæ probationem duas
Leuit.18. ex Leuitico leges, quarum vna ſic ait. Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis: quia turpitudo fratris tui eſt. Alte
Leui.20. rius legis verba ſunt hæc, Qui duxerit vxorem fratris ſui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris ſui reuelauit: abſq; liberis erunt. Cauſa hæc ad Clementẽ ſeptimum huius nominis ſummum pontificem, qui tunc vniuerſæ præerat Eccleſiæ, deuoluta eſt. Pontifex verò, quia res illa ob D
multas & manifeſtas cauſas res magni momenti cenſebatur, noluit in ea celeriter & proprio conſilio quidquam definire: ſed viros doctiſsimos Theologos & canoniſtas, & omnes ferè ſtudiorum vniuerſitates, quæ celebre aliquod nomen habent, conſuluit. Multi etiam viri docti ſuam ſententiam libellis de hac ſola re æditis, expreſſerunt. Inter quos vnus, & (vt ego opinor) omnium doctiſsimus fuit Ioannes Fiſcherus, tunc Roffenſis epiſcopus, nunc autem verus Chriſti martyr, qui in reginę fauorem pro matrimonij cõfirmatione opus quoddam multa doctrina refertum ædidit. Ob quam cauſam idem Henricus in ſancti epiſcopi inuidiam exarſit, & poſtea illum pro conſtante fidei catholicæ confeſsione, capitis obtruncatione puniuit. De qua rẽ ego tunc iuuenis, cùm res illa tractabatur, & in controuerſiam deducebatur, libellum ſcripſi, vt ſententiam meam quæ à me, ſicut ab aliis plerîſque viris doctis petebatur, libello ædito proderem. Poſt dililigentiſsimam itaque & longiſsimam huius matrimonialis cauſæ examinationem, maturóque (vt in re tanta facere oportebat)

prius

A priùs habito conſilio, tandem ipſe ſummus pontifex pro tribunali reſidens in publico conſiſtorio, de conſilio & aſſenſu omnium cardinalium ſententiam protulit definitiuam prædictum matrimonium approbantem,& ratum ac firmum iudicantem. Sed quia illa ſummi pontificis ſententia paucis nota eſt,& fortè in poſterum propter ſcriptorum negligentiam multò paucioribus erit nota; eam, nullo illius mutato verbo, hîc inſerere decreui, vt omnibus nota eſſe poſsit.

Clemens Papa ſeptimus.

CHRISTI nomine inuocato,in throno iuſtitiæ pro tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes, per hanc noſtram diffinitiuam ſententiam, quam de venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cardina-
B lium, conſiſtorialiter coram nobis congregatorum; conſilio & aſſenſu ferimus in his ſcriptis, pronunciamus, decernimus,& declaramus, in cauſa & cauſis ad nos & ſedem Apoſtolicam per appellationem, per chariſsimam in Chriſto filiam Catherinam Angliæ reginam illuſtrem, à noſtris & ſedis Apoſtolicæ legatis in regno Angliæ deputatis interpoſitam legitimè deuolutis & aduocatis, inter prædictam Catherinam reginam,& chariſsimum in Chriſto filium Henricum octauum Angliæ regem illuſtrem, ſuper validitate & inualiditate matrimonij inter eoſdem reges cõtracti & conſummati, rebuſq; aliis in actis cauſæ & cauſarũ huiuſmodi latiùs deductis,& dilecto filio Paulo Capiſſucho cauſarũ ſacri palatij tunc decano,& propter ipſius Pauli

abſentiã venerabili fratri noſtro Iacobo Simonetæ epiſcopo Piſaurienſi vnius ex dicti palatij auditoribus locum tenenti, audiendis, inſtruendis, & in conſiſtorio noſtro referendis commiſſis, & per eos nobis & eiſdem Cardinalibus relatis, & maturè diſcuſsis coram nobis pẽdentibus, Matrimoniũ inter prædictos Catherinã & Henricum Angliæ reges contractum, & inde ſequuta quæcũque fuiſſe & eſſe validum & canonicũ, validáq; & canonica, ſuóſque debitos debuiſſe & debere ſortiri effectus, prolémq; exinde ſuſceptam & ſuſcipiendam fuiſſe & fore legitimã: & præfatũ Henricum Angliæ regem teneri, & obligatũ fuiſſe & fore ad cohabitandum cũ dicta Catherina regina eius legitima coniuge, illámq; maritali affectione & regio honore tractandum: & D eundem Henricũ Angliæ regem ad præmiſſa omnia & ſingula cum effectu adimplendum, condemnandũ, omnibúſq; iuris remediis cogendum & compellendum fore, prout cõdemnamus, cogimus, & compellimus, moleſtationéſq; & denegationes per eundem Henricum regem eidem Catherinæ reginæ ſuper inualiditate ac fœdere dicti matrimonij quomodolibet factas fuiſſe & eſſe illicitas & iniuſtas: & eidem Henrico regi ſuper illis ac inualiditate matrimonij huiuſmodi perpetuum ſilentium imponendum fore, & imponimus: eundémque Henricum Angliæ regem in expenſis in huiuſmodi cauſa pro parte dictæ Catherinæ reginæ coram nobis & dictis omnibus legitimè factis condemnandum fore,

&

A & condemnamus. Quarum expenſarum taxationem nobis in poſterum reſeruamus. Ita pronuntiauimus. Lata fuit Romæ in palatio Apoſtolico publicè in Conſiſtorio, die xxiij. Martij, Anno. M. D. XXXIIII.

Bloſius.

Ex hac ſententia per ſummum pontificem cum tanto & tam maturo conſilio data, apertè conuincitur falſam eſſe & erroneam Petri de Palude opinionem, dicentis matrimonium alicuius cum relicta à fratre, quamuis ſine liberis defuncto, eſſe lege diuina prohibitum, ac proinde Papam non poſſe in illo diſpenſare.

Alia eſt in Leuitico ſimilis conditionis lex, de qua etiam non modica eſt inter Theologos diſſenſio, an eandem nunc habeat obligationem ad culpam, quam olim habuit quando lex Moſaica viuebat. Quæ diſcordia (vt ego cenſeo) non aliunde vires accepit, quàm ex pœna,
B quæ per talem legem impoſita fuit. Eſt autem hæc lex. Ad mulierem, quæ patitur menſtrua, non accedes, nec reuelabis fœditatem eius. Qui coïerit cum muliere in fluxu menſtruo, & reuelauerit turpitudinem eius, ipſáque aperuerit fontem ſanguinis ſui, interficientur ambo de medio populi ſui. De hac lege quidem ſentiunt, illam nunc non obligare ad culpam mortalem, ſicut obligabat olim ante Chriſti paſsionem. Hanc opinionem tuetur Petrus Paludanus in quarto diſtinctione xxxij. quæſtione prima, articulo tertio. Eandem tenet Caietanus in ſua ſumma confeſſorum, in titulo, Matrimonium, vbi enumerans peccata, quæ in vſu matrimonij committi poſſunt, dicit non eſſe peccatum mortale, mulierem menſtruatam exigere aut reddere debitum: quia nulli (vt ait) facit iniuriam, qui iure ſuo vtitur. Quæ opinio mihi vera videtur propterea quòd obligatio illius legis ad culpam mortalem, non aliunde conſtare poteſt, quàm ex pœna mortis illic appoſita, quæ non niſi pro graui culpa mortali poteſt inferri. Hæc autē pœna (vt omnibus notiſsimum eſt) nullum iam habet vigorem, cùm ſit per Chriſti

Leuit. 18. & 20.

Petrus de Palude. Caietan.

mortem reuocata, quemadmodũ omnia alia precepta iudicialia. Quum olim lex illa pœnalis viuebat, viuebat etiam illius obligatio ad culpam mortalem. Nunc verò pœna illa prorſus abrogata, inde apertè cognoſcitur, obligationem illam ad culpam mortalẽ eſſe omnino ſublatam, niſi aliud fortè in ipſa lege maneat, per quod poſsit apertè cognoſci, tantam eſſe in illa lege obligationem. Nihil autem ſecluſa pœna manet in illa lege, per quod manifeſtè deprehendi poſsit illa tam magna obligatio: ergo non eſt dicendum, illam legem obligare ad culpã mortalem. Sunt alij Theologorum proceres doctrina & ſanctitate præclari, qui oppoſitam tenent ſententiam, dicentes legem illam nunc etiam obligare ad culpam mortalem, ſicut in lege veteri. C

Thomas. Hanc opinionem tenent ſanctus Thomas, & ſanctus Bo-
Bonauēt. nauentura, & Alexander de Ales, & doctor ſubtilis Scotus.
Alex. de Ales. Inter quos beatus Thomas duplicem dicit eſſe in illa lege rationem.
Scotus. Vnam, propter quã dicit eſſe cerimonialem aut iudicialem, & eſt mulieris immũditia, ratione cuius fiebat purificatio, & quantum ad hoc, dicit legem illam iam non obligare, ſed eſſe prorſus reuocatam. Alteram dicit eſſe illius legis rationem, nocumentum videlicet prolis, quæ ſi ex illo coïtu naſceretur, eſſet debilis, aut infirma, aut leproſa. Et quia hæc ratio nunc etiam in tempore euangelij extat, ſicut ante in tempore legis Moſaicæ: ideo iuxta iſtam rationem dicit legem illam eſſe moralem, & nunc etiam obligare ad culpam mortalem ſicut olim. Solet fieri argumentum hoc contra hanc opinionem. Minus eſt periculum in menſtruata de infectione prolis, quã in leproſa: ſed leproſa mulier nõ prohibetur exigere aut reddere, ergo nec menſtruata. Conſequentia eſt nota per locum à maiori ad minus. Prima antecedentis pars probatur ex communi medicorum ſententia, & ex probatiſsima experientia. Secunda pars antecedẽtis probatur per cap. j. & ij. de coniugio leproſorum. Sed huic argumento reſpondet Scotus, negando conſequentiam: quia licet certius immineat periculum prolis, de infectione prolis ex coïtu cum leproſa quàm cum menſtruata, non tamen inde ſequitur, quòd ſit maius nocumentum prolis: imò dicit eſſe multò minus in leproſa quàm in menſtruata. Quia magis (vt ille ait) eſt contra bonum prolis, quòd nunquam procreetur de illa matre, D

ſi illa

A ſi illa ſemper eſſet propter lepram vitanda, quàm quòd naſcatur leproſa. In menſtruata autem hoc non euenit, quia etſi proles in diebus menſtrui non concipiatur: poterit tamen in aliis diebus poſt purificationem concipi ſana. Et ideo iuſtum eſt menſtruatam paucis aliquot diebus abſtinere, vt poſtea prolem ſine damno illius concipere poſsit. Leproſam autem non ſic iuſtum eſt abſtinere, quia melius eſt proli naſcituræ leproſam eſſe, quàm nunquam eſſe. Et eodem modo reſpondent Thomiſtæ, qui beati Thomæ opinionem contra Petrum de Palude tuentur. Et propter eandem rationem dicunt etiam licitum eſſe coïre cum ea quæ perpetuum ſanguinis fluxum ex ægritudine tolerat. Quia hæc concipere non poteſt, & ſi conceperit, melius erit proli vt infirma oriatur, quàm vt nunquàm oriatur, ſi mulier perpetuò abſtineat. Sed certè hæc reſponſio non plenè mihi ſatisfacit, propter multa quæ mihi contra iſtorum opinionem occurrunt. Primùm eſt, quia nocumentum prolis quod dicunt futurum ex illo coïtu, eſt nimium incertum. Non eſt enim certum quòd mulier tempore illo concipiet, ſicut etiam non eſt certum mulierem non menſtruatam ex coïtu concepturam: imò magis credendum
B eſt mulierem tempore menſtruorũ non concepturam, quia ille menſtruus ſanguinis fluxus multũ impedit ad retinendum ſemen hominis in matrice vbi conceptio fieri debet. Nec, etiam ſi illa conciperet, eſt certũ prolem futuram eſſe monſtroſam: quoniam aliàs multa plura monſtra quotidie naſci videremus quàm nunc videmus. Quia cùm numeroſa (vt creditur) ſit hominum multitudo, qui cum menſtruatis mulieribus quotidie coëunt, multa etiam monſtra quotidie naſcerentur. Et inde apertè coniicimus non eſſe certum & ineuitabile prolem futuram eſſe monſtroſam, quæ à muliere menſtruata concipitur. Si certum eſſet aut proximum certitudini mulierem menſtruatam concepturam, & prolem futuram monſtroſam, tunc fortè mulier teneretur non exigere neq; reddere debitum viro petenti. Nam in hoc ſolo caſu ego puto intelligendum eſſe Auguſtinum qui quæſtione lxiiij. ſuper Leuiticum dicit, per talem legem in Leuitico poſitam non naturam damnari, ſed concipiendæ prolis noxiũ prohiberi. In quibus verbis id videtur Auguſtinus ſentire, quòd accedere ad menſtruatam *Auguſti.*

non eſt ex ſe,& ex natura ſua peccatum, ſed ſolum ratione C
nocumenti quod inde ſequitur proli. Ergo vbi non eſt certum nec veriſimile tale nocumētum futurum, tutè poterit mulier menſtruata exigere & reddere. Sunt etiã illa verba Auguſtini (vt ego cenſeo) hac conditione intelligenda, ſi is qui exigat aut reddit debitũ, hac intētione id agat vt proli noceat. Nam aliàs ſi id non intendat, exigens aut reddens non peccat, etiam ſi præter intentionē illius, nocumentum proli eueniat. Quoniam quiſq; poteſt iure ſuo vti quamuis inde damnũ alteri ſequatur, dummodo alterius damnum non velit, imò potius doleat quòd non poſsit iure ſuo vti quin damnum alteri inferat. In cuius rei probationem adduco ſimile ex l.ij.ff.de aqua pluuia arcenda, vbi Paulus iuriſconſultus ex ſententia Labeonis definit, vicinũ ſi flumen vel torrentem auerterit, ne aqua ad eum perueniat, & hoc modo ſit effectum quod vicino noceatur, non poſſe iure prohiberi ne tale flumen à ſe auertat, dummodo non hoc animo fecerit vt alteri noceat, ſed ne ſibi noceat. Idē etiam dicendum eſt in muliere menſtruata quæ debitum exigit aut reddit, quod licitè hoc facere poteſt, ſi non hoc animo facit vt proli cōcipiendæ noceat, ſed ne ſibi noceat. Et multò iuſtius hoc facere poteſt mulier menſtruata, quàm is qui D
flumen à ſe auertit. Quoniã qui flumen à ſe auertit, quamuis hoc non faciat animo nocendi, tamen verè nocet, & certum videt nocumentum, & certam videt perſonam cui tale infert ſuo opere nocumentum. At nihil horum contingit in muliere menſtruata debitum exigente aut reddente. Quoniam (vt diximus) non eſt certum nocumentum ſequi ex coïtu ſuo: nec certa eſt perſona, imò (vt rectius dixerim) nulla eſt perſona cui tale nocumentũ inferatur, quia nondum natus eſt ille cui tale nocumentum timetur eſſe inferendum. Nocumentum autem quod ſibi inferre poteſt ſi non exigit, aut maritò ſi non reddit, poteſt eſſe ipſi menſtruatæ certum. Quia corporalem, aut ſpiritualem infirmitatem quæ eſt adulterium, poteſt illa veriſimiliter timere in marito, ſi illi petenti debitum non reddit: & hoc ipſum poteſt timere in ſe ipſa ſi non exigit. Nam (vt medici docent) aliquando corporalis infirmitas curatur per carnalem viri & mulieris coïtum. Nullus autem meritò dubitare poteſt, quin magis teneatur homo ſuo certò periculo

culo prouidere, quàm alterius incertò. Nulla certè eſt comparatio certi ad incertum, ac proinde nulla eſt comparatio hominis viuentis ad prolem cuius conceptio eſt incerta. Ratio autē naturalis docet, vt incerta pro certis dimittamus: & ſi omnia fuerint pariter certa aut incerta, plus noſtro quàm alieno periculo prouideamus. Ex quibus circunſtantiis bene penſatis clare conuincitur mulierem menſtruatam debitum exigentem aut reddentē, damnum nullum facere. Quòd manifeſtè confirmatur per ſententiam illam quæ habetur in l. Nemo. ff. de regulis iuris. Nemo damnum facit, niſi qui id facit quod facere ius non habet. Mulier autem menſtruata ius habet exigendi & reddendi debitum: ergo hoc faciens non eſt cenſenda damnum facere. Secundò, contra eandem opinionem ſic argumentor. Si vir coiens cum vxore menſtruata peccat mortaliter, ergo vxor illi cōſentiens etiam peccabit mortaliter, quòd multi qui partem tuentur aduerſam apertiſsimè negant. Dicunt enim vxorem menſtruo fluxu pollutam non peccare, quum viro petenti reddit coniugale debitum, præſertim ſi de viri incontinentia timet, quamuis peccet vir quando ab eadem vxore coniugalem coitum exigit. Sed hæc illorum ſententia vel ex eo falſa eſſe conuincitur quòd vxor coniugale debitum reddens viro ſuo apertiſsimè conſentit & cooperatur illi ad actum illum: ergo etiam peccat perinde ac ille. Quia (vt Apoſtolus ait) non ſolùm qui talia agunt, ſed etiam qui agentibus conſentiunt, digni ſunt morte. *Rom. 1.* Et confirmatur hoc argumentum per eandem Leuitici legem, quæ non ſolùm virum accedentem ad vxorem menſtruatam, ſed ipſam etiam vxorem iubebat occidi. Hoc autem nequaquam lex fieri præcepiſſet, ſi vxor menſtruata viro conſentiens, magis eſſet à peccato libera quàm vir. Præterea, tertiò & principaliter contra iſtorum doctorum opinionem arguo: quia ex illorum ſententia ſequeretur, quòd mulieri fluxum ſanguinis continuum patienti, aut leproſæ non eſſet licitum exigere, aut reddere debitum. Conſequens eſt falſum, & ab illis omnibus negatum. Conſequentiam autem probo ex ipſa ratione differētiæ, quam illi aſsignant inter mulierem menſtruatam & leproſam, aut continuum ſanguinis fluxum patientem. Nam hæ infirmitates & ægritudines, videlicet lepra & continuus ſanguinis

guinis fluxus non ſunt omnes prorſus incurabiles: ergo C
quandiu aliqua ſpes ſalutis merito habetur, tenebitur mulier leproſa aut quæ continuum ſanguinis fluxum patitur, non exigere nec reddere debitum. Quia ſicut mulier menſtruata (vt illi dicũt) propterea quod poteſt expectare tempus in quo ſine nocumento prolis concipiendæ coëat, tenetur in tempore menſtrui abſtinere, propter eandem rationem mulier leproſa aut quæ ſanguinis fluxum ex ægritudine patitur, tenebitur abſtinere à coitu quãdiu merito habet aliquam ſalutis ſpem: quia etiam hæc poteſt expectare tempus in quo ſine vllo prolis nocumento coire valear. Deinde, differentia illa, quam inter mulierem menſtruatam, & leproſam, aut ſanguinis fluxum perpetuò patiẽtem illi reddunt, apertè conuincitur nullius eſſe valoris. Quia ſi cauſa, cur talis coitus cum muliere menſtruata prohibetur, eſt nocumentum prolis: ergo quandiu durat talis cauſa, durabit etiam talis prohibitio. Alioqui illa non eſſet ſufficiens prohibitionis cauſa, ſi tali cauſa aliquando exiſtente, talis prohibitio ceſſaret. Ex quibus apertè conuincitur, vt coitus cum muliere leproſa, aut quæ perpetuũ ſanguinis fluxum patitur, ſit perpetuò prohibitus: quoniam D
perpetuò adeſt illa prohibitionis cauſa, videlicet nocumentum prolis concipiendæ. Accedit ad hæc, quòd præceptorum negatiuorũ obligatio, nullo tempore limitatur, quia talis conditionis & naturæ ab omnibus eſſe cenſentur, vt ſemper & pro ſemper obligare dicantur. Si prohibetur coitus ex quo nocumentum prolis ſequi præſumitur, ergo perpetuò prohibetur, & ſemper durat illa prohibitio. Et inde ſequeretur, vt coitus cum leproſa, aut quæ perpetuum ſanguinis fluxum patitur, eſſet perpetuò prohibitus. Rurſum, tertiò principaliter, & (vt ego exiſtimo) inſolubili argumento contra eandem opinionem arguo, ex alia Leuitici lege, quæ apertiſſimè oſtendit talem coitum cum muliere menſtruata, nec ex ſe nec ratione prolis concipiendæ
Leuit.15. eſſe peccatum. Nam in quinto decimo Leuitici capite hæc habetur lex. Si coierit cum muliere vir tempore ſanguinis menſtrualis, immundus erit ſeptem diebus: & omne ſtratum in quo dormierit, polluetur. Hæc lex in faciẽ pugnare videtur cum alia Leuitici lege, de qua nunc agimus, quæ habetur cap. xx. & præcipit pœnam mortis inferre mulieri
menſt

A menſtruatæ, & viro qui coit cum ea, cùm tamen prior lex nihil aliud præcipiat, quàm vt immundus ſit ſeptem diebus. Hanc facialem diſſonantiam alij aliter tollere nituntur. Radulphus Flauiacenſis lib.xiiij.capit. vj. explanationum ſuper Leuiticum, credens apertam eſſe inter illas duas literas contradictionem, dicit literæ ſenſum eſſe reiiciendum, & ſolum ſpiritualem eſſe neceſſariò requirendum. Sed abſit vt in lege domini iuxta literam intellecta cōtradictionem eſſe dicamus. Nam etſi omnia, quæ in lege illa continebantur (vt Paulus ait) figuræ quædam erant eorum, quæ in lege euangelica ſperabantur, & ſpiritualem aliquem prætendebant ſenſum, non tamen iuxta illum ſolum ſpiritualem ſenſum, ſed iuxta literam tunc filiis Iſraël mandata fuerunt. Et inde conſequens eſt, vt nullam in lege illa iuxta literam intellecta, cōtradictionem eſſe dicamus, ne in lege Dei aliquod impoſsibile præceptum eſſe fateamur. Fortaſsis alij dicent, legem illam præcipientem occidere virum cum muliere menſtruata coeuntem, eſſe intelligendam de illo ſolo, qui cum aliena vxore hanc turpitudinem fuit operatus. Verùm hæc ſententia facillimè refel-

Radulphus.

1. Cor. 10.

B litur per hoc, quòd ille, qui cum alterius vxore coiſſet, ſiue illa menſtruata, ſiue abſque menſtruo fuiſſet, iubebatur occidi, vt patet in eodem xx. Leuitici capite. Superfluum igitur fuiſſet particularē legem condere, quæ coëuntem cum menſtruata iuberet occidere, cùm iam in eodem capite id fuiſſet per aliam vniuerſalem legem mandatū. Hugo Cardinalis illas duas Leuitici leges, quæ velut ex diametro pugnare videntur, ad hunc modum conciliat, vt prima quæ tantùm præcipit ſeparationem ſeptem dierum intelligatur de illis, qui ignoranter coierunt cum menſtruata, alia verò poſterior, quæ tales coëuntes iubet interfici, intelligatur de illis, qui ſcientes menſtruum, ex induſtria ſe miſcuerunt. Hæc tamen ſententia inde conuincitur eſſe falſa, quòd lex illa poſterior non ſolùm iubet virum interfici, ſed ipſam etiam mulierē menſtruatam à viro cognitam. Mulier autem vix poteſt ignorare ſe eſſe menſtruatam, licet vir hoc facilè poſsit. Melius igitur Nicolaus de Lyra, quem in hac parte ſequitur Abulenſis, hanc facialem legum diſſonantiam tollit dicens, priorem Leuitici legem eſſe intelligendam de illo, cuius factum eſt occultum, & nunquam fuit de

Hugo.

Nicolaus de Lyra.

Abulēſis.

hac

hac re in iudicio conuictus. Alteram verò poſteriorem de C illo ſolo intelligendam cenſet, qui ſciens acceſsit ad mulierem menſtruatam & fuit de hac re in iudicio accuſatus & conuictus. Et hanc Nicolai Lyrani ſententiam probare videtur Paulus Burgenſis, propterea quòd illum in additionibus ſuis de hac re non reprehendit. Nam ſi illi non placuiſſet libēter illum de hac re reprehendiſſet, cùm diligentiſsimè Nicolai ſcripta exploraſſe videatur, vt inueniret quid in illo reprehenderet. Hac igitur duarum illarum legum concordia data, operæprecium erit cauſam inquirere, quare is qui de coitu cum muliere menſtruata eſt in iudicio conuictus, iubetur pœna mortis puniri, illæ verò qui occultè hoc fecit ſolùm pręcipitur vt ſit ſeptem diebus immundus. Nam ſi ſola prohibitionis cauſa fuit periculū prolis concipiendæ, cùm ſimile periculum immineat proli ex coitu occulto ſicut ex coitu parentū publico, ſequeretur, vt etiam coitus illorum occultus eſſet peccatū mortale, perinde ac publicus. Pręterea, ſi peccat mortaliter qui coit cum muliere menſtruata, cur non iubetur occidi aut alia grauiore pœna puniri, quāuis eius coitus ſit occultus? Deinde, ſi talis ſic coiens nocet proli futuræ, cur in pœnam & teſtimoniū talis nocumenti non grauius punitur? Si dicas quòd D quia erat ſecretum, & ipſe non debebat ſe prodere ad mortem, ſaltem poterat illi alia maior pœna in ſecreto imponi ab ipſa lege, aut ſacerdoti cui ſua manifeſtaſſet peccata pręcipi poterat quod aliquam grauiorem pœnam imponeret, prout in aliis multis peccatis lex fieri iubebat. At cùm nihil horum lex præceperit, ſed eam ſolam viro impoſuerit pœnam, quam mulieri menſtruum patienti quāuis ad virum non acceſsiſſet, impoſuerat, ex ipſa ratione pœnæ conuincitur talem viri coitum ex ſe non eſſe maius peccatum, quàm ſit mulierem pati menſtruum, quòd conſtat non eſſe peccatum, præſertim mortale. Nam ſi peccatū aliquod erat, exigere à muliere menſtruata in occulto, illud ex ratione pœnæ innuitur eſſe veniale: quia peccata mortalia multò grauius in illa lege puniebantur. Coitus autem cum muliere menſtruata de quo quis in iudicio fuiſſet conuictus, pœna mortis puniebatur: non propter ſolùm coitum ſed propter cæremonias legis publicè violatas, quæ ne venirent in cōtemptum acerbè puniebantur. Publicum enim

& ſecr

A & ſecretum non variant genus aut ſpeciem peccati, ita vt quod ſecretè factum eſt, veniale, publicè verò factum ſit mortale, niſi fortè ratione ſcandali accepti & non dati, quod aliquando propter ignorantes & infirmos omittendum eſt. Sed ex particulari circunſtantia ignorantium aut infirmiorum, quæ ipſi operi publico accidit, non eſt ſumenda generica aut ſpecifica operum differentia, ita vt ſecretum & publicum genere aut ſpecie differre dicantur. Et inde apertè conuincitur, vt ſi ſecretus coitus cum muliere menſtruata non erat peccatum mortale, etiam coitus in iudicio probatus non ſit peccatū mortale. Ex his omnibus conſtat præceptum illud quo præcipiebatur morte puniri is, qui de coitu cum muliere menſtruata eſſet conuictus, eſſe ſimul cæremoniale & iudiciale. Quatenus præcipit ſeptem diebus abſtinere ab vxore, vel ex eo conſtat eſſe cæremoniale, quòd non omnes mulieres per tot dies durant in menſtruo, ſed aliquæ per plures dies, & multæ per pauciores. Et quia illi dies non ſunt ideo ad ſeparationem limitati, quia tot diebus & non pluribus nec paucioribus menſtrua durant, inde manifeſtè conuincitur talem dierum limitationem eſſe ad ſolam cęremoniam referendam. Quatenus illud præceptum pœnam imponit, conſtat eſſe inter iudicialia numerandum, & ex pœna in illo impoſita conſtat illud tunc obligaſſe ad culpam mortalem. Ex nulla tamen parte pręceptum illud obligat nunc in lege euangelica, in qua per mortem Chriſti iudicialia ſimul & cæremonialia omnia reuocata ſunt. Scio eſſe aliqua ſanctorum doctorum verba, quibus dicunt eſſe ex iure diuino non accedere ad menſtruatam, & illud deberi nunc in lege euangelica obſeruari, ſunt tamen illorum verba ad hunc ſenſum intelligenda, vt non dicant debitum obligationis, ſed ſolùm debitum honeſtatis & congruentiæ. Et hoc debitum ſæpe appellare ſolent ius diuinum, non quidem tale quod peccati mortalis obligationem inducat, ſed quod ad maius meritum hortetur.

In capit. Omnis vtriuſque ſexus, de pœniten. & remiſſ. habetur ſtatutum quoddam ſiue decretum ad inſtar legis pœnalis miſtæ, quod iuxta omnium theologorum & canoniſtarum ſententiam obligat ad culpam mortalem. Hæc autem tanta obligatio non aliunde conuinci poteſt, quàm

quàm ex pœna quæ per tale decretum imponitur, quæ tanta eſt, vt non niſi pro culpa mortali meritò potuiſſet imponi. Nam ſi pœnam illam ſecludere velimus, & ſola verba inſpiciamus quibus decretum illud vtitur, quum cōfeſsionem quotannis faciendam ſtatuit, nullo modo probare poterimus decretum illud obligare ad culpam mortalem. Quoniam nullum eſt in illo decreto verbum præcepti aut æquipollentis præcepto, ſed ſolùm ponitur verbum imperatiuum: quod nunquam ſe ſolo (vt aliàs diximus) oſtendit obligationem ad culpam mortalem. C

Oſtendimus per multa exempla ex lege diuina & humana, quomodo obligatio legis pœnalis miſtæ ad culpam cognoſci poſsit ex pœna quæ per illam imponitur: ſupereſt vt per alia exempla oſtēdamus quomodo obligatio etiam legis pœnalis miſtæ cognoſcatur, nullo habito reſpectu ad pœnam, ſed ſolùm ex verbis quibus illa vtitur ſtatuens id quod ad mores ſpectat. Primùm ex iure communi præſertim canonico, deinde ex iure regni Caſtellæ aliqua proponam exempla, vt ex illis diſcat lector quomodo cuiuſlibet legis pœnalis miſtæ obligationem cognoſcere poſsit. Lex quæ ponitur in cap. Miſſas, de conſecr. diſtinct. j. eſt lex pœnalis miſta, vt ex literæ decurſu conſtat, & talis lex obligat ad culpā mortalem. Quia etſi ex pœna quæ illic ſtatuitur, hoc non poſsit cognoſci, conuincitur tamen per hoc quòd ante impoſitionem pœnæ vtitur verbo præcepti, ſic dicens. Miſſas die dominico ſecularibus totas audire ſpeciali ordine præcipimus. In cap. Fœlicis, de torneamentis, lex pœnalis miſta continetur, quæ etſi nullā pœnā imponeret, vel ex hoc conuinceretur obligare ad culpam mortalem: quòd vtitur hoc verbo, prohibemus. Et idem cōtingit in capitul. Vnico, de ſagittariis. In capit. Romana. §. Procurationes, de cenſibus, lib. vj. lex cōtinetur pœnalis miſta, quæ ſine vllo reſpectu ad pœnam impoſitā, apertè oſtendit ſe obligare ad culpā mortalem, quia in §. Hanc autē, ponit hoc verbū præcipimus, quod (vt manifeſtè conſtat) refertur ad omnia in illo capitulo cōtenta. Et certè hæc exempla ſufficiunt cuilibet bene conſideranti, nec opus eſſet plura addere, quia de reliquis omnibus, ſi ad iſta cōferantur, facilè quiſq; iudicare poterit. Sed quia aliquæ ſunt leges de iure regni Caſtellæ circa quarum obligationē multi hactenus errauerunt, & D

A aliis occaſionem erroris dederunt, ideo de vna & altera illarum impræſentiarum ſpecialiter tractare decreui, vt apertè quorundam errorem conuicam, & ſic viam præcludam aliis ne ad ſimilem errorem ducantur.

Inter multas quæ in regno Caſtellæ ad bonam illius conſeruationem & vtilitatem conditæ ſunt leges, vna eſt quæ prohibet vt nullo modo ſine expreſſa Regis licentia equi ab ipſo regno ad aliud regnum transferantur, ſiue hoc per venditionem & emptionem, aut per commutationem, aut per liberalem donationem, aut alio quouis modo fiat. Si quis autem contrarium fecerit, illi pœnam imponit lex, vt priuetur illo equo, & medietate omnium bonorum ſuorum, & tandem interficiantur. Hæc lex habetur in libro ſexto regalium ordinationum, titulo ix. leg. x. Hac tamen lege non obſtante multi ſunt qui equos à regno clam educere non formidant. Nec deſunt qui illos à culpa excuſent dicentes, legem illam propterea quia pœnalis eſt, non obligare ad culpam. Quia lex pœnalis (vt dicunt) non obligat antequam comdemnentur. Quæ ſententia dupliciter errat apertiſsimè, & in eo quod aſſerit, & in eo quod B ad illius probationem aſſumit. Primò quidem ſententia illa duplici ratione conuincitur eſſe falſa, videlicet ratione pœnæ quam imponit: & ratione verborum quibus in prohibitione vtitur. Pœna quæ illic imponitur (vt euidentiſsimè conſtat) tanta eſt, vt non niſi pro graui culpa mortali meritò potuiſſet imponi. Verba quibus lex vtitur ſunt manifeſta verba prohibitionis, quæ (vt ſuperius diximus) ſemper indicant culpam mortalem. Nam verba legis ſunt quæ ſequuntur. Non poſsint vendere, aut commutare, aut teſtamento legare, aut alio quouis modo homini à regno extraneo equum donare. Quum dicit: Non poſſint, non de potentia virium naturalium, ſed de iuris potentia intelligendum eſt, prout dicitur in cap. Faciat, iuncta gloſſa xxij. quæſtio. ij. Hoc poſſumus quod iure poſſumus. Quamuis igitur nulla eſſet in tali lege pœna impoſita, ex ſolis tamen ipſius legis verbis facilè cognoſcitur legē illam obligare ad culpā mortalem. Quòd autem obiiciunt cōmune prouerbiū, legē pœnalē nō obligare ante cōdēnationē, quāuis hoc ſemper verū eſſet, de quo in ſe-

A ta clam & latenter vendiderunt. E quibus aliqui ad cor redeuntes, & aliquã ſuæ conſcientiæ rationem habentes conſuluerunt de hac re viros doctos, an ſic vltra pretium taxatum vendentes, peccauerint, & an tenerentur ad reſtitutionem illius quòd vltra tale pretium acceperũt. Scio aliquos fuiſſe qui rem non bene aduertentes dixerũt tales nón peccaſſe, nec teneri ad reſtitutionẽ illius quòd vltra acceperũt: quia cũ lex illa pœnalis fuiſſet, per hoc quòd ſe committebant periculo pœnę per legẽ impoſitę dicebãt illos liberari à culpa. Ego tamen ſemper cõtrariam tenui, & nunc etiam teneo ſententiam, & ſemper his qui me de hac re conſuluerũt, reſpõdi illos non poſſe à ſuis peccatis abſolui, niſi talẽ pretij exceſſum his à quibus receperant, reſtituerent. Nam quòd illi ſic facientes peccauerint, ex verbis ipſius legis, etiam ſi nullus habeatur reſpectus ad pœnam, facilè cõuinci poteſt. Quoniam lex illa ſiue pragmatica vtitur apertis verbis præcepti & prohibitionis, quę(vt ſæpe iam diximus) ſemper indicant obligationem ad culpam mortalem. Præterea, illi qui contra legem illam frumẽta vendiderunt, apertè fecerunt contra legem diuinam quæ prohibet furtum fieri: ergo peccauerunt mortaliter, & tenentur ad rei furtiuæ reſtitutionem. Conſequentia eſt manifeſta, per illud quod dicitur de regulis iuris libro vj. Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatũ. Antecedens verò ex quo tota vis argumenti pendet, probatur hac euidenti ratione. Omnis iniuſtitia & inæqualitas quæ committitur in emptione & venditione, aut rerum permutatione, eſt prohibita per legem diuinam, & non per aliam quàm per illam quæ furta prohibet: In tali autem venditione frumenti vltra pretium taxatum committitur iniuſtitia, & fit inæqualitas: ergo talis venditio vltra pretium taxatum eſt contra legem illam diuinam qua furta prohibentur. In huius argumenti confirmationem eſt, quod Paulus optimus diuinæ legis interpres, Theſſalonicenſibus ſcribens, & illis Dei voluntatem aperiens, inter alia dicit. Et ne quis ſupergrediatur, neq; circunueniat in negotio fratrem ſuũ, quoniã vindex eſt dominus de his omnibus, ſicut prædiximus vobis & teſtificati ſumus. Quæ verba interpretans Anſelmus in cõmentariis ſuper epiſtolas Pauli ait. Supergreſsio enim eſt, vbi pro minore pretio illud quod maioris pre- *1. Theſ. 4.*

cij eſt,elicitur. Circunuentio autem, vbi per dolum frater C
in ipſa venditione vel emptione decipitur. Hæc ille. Sicut ergo iuxta Anſelmum, ille ſupergreditur in negotio fratrem qui pro minori emit quod maioris eſt precij: ita etiã è contrario ille ſupergreditur in negotio fratrem qui pro maiori vendit quod minoris eſt precij. Et vtrumq; Paulus dicit eſſe contra Dei volũtatem, quia Dei volũtatem dixit eſſe vt talia non fiant,& poſtea ſubdit Deum de his omnibus eſſe vindicaturum. Ex quibus apertè conuincitur illos, qui vltra precium per pragmaticam taſſatum frumenta vendiderunt, legem diuinam præteriiſſe, quia ſupergreſsi ſunt in negotio fratrem ſuum. Et inde vlterius ſequitur illos mortaliter peccaſſe & teneri ad reſtitutionem, quanuis ſe expoſuerint periculo pœnæ per legem ſtatutæ. Quia(vt iam ſupra probauimus) lex pœnalis nunquam tollit obligationem culpæ quæ eſt per legem diuinam impoſita. Forte quis reſpondebit negando eos qui vltra precium taſſatum vendiderunt, egiſſe contra legem diuinam : quia talis precij taſſatio non eſt per legem diuinam, ſed per ſolam legem humanam facta. Sed hanc reſponſionem nullius prorſus eſſe valoris, vel ex eo apertè conuincitur, quòd aliud eſt D
precia rebus imponere, & longè aliud eſt prohibere ne vltra precia ſignata res vendantur. Impoſitio precij eſt ex lege humana : ſed hac precij impoſitione facta, ſtatim lege diuina prohibetur ne quis ſupergrediatur in negotio fratrem ſuum, hoc eſt, ne maiori precio res vendat quàm ipſæ valeant. Si lex humana poſtquam declarat æquale & iuſtum rei precium, præcipit vt nullus vltra tale precium rem vendere præſumat, non inducit nouam obligationem, ſed declarat eam quæ lege diuiua eſt impoſita poſt talem precij taſſationem. Aliqua enim ſunt lege diuina ſtatuta, quæ non obligant ad culpam niſi præſuppoſita alia lege humana. Nam lex quæ prohibet furtum nunquam obligabit in captione alicuius rei particularis, niſi ſuppoſita rerum diuiſione, & particulari illarum dominio, quoniam particulari rerum dominio ſublato nunquam furtum committetur. Talis autem rerum diuiſio non eſt ex lege naturæ, aut diuina, ſed ſolo iure humano introducta, prout docet Auguſtinus ſuper Ioannem, & citatur à Gratiano in cap. Quo iure, diſtinct. viij. Lex diuina

quæ

A quæ prohibet opera ſeruilia in ſabbato facere, nunquam obligabit ad culpam in aliquo die particulari, niſi prius lege humana, quis dies ſit pro ſabbato habendus, ſtatuatur. Poſtquam tamen lex humana ſtatuit diem dominicum eſſe pro ſabbato habendum, ſtatim lex diuina præcipit vt omnes illo die ab operibus ſeruilibus abſtineant. Idem prorſus contingit in caſu de quo impræſentiarũ diſputamus. Lex humana precium rebus imponit, hoc autem precio per legem humanam taxato, ſtatim lex diuina prohibet ne aliquis vltra tale precium rem ipſam vendat. Ex quo apertè deducitur, non ſolùm laicos ſed etiam eccleſiaſticos viros peccaſſe & poſtea teneri ad reſtitutionem exceſſus, ſi frumentum aliquod vltra precium per dictam pragmaticam taxatum vendiderunt. Quia etſi viri eccleſiaſtici non ſubdantur legibus imperatorum aut regum, aut cuiuſuis alterius laicæ poteſtatis: ſubduntur tamen legi naturali & diuinæ. Lex autem naturalis & diuina prohibet, vt nullus vltra iuſtum precium rem aliquam vendat. Illud autem cenſendum eſt iuſtum precium quod fuerit per publicam poteſtatem taxatum: ergo illa B taxatione per legem humanam facta tenebuntur viri eccleſiaſtici perinde ac laici ad non vendendum vltra illud precium. Quòd autem princeps poſsit legem ſtatuere, per quam precia rerum præſertim neceſſariarum taxentur, probatur manifeſtè per id, quod habetur in l. j. §. Cura carnis. ff. de officio præfecti vrbis, vbi Vlpianus iuriſconſultus ait. Cura carnis omnis vt iuſto precio præbeatur, ad curam præfecturæ pertinet. Et in l. Annonam. ff. de extraordinariis criminibus, mandatur præſidibus prouinciarum, vt diligentiam adhibeant ne annona onaretur, hoc eſt, cariori quàm oporteat precio vendatur. Et in conſtitutionibus Salmanticenſis vniuerſitatis æditis per Martinum papam huius nominis quintũ, conſtitutio viceſima quinta eſt, vt domorum in quibus ſtudentes habitant precium locationis taxetur per aliquos ex ciuitate & ſtudij vniuerſitate ad hanc rẽ deputãdos. Et nullus ſine pœna excõmunicationis ipſo facto incurrẽda poteſt alicui ſtudenti domũ locare niſi hac cõditione, vt preciũ locationis per deputatos taxetur. Prætereà, quod rerũ victui neceſſariarũ precia poſsint per publicã poteſtatẽ taxari, & ſi lege non defi-

niretur, ex naturali poſſet ratione cõuinci. Nam regi circa regnum ſuum, & præſidi prouinciæ circa prouinciam, & præfecto vrbis circa vrbem ſibi cõmiſſam incumbit ea prouidere & ordinare quæ ad vtilitatem populi ſibi commiſsi pertinent. Inter illa autem quæ vtilia eſſe reipublicæ cognoſcuntur, vnum & non minimum eſt, vt frumenta bono pretio & moderato habeantur. Alioqui ſi omnibus permiſſum eſſet eo quo vellent pretio, quamuis cariſsimo frumenta vendere, aperta per hoc daretur licentia diuitibus, vt tempore ſterilitatis pauperum ſubſtantias deuorarent. Quoniam tam magno pretio frumenta venderé poſſent, vt numeroſa plebis multitudo illi reddendo non ſufficeret, & ſic neceſſe eſſet illam fame perire, aut pro frumento emendo totam ſuam ſupellectilem reddere. Ob hanc enim cauſam in l. vnica. C. de monopoliis, prohibentur monopolia præſertim rerum ad victum humanum neceſſariarum fieri, ne hac occaſione ipſæ res cariori pretio vendi contingat. Præterea, non minorem poteſtatem habet rex, aut præſes prouinciæ, aut quæuis alia publica poteſtas ad taxandum pretium frumenti, aut cuiuſuis alterius rei, quàm communis populi conſuetudo: ſed communis populi conſuetudo eſt quæ pretium rebus imponit, ita vt ſine noua iuſta cauſa ſuperueniente nulli cum ſecuritate conſcientiæ liceat vltra communis conſuetudinis pretium rem aliquam vendere: ergo rex, aut quæuis publica poteſtas habet etiam authoritatem ad imponendum pretium rebus vltra quòd nemini res ipſas vendere licet. Si quis forte obiiciat quod frumenti & aliarum rerum venditores læduntur per talem pretij taxationem, huic ego reſpondeo, negando quòd illi lædantur, niſi forte hac ratione illos lædi dicas, quia non lucrantur quantum poſſent lucrari ſi non fuiſſent illis pretia taxata. Hoc tamen re vera non eſt lædi, quia per talem taxationem non aufertur ab eo quod iure ſuum erat, ſed imponitur frænum nimiæ illorum auaritiæ, vt non quodcunque optant, accipere poſsint. Præterea, contra hanc ſententiam quidam arguunt, quia quilibet in rebus ſuis eſt moderator & arbiter, vt dicitur in l. In re mandata. C. Mandati. Ex qua ſententia ſequi videtur vt nullus in rebus alienis, ſed quilibet in ſuis poſsit pretium imponere. Reſpondeo,

illa

A illa legis ſententia tunc vera eſt quando non eſt per legem aut ſuperiorem impeditus, tunc enim quilibet in re ſua eſt moderator & arbiter. Si tamen per legem aut per ſuperiorem quis ſit impeditus, etiam ſi res ſit ſua, non poterit in ea eſſe moderator & arbiter. Nam ob hanc cauſam minor vigintiquinque annis non poteſt vendere aut donare rem aliquam quamuis ſit ſua: quia ne hoc faciat, eſt per legem prohibitus, vt habetur in l. Pupillus. ff. de acquirendo rerum dominio. Eadem ratione vxor ſine licentia mariti nec vendere poteſt nec donare rem aliquam quamuis ſit ſua: quia lex hoc illi interdicit, vt patet in capit. Quòd Deo. xxxiij. quæſtione quinta. Reſpondeo iterum ſecundò ad argumentum, quòd & ſi gratis concedamus vniuerſaliter verum eſſe, quemlibet in re ſua eſſe moderatorem & arbitrum, non tamen inde ſequeretur, vt neceſsitate populi vrgente publica poteſtas non poſsit pretia rerum taxare. Quia tali vera neceſsitate vrgente maius dominium habet populus aut qui illius vices gerit ad faciendum de re qualibet particulari id, per quod ſuccurri poteſt populi neceſsitati, quàm ipſemet homo qui
B rem illam poſsidet. Nam ob hanc cauſam quum populi neceſsitas vrget, poteſt quilibet ex populo compelli, vt rem qua populus eget, etiam inuitus vendat, vt dicitur in l. Annonam. ff. de extraordinariis criminibus. Hac tamen neceſsitate ſecluſa nullus poſſet ad vendendum compelli, prout habetur in l. Dudum. C. de contrahenda emptione. Ratio enim naturalis docet plus communi totius populi, quàm particularis hominis neceſsitati eſſe conſulendum. Nam in corpore humano ad cuius imitationem (vt Paulus docet) quælibet reſpublica eſt inſtituenda, quodlibet *Rom. 12.* particulare membrum ſe committit quamlibet magno periculo propter totius corporis conſeruationem. Tertiò adhuc reſponderi poteſt, id quod dicitur, quemlibet eſſe in rebus ſuis moderatorem & arbitrum, intelligendum eſſe ſi id quiſque intra iuſtitiæ metas faciat. Nam ſi iuſtitiæ metas rem ſuam moderando aut arbitrando exceſſerit, tunc lex illi non concedit, vt iſto modo in rebus ſuis ſit moderator & arbiter. Alioqui ſi pretij iuſtitia ex ſola vendentis voluntate penderet, ſequeretur inde, vt in nulla re

vendibili ſit pretij iuſtitia certa. Quoniam maxima iuſtitiæ latitudine data, vltra illam poterit quiſque ſi voluerit, rem ſuam vendere. Sequeretur etiam vt nullus, quamnis clariſsimè vendat, excedat in venditione medietatem iuſti pretij: quia illud dicetur eſſe iuſtum, ſi ex ſola domini vendentis voluntate penderet iuſtitia pretij. Non poteſt ergo quiſque in rebus ſuis eſſe moderator & arbiter, niſi illas moderetur infra iuſtitiæ latitudinem. At quum lex pretium rei taxat, nulla eſt ibi iuſtitiæ latitudo: ſed eſt punctualis & indiuiſibilis iuſtitia: illa ſcilicet quæ eſt per legem taxata, vltra quam nemini progredi licet. C

Vt igitur ea quæ tam latè dixi ad compendium reducam, dico legem illam ſiue pragmaticam quæ frumentorum pretia taxauit, obligaſſe tranſgreſſores ad culpam mortalem, non obſtante pœna per legem impoſita. Quia lex illa non fuit purè pœnalis, ſed miſta, & ideo etiam ſi nullus ad pœnam habeatur reſpectus, poteſt illius obligatio cognoſci ex verbis quibus vtitur, quum de pretio frumentorum ſtatuit. Verba autem illa (vt diximus) apertum declarant præceptum, & manifeſtam prohibitionem, ex quibus euidenter cognoſcitur legem illam obligaſſe ad culpam mortalem. Et inde vltra ſequitur, vt quamuis pœna legis illius fuerit alicui tranſgreſſori inflicta, ipſe tranſgreſſor teneatur nihilominus ad reſtitutionem illius quod vltra iuſtum pretium accepit. Quia reſtitutio pretij ſuperabundantis eſt neceſſario facienda ex lege diuina quæ præcipit omne iniuſtè ablatum reſtitui: ergo per paſsionem pœnæ (vt proximè præcedenti capitulo probauimus) non poterit aliquis à tali reſtitutione facienda liberari. Nam talis pœna non imponitur per legem ad recompenſationem damni quod venditor intulit emptori, ſed ſolùm ponitur ad recompenſationem iniuriæ quam intulit legislatori illius legem tranſgrediendo. Et inde apertè conuincitur, vt facta ſatisfactione iniuriæ legislatoris per pœnam toleratam, teneatur nihilominus legis tranſgreſſor ad recompenſationem damni quod intulit emptori, quando illi frumentum vendidit vltra pretium per legem taxatum. D

Multas

A Multas alias leges pœnales miſtas poſſem impræſentiarum citare, vt de illarum obligatione differerem, ſed ne plus iuſto prolixiorem facerem tractatum, conſulto omittere decreui, ſatis eſſe exiſtimans quod generalia documenta dederim, per quæ ſi bene aduertantur, facilè quiſque de qualibet lege pœnali miſta cenſere poterit, quanta ſit illius obligatio. Ne tamen ex defectu exemplorum ipſa documenta manerent obſcura, placuit aliquas in medium proponere leges, de quibus videbam maiorem eſſe inter viros doctos quæſtionem, & quæ maius nocumentum ſi illarum obligatio non agnoſceretur, inferre poſſent.

Finis libri primi de poteſtate legis pœnalis.

P 5

F. ALFONSI A CASTRO ZAMORENSIS, ORDINIS MINORVM, DE POTESTATE LEGIS POENALIS,

LIBER SECVNDVS.

Præfatio.

HACTENVS de illa ſola legis, quam pœnalem vocant, poteſtate, quæ circa id, quod potiſsimum per illã ſtatuitur, verſatur, libro primo diſſerui, probans manifeſtis, niſi mea me fallit opinio, argumentis pœnam, quæ ad meliorem legis obſeruationem ab ipſa lege ſtatuitur, nihil obſtare quin lex eadem ſub reatu culpæ mortalis obliget ad id quod primo ſtatuerat. Nunc ſupereſt, vt in hoc ſecundo libro alteram eiuſdem legis poteſtatem, quæ ſolam reſpicit obligationem ad pœnam, ab hoſtium oppugnatione & oppreſsione vindicem, & in libertatem aſſeram. Pro qua re multò plures me exanclare labores, multóque maiores exerere vires oportebit. Quoniam huius poteſtatis tutelam tanto maius mihi faceſſere negotium proſpicio, quanto illam magis op-

C

D

preſſam

A preſſam iacere, & à plurimis fortiſsimis viris coërceri & reprimi video, ne in ſuum ſtatum exurgat, & ſic ſuas vires omnibus palam facere poſsit. Sunt enim aliqui, & hi non pauci neque parum potentes, qui legis pœnalis poteſtatem vſque adeò eneruare nituntur, vt non verea ntur paſsim proclamare, illam, niſi iudicis ſententia, quæ illi ſuffragetur, præcedat, nunquam poſſe reum aliquem facere pœnæ obnoxium & addictum. Credo tamen eos, qui ita ſentiunt, fuiſſe à nimia huius ſententiæ lenitate & manſuetudine perſuaſos, vt illi fauerent. Nam hæc illorum ſententia nimium placida eſt & ſuauis, quæ ſua vocis dulcedine, velut quædam Syrena blanditur animis audientium, cuius dulcedinis blandimento tam multos docto-
B res theologos perinde ac iuriſperitos pellexit, vt ſola patronorum multitudine vincere putet. At, contraria ſententia, pro qua ego ſum pugnare paratus, ſuo acri rigore exaſperat lectores pariter & auditores, qua ſola ratione moti multi illam execrantur & horrent. Et certè (vt ingenuè loquar) ego etiam abhorreo tantam legum pœnalium multitudinem, quæ ſæpe nihil aliud efficit, niſi hominum conſcientias illaqueare & irretire. Ob quam cauſam ego frequenter opto vt à multis huiuſmodi legibus, ſola pœnæ comminatione retenta, obligatio ad culpam tolleretur. Sed quum iam illæ ſemel latæ ſunt, ego aliud de illis ſentire non poſſum, niſi quod

illæ verbis ſuis prædicant, & oſtentant. Et quia C apertiſsimam video eſſe hanc multarum pœnalium legum poteſtatem, ideo non dubitaui in arenam deſcendere, vt pro illa contra omnes illius hoſtes quamlibet multos & fortes pugnem. Non eſt enim æqua omnium legum pœnalium conditio, nec per conſequens æqua omnium illarum poteſtas, ſed pro varietate legũ varia etiam cenſenda eſt illarum potentia. Et hinc eſt quòd non poterit vna de omnibus dari definitio, ſed iuxta id quod cuiq; illarum pro ſui generis conditione conuenit, de illis dicere oportebit. Sed ante omnia, id quod à principio operis feceram, lectorem exoro, vt ſi huius diſputationis iudex eſſe velit, omnem prius à ſe propellat humanum affectum, quatenus rectius poſsit de his quæ dixero cenſere. Nam ſicut is cui in auribus eſt aër, D niſi ſit tranquillus & minimè ſonans, ſed tinnitu fuerit ac tumultu plenus non exactè percipit ea quæ dicuntur: ita ſi quid humani affectus obſtrepat aut ſibilet intus in mente iudicis, nequaquam rectè iudicabit de his quæ legerit aut audierit. Lectorem igitur, quẽ ſolum huius diſputationis iudicem futurum agnoſco, per Chriſtum exoro vt non accedat contentioſus, aut ita affectus, vt ſit paratus quidquid contrarium legerit, reiicere: ſed eo animo legat, vt paratus ſit veritatem, quum illi fuerit apertè oſtenſa, & ſufficienti ratione comprobata, vtraque vlna amplecti. Si verò ab his, qui mecum velut ex

diamet

A diametro pugnant, ſic perſuaſus acceſſerit, vt illis fauere obſtinato animo decreuerit, ego illum huius diſputationis iudicem eſſe non patiar, ſed protinus tanquam apertè ſuſpe-ctum recuſabo; & illius cenſuræ fateor me non eſſe obedire paratum, cuius tamen iudicium, ſi mihi ſe liberum ab omni ſuſpitione præberet, ſubire non formidarem.

Quomodo cognoſci poteſt legem aliquam pœnalem non ſententiam latam, ſed ſolam ſententiam ferendam continere.

CAPVT PRIMVM.

DVPLICEM eſſe pœnalem legem, alteram quæ ſententiã à iudice ferendam, alteram quæ ſententiam ab ipſa lege latam continet omnes viri docti, qui de hac re differunt, apertè fatentur, & ex ipſa verborũ varietate, quibus leges ad pœnæ inflictionẽ vti ſolent euidenter conuincitur. Lex tunc dicitur continere ſententiã à ſe latam, quando ipſamet lex profert ſententiã contra delinquentem, nullo pacto relinquens iudici aliquid quod ad condemnationẽ delinquentis ſpectet. Sententiã ferendam cõtinet lex, quãdo aliquid circa inflictionẽ pœnæ ſtatuit, quod eſt à iudice neceſſariò faciendum. Inter has duas leges latiſsima eſt differentia, & multa ſunt inter illas diſcrimina, de quibus copioſè diſſerit vir in vtroque iure doctiſsimus Andreas Tiraquellus in fertiliſsimis illis cõmentariis, quæ nuper ædidit ſuper l. Si vnquam. C. de reuocãdis donationibus, in declaratione huius verbi, Reuertatur, quod in illa lege collocatur. Ex tam multis quæ ille dicit, ego vnum tantùm, aut fortè alterum dicam: quia ſola illa propoſito themati diſputationis meæ ſeruire poſſunt. Ego enim nõ ſuſcepi hanc diſputationem hoc animo vt de omnibus legibus differerem, ſed ſolùm de lege pœnali, vt oſtendam quãta ſit illius poteſtas circa obligationem ad culpã. Et quia talis obligationis cognitio ferè omnino pendet ex ipſa legũ pœnaliũ varietate, quarum altera (vt dixi) ſententiã continet latam, altera ferendam, ideo de illis ſuo ordine dicere oportebit. De lege pœnali quæ ſententiam continet ferendam tribus primis capitulis diſputabo, complectens in illis ſolis quidquid ad illam ſpectat, propterea quòd faciliora ſunt quæ de illa referuntur, & de illis ferè inter omnes doctores cõuenit. De lege verò pœnalis quæ ſententiam continet latam per multa ſequentia

Andreas Tiraquellus.

C

D

tia

A tia capitula differam. Eſt enim hæc res multò difficilior,& de qua alij aliter ſentiunt, ac proinde non paruum negotium mihi faceſsit. In hoc primo capite hoc ſolũ negotium mihi incumbit, vt doceã quomodo poſsit cognoſci lex pœnalis ſolam ſententiã ferendam in ſe continens. Quod vt melius & apertius fiat regulas aliquas generales & certas ſtatuã, per quas facilè quiſq; cognoſcere poterit quamlibet legem pœnalem, an ſententiã contineat ferendam, an non.

Prima & indubitata regula generalis, quæ nunquã niſi ſemel tantũ fallit, eſt iſta. Quotieſcunq; lex pœnalis vtitur verbis quæ ſolam pœnæ cõminationem exprimunt, toties lex illa ſententiã cõtinet ferendam,& nõ latam. Dictiones autẽ quæ ſolã comminationẽ ſignificant, ſunt iſtæ. Sub pœna, ſub interminatione, ſub interpoſitione. Vt, gratia exempli, ſi quis homo aut ſi qua lex aliquid fieri præcipiens, aut prohibẽs, ad faciendum, vel omittendũ id quod præcipitur, aut prohibetur, metu pœnæ ſubditos inducere velit & dicat. Sub pœna excõmunicationis, aut ſuſpẽſionis, aut priuationis bonorũ, aut centũ ducatorũ, hoc aut illud fieri præcipio, aut prohibeo. Sub interminatione, aut ſub interpoſitio *Regula prima.*

B ne anathematis, aut excõmunicationis, præcipio, aut prohibeo talẽ, aut talẽ rem. In his omnibus,& aliis ſimilibus, ſemper exprimitur ſentẽtia ferenda, & nõ lata. Hoc apertè docet gloſ. in cap. j. de ſagittariis, vbi has omnes dictiones enumerat, & dicit illas omnes denotare ſententiã ferendã. Et meritò hoc dicit. Nam in omnibus illis declaratur (vt notum eſt) ſola pœnæ cõminatio. At cùm conſtet cõminationem nunquã eſſe de re præterita, aut præſenti inde manifeſtè cõuincitur per illas dictiones nõ declarari ſentẽtiam latã, ſed ſolũ ferendam. De omnibus his dictionibus oportuit aliqua ex iure proferre exẽpla, vt ex illis lector diſcat, quid de aliis ſimilibus, cùm illa in iure legerit, illũ ſentire oporteat. In cap. Dolentes. de celebrat. miſſ. dicitur. Sub pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus. Quo loco gloſſator, & Hoſtienſis, & Ioannes Andreas docent ſententiã ſolùm ferendã in illo canone cõtineri. In cap. Relatũ, de iure patronatus, dicũtur hæc verba. Sub anathematis interminatione prohibere curetis. Et illo loco etiã gloſſator admonet ſententiã ſolùm ferendam in illo canone denotari. Et ſi quis fortè nõ fuerit veritus contra gloſſatoris ſentẽtiam in hac *Hoſtiẽſis. Ioannes Andreas*

parte

parte ſentire, facilè conuincetur, per alia verba quæ in illo C cap.ſtatim. Papa ſubiungit, in hunc modum dicens. Si quis autem prohibitionis veſtræ contemptor extiterit, eum excommunicationi ſubdatis. Ex quibus verbis euidenter colligitur, illa verba, ſub anathematis interminatione, non denotare ſententiam latam. Nam ſi ita eſſet, non præciperet Papa, vt contemptorem prohibitionis excommunicarent, quia iam excommunicatus fuiſſet per canonem latæ ſententiæ. Et ita ratio non permittit, vt de cætero quis dubitet per illas dictiones ſententiam ferendam ſemper denotari, in capitulis quæ ſtatim ſubiiciemus, & aliis ſimilibus quæ forte lectori occurrent. In cap. Cùm eſſes, de teſtamentis dicitur. Sub interminatione anathematis prohibentes. Cap. primo, de ſagittariis dicitur. Sub anathemate prohibemus. In cap. Sicut tuis, de ſimonia, ponit papa hæc verba. Sub anathematis interminatione vetuiſti. In capit. ij. de matrimonio contracto contra interdictum eccleſiæ dicitur. Sub anathematis interminatione prohibuit. In capit. Cùm eccleſia, de immunitate eccleſiarum habentur hæc verba. Sub interminatione anathematis prohibemus. In cap. j. de eo qui furtiuè ordines ſuſcepit, hæc verba ponuntur. Sub D anathematis interminatione prohibitus. In capit. Non ſolum, de regularibus libro ſexto, ad hunc modum loquitur Papa. Sub pœna excommunicationis authoritate præſentium diſtrictius inhibemus. In Clemen. j. de priuilegiis & exceſsibus priuilegiatorum, hæc verba dicit pontifex. In virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione maledictionis æternæ diſtrictius inhibemus. In capit. Salonitanæ. lxiij. diſtinct. hæc verba dicit Gregorius Papa. Sub excommunicationis interpoſitione. &c. In his omnibus locis concordi omnium iudicio ſentẽtia ſolùm exprimitur ferenda, propterea quòd ſola in omnibus illis canonibus denotatur comminatio pœnæ. Poteſt tamen hęc generalis regula fallere, ſi poſt dictiones quæ comminationẽ pœnæ ſignificant addantur aliæ dictiones, quæ apertè latam declarent ſententiam. Vt, gratia exẽpli, ſi lex aut homo dicat. Præcipio hoc ſub pœna excommunicationis, quam quiſquis contra fecerit, ipſo facto, aut ipſo iure, aut eo ipſo, aut ſtatim, aut ex tunc, aut continuo poſt factum incurrat. Aut ſic. Præcipio hoc ſub pœna excommunicationis, aut priuationis bonorum.

A norum. Si quis autem contra fecerit, nouerit ſe ſtatim excommunicatum, aut priuatum. In his enim omnibus loquendi modis (vt ſexto cap. poſtea dicemus) ſentẽtia lata declaratur. Quo fit, vt licet verba quæ pœnam comminantur, ſentẽtiam ferendã exprimere ſoleant, propter dictiones tamen ſequentes, quæ ſemper latã declarant ſententiam, à ſua natura detorquẽtur, & in ſentẽtiæ latæ ſignificationem transferuntur. Et iuxta hanc doctrinã dicimus ſententiam latam contineri in capitulis ſequentibus, quæ nunc ſtatim citabimus. In capit. Non minus. de immunit. eccleſi. poſtquam Conciliũ Lateranenſe cuius eſt canon illius capituli ſub anathematis diſtrictione prohibuit, ne contra eccleſiaſticam libertatem tributa, aut angariæ viris eccleſiaſticis imponantur, hęc verba ſubiungit. Si autem conſules aut alij de cætero iſta commiſerint, & commoniti deſiſtere noluerint, tam ipſi quàm fautores eorum excommunicationi ſe nouerint ſubiacere. Hæc poſteriora verba ſententiam latam demonſtrant, quamuis priora illa pœnam minantia ſolam ſententiam ferendam indicabant. Idem contingit in c. Clericis. Ne clerici vel monachi, vbi poſt

B interminationem anathematis hæc verba ſubiungit Papa. Si quis autem contra hoc venire præſumpſerit, & commonitus emendare noluerit, excommunicationi ſubiaceat. Quæ verba (vt ſexto capite poſtea dicemus) latam ſemper denotant ſententiam. In Clementina j. de religioſis domibus, volens Concilium Vieneñ. Beguinarum mulierum ſtatum prorſus ab eccleſia relegare, hæc verba ait. Eiſdem & aliis mulieribus quibuſcunque ſub pœna excommunicationis quam contrarium facientes incurrere volumus ipſo facto, iniungentes expreſsè ne ſtatum huiuſmodi dudum fortè ab ipſis aſſumptum quoquomodo ſectentur vlterius, vel ipſum aliquatenus de nouo aſſumant. In capitul. j. de locato & conducto, Papa confirmat conſtitutionem quandam epiſcopi Portuenſis Apoſtolicæ ſedis legati, quæ prohibitionem quandam ſub excommunicatione, & ſub pœna anathematis continebat. Et cùm nulla alia dictio illic addatur circa excommunicationis incurſionem, gloſſa tamen in illo capitulo dicit ſententiam latam ibidem contineri. Qua in re ſibi ipſi videtur contrarius gloſſator ille, qui in cap. Relatum,

de iure patronatus,& in cap.j. de ſagittariis, dicit per hæc C
verba,ſub pœna anathematis,ſiue excommunicationis,ſen
Abbas. tentiam ſolùm ferendam deſignari. Sed Abbas in gratiam gloſſatoris volens illum excuſare,dicit quòd fortè in illa conſtitutione epiſcopi Portuenſis erant alia verba, quæ ibi pontifex non expreſsit,ad quæ gloſſator reſpiciẽs dixit illic ſententiam latam contineri. Alioqui ſi ſolæ illæ prædictæ dictiones in illa conſtitutione ponerentur,cenſet Abbas ſolam ſententiam ferendam per illas exprimi.Præterea, adhuc fallit illa regula de dictionibus ſolam pœnæ comminationem ſignificantibus, quãdo illæ ponuntur in cõtractibus, quia illic non ferendam ſententiam, ſed ipſo facto latam ſignificant. Vt, gratia exempli, ſi quis contractum de re aliqua cum alio faciens, promittat illi ſe aliquid facturum ſub pœna centum ducatorum, illic non ex propria ſignificatione illarum dictionum ſed ex natura contractus ſententia exprimitur lata, & non ferenda, prout infrà vno integro capitulo longius explicabimus. Sed iſta exceptio aut fallentia(vt iuriſperiti loquuntur)nõ poterat licet omitteretur, contra meam vniuerſalem regulã de verbis comminatoriis aliquid agere.Quia ego non de omni ſententia lata aut ferenda ,ſed de ſola ſententia, quæ in lege D
pœnali continetur,hîc loquor.

Regula ſecunda. Secunda regula. Omnis lex pœnalis, quæ circa irrogationem pœnæ quam ſtatuit vtitur verbo, aut participio futuri temporis, præſertim ſi verbum ſignificet aliquam actionem, continet ſententiam à iudice ferendam. Hæc regula eſt concorditer ab omnibus iuriſperitis recepta.
Abbas. Abbas illam docet in cap.Si diligenti, de foro competenti.
Felinus. Felinus illam recipit in capi. Rodulphus, ex. de reſcriptis. De verbo futuri temporis habemus exempla, & primum ex ſacris literis propono.
Exo. 22. Si quis furatus fuerit bouem aut ouem (ait lex Moſaica) & occiderit, vel vendiderit,quinq; boues pro vno boue reſtituet,& quatuor oues pro vna oue. Hæc lex ſententiam à iudice ferendam continet:quòd ex eo conſtat, quòd vtitur verbo futuri temporis.
S. Thomas. Et ideo beatus Thomas in Secunda Secundæ.q.lxij.art.iij. de hac lege differens, dicit furem nõ fuiſſe tunc ad pœnam in illa expreſſam obligatum, niſi poſtquam fuiſſet damnatus ad illam.Ex iure canonico exemplum eſt in cap,Si vir-

dę

A de adulteriis & ſtupro,vbi ſic dicitur. Si vir ſciens vxorem ſuam deliquiſſe,quę nõ egerit pœnitentiã,ſed permanet in fornicatione, & vixerit cum illa, reus erit, & eius peccati particeps. Per illa verba,quibus dicitur, reus erit, condẽnauit illum adulterum ad pœnam, quæ licet ibi non exprimatur,declaratur tamen in cap.Si quis vxorem.xxxij.quæſtione prima.Sed quia lex illa pœnalis vtitur verbo futuri temporis,dicendo,reus erit, ſentẽtiam continet ferendam. De participio eiuſdem tẽporis futuri habemus exemplum in cap.Cum eccleſia, de cauſa poſſeſsionis & proprietatis: vbi hæc verba habentur. Præmiſſam electionem factam eis contradicentibus,& excluſis,decreuimus irritandam.Et iterum.Ab eorum impetitione ſuper electionibus faciendis vos duximus abſoluendos.In cap.Cùm tu,de vſuris,hęc verba habentur.Communione altaris, & eccleſiaſtica præceperis ſepultura priuandos. Vbi ferenda ſolùm expimitur ſententia. In cap. primo de clericis pugnantibus in duello, hæc verba ponuntur. De rigore iuris eſt meritò deponendus.In Clementina,Sæpe,de verborum ſignificatione, dicit pontifex. Non erit proceſſus propter hoc irritus, nec
B irritandus, hoc eſt, nec ſententia à lege lata, nec à iudice ferenda irritabitur.In lege,Capitalium.ff.de pœnis,dicit Caliſtratus Iuriſconſultus. Venenarij capite puniendi ſunt,aut ſi dignitatis reſpectu agi oportuerit, deportandi. In omnibus iſtis legibus & cõſtitutionibus ſola ſentẽtia ferẽda cõtinetur,quia omnes illę,cũ pœnã ſtatuũt,verbo futuri tẽporis aut participio vtũtur. Verbum enim futuri tẽporis nunquã ex ſua natura ſignificat rem præſentẽ,aut prętəritã,ſed rem,quę adhuc nõ eſt,ſed impoſterũ fiet,& ideo ex ſe nunquã exprimet ſententiã à iure latã,ſed ſolùm ab homine ferendam. Non eſt tamen hæc regula adeò conſtans & certa, vt aliquando non fallat. Fallit enim in omnibus illis octo modis, per quos (vt capite vj. huius libri infrà dicemus)cognoſci poteſt lex, quæ ſententiam continet latam. Nam quamuis lex pœnalis vtatur verbo futuri temporis, ſi tamen illa ſit diſpoſita iuxta aliquem illorũ octo modorum,quos capite ſexto declarabimus,ſemper dicetur ſententia lata.De qua re ſi quis nunc exempla deſiderat, vt id,quod dico,intelligere valeat,legat caput ſextũ huius ſecũdi libri,& inde facilè diſcet,quod optat.Pręter illos octo

modos,de quibus infrà dicemus, fallit adhuc illa generalis C regula de futuri temporis ſignificatione, quoties euidens ratio cogit,vt lex illa intelligatur ſententiam continere latam,& non ferendam. Aliquando enim cõtingeret legem pœnalem eſſe prorſus inanem,& nullius penitus valoris, ſi illa ſolam contineret ſententiam ferendam. Tunc enim,ne legi iniuriam faciamus, illam inutilem eſſe cenſentes, ratio ipſa cogit,vt quamuis ipſa lex verbo futuri temporis vtatur, dicamus illam cõtinere ſententiam latam. Hoc annotauit gloſſa in l. Improbum C. ex quibus cauſis infamia irrogatur. Nam in ea lege dicitur, quòd improbum fœnus exercentibus pœna infamiæ irroganda eſt. Quę verba licet per participium futurum tempus ſignificans diſponantur, gloſſa tamen in illo loco dicit intelligi oportere, infamiam eſſe ipſo iure latam: quoniam (vt inquit) improbum fœnus exercens non poſſet infamari. Et certè ipſa ratio cogit, vt ſic intelligi oporteat. Quoniam quoties verbum aliquod, cuiuſcunq; temporis illud ſit iuxta ſuam primæuam & ordinariã ſignificationẽ, nihil poteſt operari in illo loco, vbi collocatum eſt, oportet neceſſariò illud à ſua ſignificatione detorquere, vt aliquid efficere valeat. Nam D hoc annotatum eſt in l. Debitor. §. Veriſimile ff. de contrahenda emptione, & in l. Qui Romæ. §. Augerius. ff. de verborum obligatione. Deinde, ab illa regula generali, quam de ſignificatione temporis futuri dedimus, aliqui excipiunt eas leges, aut conſtitutiones, quæ duplici aut geminato verbo futuri temporis vtunur. Nam tunc ratione geminationis dicunt oportere intelligi ſententiam eſſe latam. Quoniam (vt dicunt) oportet vt ſecundum verbum aliquid roboris habeat,& aliquid addat ad primum. Vt, gratia exempli, ſi lex diceret hæc verba. Si in electione aliqua fuerit hæc aut illa ſolennitas prætermiſſa, caſſabitur, & irritabitur electio, dicunt illam pœnam eſſe ipſo iure intelligendam propter duplex aut geminatum verbum futuri temporis, quod illic poſitum eſt. Hanc ſententiam tuetur Felinus in capi. Rodolphus. numero 35. de reſcriptis. & citat pro hac ſẽtẽtia Baldum in titulo, de pace Conſtantiæ, & Ludouic. in l. Si verò. §. de viro. ff. ſoluto matrimonio. Sed certè licet iſti viri ſint in vtroque iure doctiſſimi, quia tamen res hæc non eſt apertè in iure expreſſa

Felinus. *Baldus.*

A preſſa, ſed ex vera & propria vocum ſignificatione pendet, ego illis in hac parte conſentire non poſſum. Magis enim mihi arridet ſententia Philippi Decij, qui (ſi vera de illo citantur) dicit in l. Poſteaquam. C. de pactis. eandem eſſe rationem in ſecundo verbo futuri temporis, quæ eſt in primo. An autem textus, quos ille (vt fertur) pro ſua opinione citat, id probent, an ſecus, ego nunc diſcutere nolo, ſed ſolam illius ſententiam probo. Quoniam etſi idem verbum, cuiuſcunque temporis ſit, decies in eadem oratione repetatur, nunquam ob hanc ſolam cauſam à ſua recedet natiua ſignificatione, quam, ſi ſemel tantum poneretur, haberet. Nam talis replicatio diuerſorum verborum idem ſignificantium, etſi aliquando fiat ad rei exagerationem exprimendam, ſæpe tamen fit, vbi nulla eſt rei exageratio. Nec tamẽ ideo fruſtranea & ſuperflua dicenda eſt talis verborum idem ſignificãtium replicatio: quoniam fit ſæpe ad maiorem rei explicationem. Aliquando etiam contingit, vt non ſolùm verba diuerſa idem ſignificantia, ſed idem verbum ob ſolam ornatus & decoris cauſam in eadem oratione ſine aliquo alterius vocis interuallo repe- *Phili. Decius.*

B tatur. Quam vocis repetitionem Græci ταυ[illegible]λογίαν vocant. Et hac eloquutionis figura nõ ſolùm profani authores, ſed etiam ſacræ literæ ſæpe vtuntur. Nam Propheta regius in pſalmo 121. ait. Illuc enim aſcenderunt tribus tribus domini, teſtimonium Iſraël. Et in eodem pſalmo iterum. Quia illic ſederunt ſedes in iudicio, ſedes ſuper domum Dauid. Ecce vides hanc vocem tribus, ſemel poſitam, & continuo poſt iterum repetitam, & idem factum eſſe conſtat in illo nomine, ſedes. Et per Hieremiam prophetam Dominus *Hiere. 2.* ait. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſsipatas, quæ continere non valent aquas. In quibus verbis hæc vox, ciſternas, ſemel & iterum ſine alterius vocis interuallo poſita eſt. Si hanc eiuſdem vocis repetitionem ornatus cauſa ſacræ literæ admittunt, cur non etiam eiuſdem vocis aut diuerſarum vocum idem ſignificantium, repetitionem admittemus in legibus, aut conſtitutionibus humanis? Nunquid ſtrictiorem verborum parcitatem requirere volunt in legibus aut conſtitutionibus humanis, quàm in ſacris literis, in quibus nihil ſuperfluum, aut ſine magna ratione po-

ſitum eſſe, firmiſsimè credere oportet? Præterea, etſi gratis illis daremus, quòd illa verborum idem ſignificantium continua repetitio ſemper in iure ponitur, non ſolùm ad maiorem rei explicationem, ſed etiam ad maiorem rei exagerationem exprimendam, non inde neceſſariò ſequeretur, exagerationem eſſe tantam, vt velit ex ſententia ferenda, quæ per primum verbum futuri temporis ſignificata eſt facere ſententiam latam per ſolam verbi ſecundi idem ſignificantis additionem. Satis enim res exagerata eſſet, ſi concedamus per illam diuerſorum verborum idem ſignificantium duplicationem, legiſlatorem voluiſſe reddere legi firmitatem & certitudinem, ita vt iudici non liceat ſententiam, quæ in tali lege aut conſtitutione decernitur eſſe ab illo ferenda, omittere, ſed illam, prout illic exprimitur, teneatur proferre. Si iure aliquo apertè decretum eſſet, vt talis verborum futuri temporis geminatio aut multiplicatio, ſententiam ſemper denotaret latam, ego ſtatim digitum ori meo imponerem, nec contra illud decretum mutire auderem. Quoniam potuiſſet legiſlator, ſi voluiſſet, aliam verbis ſignificationem imponere, & multò melius hoc loquutionis genus ſibi peculiare facere. At cùm nihil tale fuerit vnquam lege declaratum, neque ex aliis in iure contentis apertè deduci poſsit, cogimur vt omnibus dictionibus latinis in interpretatione legum aut canonum eam reddamus ſignificationem, qua latini ſermonis parentes & optimi eloquutores vſi ſunt. Hac igitur ratione victus, ſentio cum Philippo Decio verbum futuri temporis, etiam ſi decies repetatur, ſignificare ſententiam ferendam, niſi aliud ibidem addatur, quòd neceſſariò cogat latam ſententiam interpretari. Manebit igitur, quantum ad hanc exceptionem fallentiam (vt iuriſperiti loquuntur) attinet, firma & conſtans regula, quam de ſignificatione verborũ futuri temporis ſuprà propoſui. Et credo, quòd præter has omnes exceptiones aut fallentias, quas ego iam enumeraui, nulla alia poteſt illi regulæ opponi, præſertim cùm ego illam de ſolo verbo futuri temporis, quod in lege pœnali poſitum fuerit, intelligendam eſſe velim. Nam ſi de ſententia cuiuſcunque legis eſſet ſermo, ſcio alias exceptiones aut fallentias poſſe cõtra illam regulam opponi. Vt, gratia exempli, quando tale verbum ponitur

C D

A In diſpoſitione alicuius rei ordinatæ à teſtatore: quia tunc verbum futuri tēporis denotat ſententiam latam. Si quis in teſtamēto ſuo præcipiens, vt quotannis in aliqua certa die dicatur miſſa pro eo, & hæredi, qui non curauerit vt illa dicatur, apponat pœnā huiuſmodi verbis. Priuetur, aut priuabitur hæreditate, aut dabit centum ducatos pauperibus: quamuis talis pœna ſit per verbum futuri temporis expreſſa, declarat tamen ſententiam latam, & non ferendam. Ita docet Felinus in dicto cap. Rodulphus, nume. 24. in declaratione huius verbi, priuetur. Sunt alię ſimiles exceptiones, quæ contra noſtram regulam de verbo futuri temporis obiici poſſunt: ſed eas omnes, quia ſunt à themate huius diſputationis alienę, ex induſtria omitto. Ego enim in hoc opere, non de omni lege, quæ ſententiam continet ferendam aut latam, ſed de huiuſmodi ſola lege pœnali dicere ſtatui. Et ſi de hac ſola fiat ſermo, puto nihil aliud poſſe illi regulæ opponi, quàm quod per me hìc expreſſum eſt. *Felinus.*

Tertia regula. Omnis lex pœnalis, quæ circa inflictionem pœnę vtitur verbo imperatiui modi, quamuis ſit temporis præſentis, ſententiam continet à iudice ferendam. *Regula tertia.*
B Nam hæc eſt cōditio & natura modi imperatiui, vt ſemper ad alium aliquē reſpiciat. Quoniam qui imperat, non ſibi, ſed aliis imperat. Aliquando tamen contingit, vt quis ſibi ipſi per verbum imperatiuum loquatur. Nam Dauus ille Terentianus ſibi alloquens ait. Animo iam nunc otioſo eſſe impero. Et Gnato ille paraſitus apud eundem Terentium ait. Imperaui egomet mihi omnia aſſentari. Sed hoc non eſt verè imperare, ſed potius propoſitum & deliberationē indicare. Aut fortè, quod verius puto, voluntas quæ ſuperior eſt animæ portio, aliis inferioribus potentiis aliquid facere vel omittere præcipit. Re igitur ſic intellecta, facilè intelligetur nunquam contingere, vt vnus ſemper idem ſibiipſi imperet, ſed vno eodem in diuerſa partito, pars altera alteri præcipiat. Scio Auguſtinum dixiſſe, voluntatem imperare ſibi & aliis, hoc tamen ego ita intelligendum eſſe puto, vt per illa verba Auguſtinus voluerit exprimere plenam voluntatis libertatem, qua poteſt ex ſe facere quodlibet, non autem vt verè ſibi ipſi imperaret. Si tamen quis contendat, voluntatem verè & proprię ſibi ipſi imperare, ego pro re tam ſterili, ex qua nullus *Terent.* *Auguſti.*

fructus colligi poteſt,contēdere nolo, præſertim cùm talis C
loquendi modus nunquam in materia,de qua agimus,nec in quauis alia reperiatur in iure. Nunquam enim legislator pœnā contra reum ſtatuens ſibi ipſi præcipit,vt pœnam infligat, ſed ad iudicem verba dirigens illi imperat,vt ille pœnam imponat. Cùm igitur hæc ſit verbi imperatiui natura,vt ſemper ad alium tendat,inde colligitur, vt quoties lex pœnalis tali verbo vtitur, ſemper intelligatur ſententiam in illa contineri à iudice ferendam,& non latam. De hac re oportet vt aliqua ex iure capta exempla proferam, vt quod dico re ipſa comprobetur. In cap. Quia propter,de electione. hæc verba habentur. Si quis verò cōtra prædictas formas eligere attentauerit,eligendi ea vice poteſtate priuentur. Hoc verbum priuetur,ibidem poſitum eſt præſentis temporis imperatiui modi,& inde cognoſco ſentētiam per illud expreſſam eſſe ferendam,& nō latam. Et hoc annotauit illic gloſſa,in verbo,priuentur,ſic dicens. Per ſententiam,non ipſo iure. In capit. Quiſquis,eodem titulo,licet in prima parte capituli ſit ſententia lata,vbi ait,ineligibilis fiat, tamen in ſecunda parte continetur ſententia ferenda,vbi ait. Ab officiis & beneficiis penitus ſuſpendatur. D
Quo loco gloſſa in illo verbo ſuſpēdatur,declarat per ſententiam. In cap. Grauem,de exceſsibus prælatorū, conſtat ſententiam à iudice ferendam contineri,propter ſequentia verba,quæ ibidem ponuntur. Tanquam membrum putridum(inquit papa)ab Ambianenſi eccleſia perpetuò abſcindatis. Et gloſſa in verbo,abſcindatis,dicit hæc verba. Et ita per ſententiam perdit beneficia,non ipſo iure. In cap. Cùm infirmitas corporalis. de pœnit. & remiſsio. ponitur hoc verbum arceatur,quod declarans gloſſa dicit, Per ſententiam non ipſo iure. Multa alia poſſem ex vtroq; iure exempla proferre,ſed hæc mihi ſufficere videntur. Hæc regula ſolas duas patitur exceptiones. Primò quidē,in particulari excipienda ſunt omnia illa verba,quæ nullū ſignificāt hominis miniſterium, neq; aliquā exprimunt hominis actionē ad pœnam infligendā, prout ſunt hæc ſequentia verba, ſubiaceat,incidat,incurrat.& alia eiuſdē notæ. Nam omnia huiuſmodi verba (vt infrà capite vj. huius ſecundi libri. §. vij. dicemus) in quocunq; tempore aut modo ponātur,ſemper exprimunt ſententiam latam. Et ratio eſt, quia illa verba ſicut

A ſicut non ſignificant hominis miniſterium,nec aliquam illius actionem: ita non diriguntur ad iudicem, quamuis ponantur in imperatiuo,ſed ad pœnam,quæ legis imperio mandatur executioni. Deinde,ab illa vniuerſali regula excipere oportet,omnes illas leges pœnales,in quibus ſimul cum verbo imperatiui modi ponuntur aliquæ aliæ dictiones,quæ cogunt dicere ſententiam latam in tali lege contineri. Nam ſi lex huiuſmodi verbis vteretur,ipſo iure excludatur,aut ipſo facto priuetur, aut continuo repellatur, aut ſine vlteriori ſententia ſpolietur, aut quouis alio ex illis octo modis, quos capite vj.declarabimus, lex loquatur, ſemper intelligetur ſententiam latam continere, quamuis verbo imperatiui modi vtatur. De hac regula, quam circa verbum imperatiui modi hactenus declarauimus, nullus ex iuris humani interpretibus, qui de hac materia diſſeruerunt,aliquid dixit,neq; de verbis imperatiui modi inuenio apud illos, pro huius rei elucidatione, vllam factam eſſe mentionem,cùm tamen debuiſſent magnam de verbis illis habere ratione͂, propterea quòd leges pœnales frequentiſsimè talibus verbis vtuntur ad ſtatuendum

B pœnas contra legum tranſgreſſores. Et ideo neceſſarium erat ſignificationem & poteſtatem verborum imperatiui modi declaraſſe, vt inde conſtaret,quanta eſſet obligatio & poteſtas legum pœnaliũ,quæ talibus verbis vtuntur. Sed apertiſsimè intelligo,hanc verbi imperatiui omiſſionem,ex quodam craſſo illorum errore proceſsiſſe. Putarunt enim omnia verba imperatiui modi ad futurum tempus pertinere,& omnia illa verba, quamuis ſint præſentis temporis imperatiui modi, ſub appellatione verbi futuri temporis comprehenderunt, tanquam ſi imperatiuus modus tempore præſenti careret,& ſolum haberet futurum. Gloſſa in cap. Quiſquis,de electione,dicit hoc verbũ,Fiat, eſſe temporis futuri, & ratione illius verbi dicit in prima parte illius cap.debere intelligi eſſe ſententiam ferendam, niſi alia poſtea ibi adderentur, quæ neceſſariò cogunt ſententiam latã interpretari. Felinus in illo cap. Rodulphus, *Felinus.* de reſcriptis,numero 26.citat Baldum in l.fin. C. de ſeruo *Baldus.* communi manumiſſo,dicentem, & ex textu annotantem, quòd hoc verbum,fiat,eſt futuri temporis. Sed in hac parte non conſentit Baldo Felinus,& in contrariam ſententiam

Calderin. citat Calderinum in cap. Quiſquis, de electione, dicentem C
ſe obtinuiſſe in quadam ardua cauſa, quòd illud verbum, fiat, per quod reſpondet papa petitionibus aut ſupplicationibus, quæ illi offeruntur, intelligatur pro tunc, id eſt, de præſenti, & non de futuro. Sed licet de hoc verbo, fiat, bene ſenſerit Felinus, quòd ſit temporis præſentis & modi imperatiui, in omnibus tamen aliis verbis præſentis temporis eiuſdem imperatiui modi apertè noſcitur erraſſe, putans illa eſſe temporis futuri, & hac appellatione
Abbas. omnia illa comprehendens. Abbas in cap. Clericis. Ne clerici vel monachi, dicens quòd verbum futuri temporis indicat ſententiam ferendam, quum ad exempla procedit, ferè ſemper proponit verba præſentis tēporis imperatiui modi, quaſi illa ſint temporis futuri. Sed de his omnibus & de aliis eiuſdem farinæ, qui ius pontificium aut Cæſareum interpretantur, non miror quòd ſic in re Grammatica errauerint. Quoniam etſi fateor eos fuiſſe viros in vtroque iure doctiſsimos, ſcio tamen eos fuiſſe Barbaros, & malè linguam Latinam calluiſſe, & peſsimè de
Andræas Tiraquel. illa meritos. De ſolo Andræa Tiraquello miror, quòd in tantam inaduertentiam, nolo dicere ignorantiam, inciderit, vt aliorum iuriſperitorum ſit in hac parte ſequutus errorem. Quia (vt ex illius ſcriptis coniicere poſſum) non ſolùm Grammaticæ rudimenta plenè nouit, ſed puritatem Latini ſermonis ex oratoribus & poëtis, quæ ſe legiſſe oſtendit, ſe didiciſſe manifeſtat. Hic vir in vtroq; iure doctiſsimus, in fertiliſsimis commentaris, quæ nuper edidit ſuper l. Si vnquam. C. de reuocandis donationibus, in interpretatione illius verbi, Reuertatur, quod in illa lege collocatum eſt, differens quomodo poſsit cognoſci ſententia ferenda, & à ſententia lata diſcerni, tria verborum tempora ad hanc rem oſtendendam aſsignat præſens videlicet, præteritum, & futurum. De verbis præſentis temporis & præteriti, & vtriuſque participiis cenſet latam ſemper, niſi aliud obſtet, ſignificare ſententiam. De verbis temporis futuri & illorum participiis, dicit illa ferendam exprimere ſententiam. Sed hanc regulam de tempore futuro dicit ſeptuagies quinquies fallere. Et inter has ſeptuaginta quinque exceptiones, vel (vt ille loquitur) fallentias, enumerat multa verba præſentis temporis impe- D
ratiui

A ratiui modi, velut ſunt iſta, quæ nunc ſequuntur. Subiaceat, incurrat, incidat, priuetur, ſpolietur, abiiciatur, repellatur, amoueatis, remoueatis, reuertatur, redeat, & alia multa ſimilis temporis & modi. De his omnibus ſigillatim diſſerit vnum integrum paragraphum ſingulo cuique tribuens, & ex vnoquoq; eorum vnam fallentiam format, dicens in vnoquoque illorum regulam futuri temporis fallere. Quia per quodlibet eorum dicit ſententiã exprimi latam, quamuis quodlibet eorum (vt ait) ſit temporis futuri. In his omnibus fallentiis etſi multa bene coaceruauerit, & multa doctè tractauerit, à quibus (vt ſuum illi honorem reddam) fateor me pro hoc negotio pertractando ſuppetias ſumpſiſſe, ſed in his omnibus fallentiis dupliciter illum erraſſe conſtat. Primò, quia dixit omnia illa verba eſſe futuri temporis, quæ tamen conſtat eſſe præſentis temporis, & modi imperatiui, quædam vocis actiuæ, & alia vocis paſsiuæ. Et hinc euidenter conuincitur, pluries illum iniuriam feciſſe regulæ futuri temporis, quando contra illam falſò obiecit omnia prædicta verba, dicens illam regulam in omnibus illis fallere. Regula enim, quæ de ſolis verbis futuri temporis loquitur, non fallit, imò neq; fallere poteſt in verbis,
B quæ non ſunt futuri temporis, ſed præſentis, & imperatiui modi. Et ex hoc fonte deducitur alterum, in quo etiã illum erraſſe conſtat, ſicut cæteri iuriſperiti de hac re diſſerẽtes, quos in hac parte ſequutus eſt. Nã de verbo præſentis temporis loquẽs, cenſuit illud ſemper latã ſignificare ſententiã. Quæ aſſertio vt vera eſſet, oportebat illã temperare, & ad ſola verba præſentis tẽporis indicatiui modi illam reſtringere. Quoniã ſi de omni tẽpore præſenti cuiuſcunq; modi ſit illius aſſertio intelligenda, conſtat illam nõ eſſe vbique verã, cùm fallat in verbis præſentis temporis, & modi imperatiui, quæ (vt per multa iuris exẽpla probauimus) ſententiam ferendã ſignificant. Fortè aliquis volens his omnibus iuris humani interpretibus patrocinari, dicet omnes iſtas verborũ terminationes, de quibus nũc cõtendimus, reperiri in futuro optatiui modi, ſicut in præſenti imperatiui. Fateor, ſed cùm in optatiuo ponuntur, ſemper additur illis aduerbium aliquod optandi, prout eſt hoc aduerbium. Vtinam, o ſi, quorũ neutrum ſolet poni in lege. Quia lex præceptiua, non optando, ſed imperando, aut indicatiuo modo aliquid

aliquid ſtatuendo loquitur. Et hinc, ſicut ex multis aliis locis conſtat, plenam Grammaticæ cognitionẽ, & Dialecticæ vel mediocrem deguſtationem ſummè neceſſariam eſſe ad perfectam cuiuslibet alterius diſciplinæ cognitionem. C

Regul. 4. Quarta regula. Quoties de aliqua dictione in lege pœnali poſita, meritò dubitatur, an ſententiã exprimat ferendam, an latam, toties ſine dubio cenſendũ eſt ſententiã non latam, ſed ferendã, in illa lege contineri. Hanc regulã ponit gloſſa in cap. In pœnis, de reg. iur. lib. vj. & illã colligit ex textu illius capit. vbi ſic dicitur. In pœnis benignior eſt interpretatio faciẽda. At multò benignior eſt interpretatio legis pœnalis, ſi dicamus illam tantũ continere ſententiam à iudice ferendã, ergo vbi fuerit dubitatio de ſignificatione alicuius vocis poſitæ in lege pœnali, an ſententiã exprimat latam, an ferendam, æquum & iuſtum eſt, vt interpretemur in tali lege pœnali, non latã, ſed ſolam ſententiã ferendam contineri. Virtute huius regulæ idem gloſſator in cap. Quicunq;. §. Inhibemus, de hæreticis, eod. lib. vj. in verbo, Innodetur, dicit ſententiã contineri ferendam, propter dubiam illius verbi ſignificationẽ. Idem facit in cap. Cupientes. §. Si verò, in verbo, priuẽtur, de electione, eodem lib. vj. D

Felinus. Hanc regulam etiam ponit & laudat Felinus in dicto cap. Rodulphus, de reſcrip. num. 24. & iterũ in eo. cap. nume. 30. eandem regulam repetit, & dicit illã eſſe notatu dignam, propterea quòd multis negotiis circa leges pœnales occurrentibus ſeruire poteſt. Eandem regulam laudat Philippus

Philip. Francus. Francus in prædicto cap. In pœnis. Abbas etiam in cap. Si diligenti, de foro competen. dicit, quòd quando verba legis habent ſignificationem preteriti & futuri, debemus mitiorem ſignificationem ſumere, vt tẽpus futurum dicat & non præteritum, & ita ferendam exprimat ſententiam, & non latam. Ex ratione huius regulæ colligere poſſumus de verbis modi infinitiui, quid cenſere debeamus. Nam cùm modus ille, præſertim in voce præſentis temporis, aptus ſit (vt Grammatici docent) omnia tempora comprehendere, hinc oritur, vt ſępe dubia ſit illius verbi ſignificatio, an videlicet tempus præſens, an præteritum ſignificet. Et quia talis eſt natura verbi infinitiui modi, quoties in lege aliqua illud inueniatur, toties dicetur illud ſignificare tẽpus futurum, ac ideo ſententiam ferendam exprimere, niſi aliud illic adda-

datur,

A datur, quod cogat latam, & non ferendam ſententiam interpretari. Exemplum de verbo infinitiuo habemus in l. Ne quid. ff. de incendio, ruina, naufragio, vbi poſtquam prohibetur, vt nullus res naufragorum ſurripiendi cauſa colligat, quum ad littus eiectæ fuerint, aut in mari fluctuauerint, ſtatim pœna contra huius legis tranſgreſſores ſtatuitur per hæc verba. De his autem, quos diripuiſſe probatum ſit, præſidem vt de latronibus grauem ſententiam dicere. In qua lege illud verbum dicere, tempus ſignificat futurum, vt ſententiam ferendam exprimere valeat. Quod ex eo conuincitur, quòd non permittit præſidem ſententiam dicere, niſi prius crimen probatum fuerit. Si autem aliæ dictiones ponantur in lege pœnali ſimul cum verbo infinitiuo, quæ apertè demonſtrent ſentẽtiam latam, tunc quia iam eſt ſublata dubitationis cauſa & occaſio, neceſſarium erit, iuxta aliarum dictionum ſignificationẽ, ſententiam latam illic intelligere. Et ob hanc cauſam cenſere oportet contineri ſentẽtiam latam in cap. Si quis ſecunda, quæſt. tertia, vbi hæc verba habentur. Si quis contra huiuſmodi perſonas non probanda detulerit, authoritate huius
B ſanctionis intelligat ſe iacturam infamiæ ſuſtinere. In hoc canone licet ponatur verbum infinitiui modi, quod in dubio ſignificare debet tempus futurum, & ita ferendam dicere ſententiam, cogimur tamen dicere ſententiam latam illic contineri, propter has dictiones, authoritate huius ſanctionis, quæ habent vim & poteſtatem declarandi ſententiam latam, vt dicemus in capit. ſexto, huius ſecundi libri, quo loco etiam cõuincam gloſſam in illo capitulo erraſſe, cùm in verbo ſuſtinere interpretatur, non ipſo iure, ſed per ſententiam. Eſt tamen adhuc circa hanc regulam de dubia verborum ſignificatione annotandum, quòd illa non vbique vera eſt, ſed ſolùm in lege pœnali. Nam ſi lex fuiſſet in fauorem aut commodum ſubditorum data, & in illa poneretur dictio ambiguam habens latæ aut ferendæ ſententiæ ſignificationem, potius erit interpretanda, vt latam dicatur continere ſententiam, quàm ferendam. Et hoc doctores concorditer docent, & colligunt ex cap. Odia, de reg. iuris, libro ſexto, vbi ſic dicitur. Odia reſtringi, & fauores conuenit ampliari.

De cond

De conditione & qualitate legis pœnalis ſententiam ferendam continentis, antequam iudex ſententiam dicat. C

CAPVT II.

EX his, quæ hactenus de ſentētia à iudice ferenda diximus, ſi bene aduertantur, poterit quiſq; agnoſcere quæ ſit lex pœnalis, ſententiam ferendam in ſe continens. Nunc ſolùm ſupereſt eiuſdem legis propriā conditionem, & naturæ qualitatem declarare, vt quidquid ad hāc legem ſpectat, abſoluamus. Multæ & variæ ſunt qualitates & propriæ conditiones legis pœnalis ſententiam ferendam continentis, per quas illa ſecernitur à lege pœnali, quæ ſententiam latam continet. Has omnes recenſet Andræas Tiraquellus, in loco ſuperius citato, & de illis omnibus ſingulatim & copioſè diſſerit. Ego tamen, quia non totam hanc prouinciam de lege in hoc opere regendam aſſumpſi, ſed ſolùm de obligatione legis pœnalis dicere ſtatui, eas ſolas huius legis conditiones aperiam, quæ quouis modo ad poteſtatem obligationis ſpectare noſcuntur. Vt igitur eas omnes breuius & clarius explicare valeamus, duo oportet tempora diſtinguere. Alterum eſt tempus ante ſententiam à iudice latam, alterū verò eſt tempus poſt prolatam à iudice ſentētiam. In hoc capitulo ſolùm diſſeram de his, quæ huiuſmodi legi pœnali conueniunt, antequam iudex, iuxta eandem legem, reum ad pœnam condemnet: in proximè ſequenti capitulo dicā de illis, quæ conueniunt eidem legi, poſtquam iudex damnauit reum ad pœnam in lege ſtatutam. Si legem pœnalem, quæ ſententiam ferendam continet, conſideramus, antequam iudex damnet reum ad pœnam in illa contentam, quidquid ad hanc conſiderationem attinet, duabus concluſionibus abſoluemus. Sit igitur hæc prima concluſio.

Andræas Tiraquellus. D

Concluſio prima.

Toto illo tempore antequam iudex proferat ſententiam iuxta legis diſpoſitionem, reus nō obligatur in conſcientia ad ſubeundum pœnā à lege ſtatutam. Hæc cōcluſio probatur, quia nullus ex vi legis alicuius obligatūr ad plus faciendum vel omittendum, quàm ſit per legem ipſam expreſſum.

A preſſum. At lex pœnalis, quæ ſtatuit pœnā à iudice inferendam, nō præcipit reo, vt ipſe per ſe pœnā illam ſubeat, ergo reus non tenetur ad illam per ſe ſuſcipiendam. De hac pœna, quæ non eſt à iure inflicta, ſed à iudice venit inferenda, cenſent omnes iuris humani periti, quòd illa nō tranſit ad hæredes, quia ſi ante condemnationē moriatur reus, ceſſat pœna, vt in l. Si pœna. ff. de pœnis. Ita docet Petrus de Ancharano in cap. Cùm ſecundum leges, de hæreticis. lib. vj. Ratio huius ſententiæ eſt, quia hæres in his, quæ ad hæreditatem pertinent, cenſetur velut eadem perſona cum defuncto, cui ſucceſsit, & ideo non ad plura tenetur hæres ratione hæreditatis, quam tenebatur defunctus quādo deceſſit. At defunctus, qui nondum damnatus ad pœnā deceſsit, nō tenebatur ad illā tunc, ergo nec hæres, qui in hac parte idem cū illo reputatur, tenebitur ad illā. Et idē prorſus dicendum eſt de executore teſtamēti, quoniā etiā ipſe nō tenetur in cōſcientia ſoluere pœnā, quæ eſt à lege per ſententiam ferendā ſtatuta, quāuis defunctus cōmiſit delictū, propter quod lex ſtatuerat talē pœnā à iudice inferri, ſi ille antequā cōdemnaretur ad illā, ex hac vita migrauit. Hoc do-

Petrus Ancharanus.

B cet Baldus in l. Id quod pauperibus. quæſt. ix. C. de epiſcop. & cleric. Quæ ſentētia eadem ratione probatur, ſicut præcedens: quia executor teſtamenti non ad plura obligatur, quàm ipſe cōditor illius obligatus erat quādo mortuus eſt. Ex iſta cōcluſione ſic declarata, plurima poſſunt corollaria deduci, & ex tam multis paucula quædam hîc proferā, quæ (vt exiſtimo) magis prodeſſe poſſunt ad tollendos ſcrupulos, qui aliquorum conſcientias vexare ſolent.

Baldus.

Primò quidem infero peccare ſubditos, qui ſuo ſuperiori prælato obedientiam præſtare nolunt, ob hoc ſolum, quòd ille commiſit crimen contra quod eſt lex ſtatuta, quæ præcipit, nō vt ſit ipſo iure priuatus ſua dignitate, ſed quòd ſit illa per iudicem priuandus. Quoniam etſi prælatus crimen tale commiſit, quandiu tamen non eſt per iudicem ſua dignitate priuatus, adhuc ille ſalua conſcientia retinet illam, & poteſt ſuum officium exercere, & valebunt omnia, quæ illo tempore ab illo geſta fuerint. Sicut igitur ille adhuc poteſt ſuis ſubditis præcipere, ita ſubditi eo tempore obedire tenentur. Quia iure præcipere, & obligari ad obedientiam ſunt correlatiua, quæ ſe mutuò reſpiciunt,

Corollarium primum.

ciunt,& quorum alterum ſine altero conſiſtere non poteſt. C Nullus enim poteſt iure præcipere alicui, niſi illi tantum, qui tenetur illius præcepto obedire. Et quòd ſubditi non poſsint ab obedientia ſui prȩlati recedere,antequam ſit per iudicē ſua dignitate priuatus, probatur authoritate Symachi papæ dicentis. Si quis clericorum ab epiſcopo ſuo ante ſententiæ tempus pro dubia ſuſpitione diſceſſerit, manifeſtam in eum manere cenſurā.Lex enim Eccleſiaſtica pontificem ab aliis accuſatū, priuſquam ſub luce obiecta conſtiterint,exigit nō relinqui. Hæc Symachus papa,& citantur à Gratiano in cap.Nonne.viij.quæſt.iiij.Et in huius confir-

Auguſti. mationem eſſe poteſt,quod Auguſtinus ait in quadam homilia de pœnitentia. Quis enim (inquit Auguſtin.) ſibi vtrunq; auderet aſſumere, vt cuiuſquam ipſe ſit, & accuſator & iudex? Hæc ille.Sed fortè contra hæc quis nobis obiiciet cap.Sanè.xvj.quæſt. vij. vbi dicitur populum ab obedientia Dioſcori receſsiſſe, & bene in hoc feciſſe, quamuis non fuerat per ſententiam iudicis competentis epiſcopatu priuatus. Sed hæc obiectio nihil nos mouet,quoniam ſi litera illius capit.inſpiciatur, conſtabit manifeſtè non fuiſſe tunc neceſſariā iudicis ſententiā:quia cōceſsio epiſcopatus D fuerat ipſo iure nulla, quia fuerat ordinatus epiſcopatus ab eo,qui illum inſtituere nō poterat.Nam (vt in eodem cap. refertur) cùm Dioſcorus iunior manus impoſitionē acceperat à rege, receſſerunt multitudines populorū dicentes. Quia ſecundum quod continent canones apoſtolorum non eſt factus epiſcopus,& ideo non recipietur. Principes enim intronizauerant eum.Hæc ibi. Fortè rex ille Anaſtaſius, à quo Dioſcorus manus impoſitionē acceperat, in hunc inciderat errorē,vt putaret ad regiā dignitatē pertinere epiſcopos inſtituere. Nam in hunc eundem errorē hoc noſtro ſeculo lapſus eſt Henricus huius nominis octauus, Angliæ rex, qui putauit quemlibet regē in ſuo regno papam eſſe, & omnē papæ poteſtatē habere. Et iuxta hunc errorē ipſe dum viueret epiſcopos inſtituebat.Certum eſt illos,quibus hi reges epiſcoporum nomina dederunt,non fuiſſe nec eſſe epiſcopos,& ideo nō opus erat iudicis ſentētia,vt quis iuſtè ab alicuius illorū obedientia recederet. Quia vt ſic fiat generali decreto ſtatutū eſt in capit. Si quis pecunia.lxxix.diſtinct. Nec ſolum in caſu illius capituli, ſed generaliter id

verum

A verum eſt, vt quoties quis commiſit crimen, propter quod eſt ipſo iure priuatus prælatione ſua, poſſunt ſubditi, poſtquam illis quomodolibet de crimine publico cõſtiterit ſe à ſui prælati obedientia ſubducere abſq; aliqua alia iudicis ſententia. Hoc enim colligitur ex cap. Tanta, de exceſſibus prælatorum, & ex cap. Veritatis, de dolo & contumacia. Si tamen crimen à prælato commiſſum eſt tale, quòd propter illud nõ eſt ipſo iure priuatus, ſed per iudicẽ priuãdus prælatione ſua, peccarent ſubditi, qui ob ſolũ illud crimẽ illi obedire nollent, antequã à iudice eſſet ſua dignitate priuatus. Hoc annotauit Petrus Ancharanus in capit. Ad apoſtolicæ, de ſententia & re iudicata lib. vj. in notabili xx. vbi fatetur ſe hoc didiciſſe à clariſsimo præceptore ſuo Lapo, dum audiret illum interpretantem illud capitulum, Sæpe, quod habetur in decretalibus, in titulo de appellationibus. Et refert Lapum pro hac ſentẽtia allegaſſe Bartolum in tractatu de tyranno. q. vij. Sed certè res hæc (vt ego exiſtimo) non eſt adeò obſcura aut ſuſpecta, vt pro illius confirmatione fuerit opus doctorũ teſtimonia citare. Nec ſentẽtia iſta eſt tam difficilis ad intelligendũ, vt illius *Petrus de Ancharano.* *Lapus.* *Bartolus.*
B cognitio aut elucidatio eſſet tantũ æſtimãda, quantũ illam æſtimat Petrus Ancharanus. Nam quiſquis bene intellexerit primam noſtrã concluſionẽ, quam in principio huius capitis propoſuimus, facilè agnoſcet hoc noſtrũ primum corollarium optimè ex illa deduci.

Secundò, ex illa prima noſtra cõcluſione infero illũ, qui cõmiſit crimen, propter quod nõ eſt ipſo iure priuatus bonis ſuis, ſed lex ſtatuit illũ fore à iudice priuandũ poſſe, antequã per iudicẽ ſit ſuis bonis priuatus, omnia illa circa bona ſua abſq; peccato agere, quę antequã crimen cõmiſit, ratione dominij agere potuiſſet. Hoc corollarium probatur, quia licet crimen ſit cõmiſſum, tamẽ antequã ad pœnã ſuo crimini debitã per iudicẽ condẽnetur, retinet ęquè integrũ bonorũ dominiũ, ſicut ante crimen cõmiſſum retinebat, ergo tunc poteſt omnes dominij conditiones & proprietates erga bona ſua exercere. Poteſt igitur res ſuas alienare, non ſolũ titulo lucratiuo, prout (iuxta aliquorũ opinionẽ) poteſt is, qui poſſeſsionẽ bonorũ retinens, priuatus eſt dominio illorũ ipſo iure, ſed etiã titulo oneroſo. Poteſt res ſuas etiam cum onere aut detrimento aliquo permutare. Poteſt res *Corollarium ſecundum.*

ſuas liberè donare. Verum hoc, quod de donatione, aut alia quauis bonorum cum detrimẽto illorum alienatione dicimus, hoc tẽperamento aut limitatione intelligendum eſſe volo, vt hæc ſine dolo & fraude fiant, Nam ſi is, qui crimen cõmiſit, intelligens ſe propter illud priuandũ omnibus bonis ſuis, illa alicui alteri donaret, aut quouis alio modo cũ bonorum eorundẽ detrimẽto alienaret, quod crimine non cõmiſſo nullo modo fuiſſet facturus, nõ valeret (vt aliqui opinãtur) talis rerũ alienatio. Quia (vt dicitur in cap. Sedes Apoſtolica, de reſcriptis.) dolus & fraus nemini debent patrocinari. Sed quid ſi volens crimen cõmittere, ob quod ſcit ſe bonis ſuis priuandũ, antequam illud cõmittat, donet bona ſua, aut vendat illa? Nunquid in cõſcientia valebit talis donatio, aut venditio? Bartolus in l. Poſt contractum. ff. de donatio. dicit quòd ſiue donet ante delictũ cõmiſſum, ſiue poſtea, nunquam valebit donatio, ſi hac intentione donet, vt poſt commiſſum delictum fiſcus non poſsit capere bona eius. Bartoli ſententia ea tantũ parte poſſet fortè tolerari, quia loquitur de illo, qui donauit poſt delictũ commiſſum: ſed non de illo, qui donat ante delictum commiſſum. Quid in foro exteriori iudex ſecularis eſſet facturus, nihil mea intereſt: in foro tamen conſcientię ego cenſeo talem donationem, aut vẽditionem eſſe validam & firmam, quia tunc erat verè dominus illius rei, & nullũ habebat ius in illa fiſcus, nec ius ad illã. Quando autem iam eſt cõmiſſum delictum, propter quod reus bonis ſuis eſt à iudice priuandus, licet nullũ habeat fiſcus ius in illis ante condemnationem, habet tamen ius ad illa, quia poteſt agere contra reũ in iudicio, & petere vt priuetur bonis, & bona illius ſibi dentur. Et quia dolo & fraude voluit impedire ius, quod fiſcus habebat, ideo tenetur illi. Qui autem vendidit ante crimen commiſſum, quamuis mala intentione vendiderit, ad nihil tenetur fiſco: quia tunc fiſcus nec habebat ius in re, nec ius ad rem. Deinde, eo tempore, quo donauit aut vendidit, ſolùm peccauit cogitatione, propter quam non poterat puniri, & ſuis bonis priuari, quia cogitationis pœnã nemo meretur, vt dicitur in c. cogitationis, de pœnit. d. j. Præterea, poſtquam bona illa vendidit, potuit dolere de malo propoſito & non committere crimen, & tunc valeret donatio aut venditio: ergo etiam valebit, quamuis poſtea commiſerit crimen

Margin: C; *Bartolus*; D

A crimẽ. Quia cùm talis donatio aut venditio non ſit cõditionalis ex nullo euẽtu futuro pẽdet, Et ſi ſemel rata eſt, quacũque re ſubſequẽte non poterit eſſe infecta. Et certè ego non poſſum credere, quòd venditio aut donatio facta ab eo, qui eſt dominus rei, & non eſt aliqua lege impeditus, non valeat. At is, qui decreuit crimen cõmittere, & nondum commiſit, eſt dominus bonorum ſuorum, & tunc nulla lege eſt prohibitus dare aut vendere, ergo donatio aut venditio ab eo facta valebit. Quòd autem non ſit aliqua lege prohibitus, inde conuincitur, quòd ſi poſt talem donationem aut venditionem non committeret crimen (vt dixi) valebit donatio, aut venditio. Et eadem ratione poteſt probari idem eſſe dicendum de eo, qui rem alienat poſt crimen commiſſum: quia hic etiam eſt dominus, antequam à iudice damnetur. Poterit res ſuas locare quibus placuerit, & pretium locationis accipere. Poterit agros aut domos locare, & fructus aut redditus ante debitos exigere, & contra debitores agere. Quoniam in pœna, quæ eſt per ſententiã iudicis inferenda, nõ poteſt reus ante talem ſentẽtiam excludi ab actione contra debitores ſuos.

B Quia ante talem ſententiam eſt verè dominus bonorũ ſuorum, & poteſt pro illis ea, quæ ad dominum ſpectant, agere. Et hoc etiam annotat Petrus Ancharanus in eodẽ capi. Cùm ſecundum leges, & dicit illud probari per legem, Aufertur. §. In reatu. ff. de iure fiſci. Et ſicut ille, qui crimen commiſit, antequam condemnetur à iudice, poteſt tanquam dominus bonorum ſuorum pro illis agere, & à quocunque debitore exigere: ita debitor tenetur illi, antequam condemnetur debitum ſoluere, nec poteſt tunc ſalua conſcientia illum ratione criminis commiſſi repellere, vt dicitur in l. Reo. ff. de ſolutionibus. Quia ſola accuſatio non conſtituit aliquem reum vel crimino ſum, vt dicitur cap. vltimo. xv. quęſt. vlti. Et (vt dicitur in cap. Multi. ij. q. j.) iniquum eſt, vt idem ſimul ſit accuſator & iudex. Sed ſi crimen commiſſum eſſet tale, vt propter illud ipſo iure cenſeatur priuatus bonis ſuis, neq; is, qui crimẽ commiſit, poteſt debita à debitore exigere, nec debitor tenetur creditori ſed fiſco ſoluere, vt probatur per cap. Felicis. de pœnis. li. vj. vbi hæc verba habentur. Nullus ei debita reddere teneatur. Hoc tamen vltimum tunc ſolùm credo

Petrus Ancharanus.

eſſe verũ, quãdo debitori quomodolibet conſtiterit crimen C creditoris. Nam licet creditor cõmiſerit crimẽ læſæ maieſtatis, aut crimẽ, de quo agitur in dicto cap. Felicis, ſi tamen crimẽ illud latet debitorẽ, tenebitur debitor, quamdiu crimen ignorat, ad debiti ſolutionẽ. Tenebitur inquam, non quia re vera eſt debitor, ſed propter conſcientiã, qua ignorans crimen creditoris, putat ſe eſſe illi debitorem.

Corollarium tertium. Tertiò, ex eadẽ prima concluſione infero eũ, qui aliquid lucratus eſt in ludo alearũ, non teneri virtute cõmunis legis ad reſtitutionẽ illius, niſi fortè propter aliquã circũſtantiã ludo adhęrentẽ, ex iure diuino ad id faciẽdum teneatur. Poſſunt enim tales aliquæ circunſtantiæ ineſſe ludo, quæ apertè illud vitient, & lucrata in illo faciãt reſtitutioni obnoxia. Nam qui eorũ, quę ludunt, nõ habẽt dominiũ & adminiſtrationẽ, ſicut ea donare nõ poſſunt, ita nec ea ludere. Et inde ſequitur, vt qui ab huiuſmodi hominibus aliquid lucratur, ſit obligatus ad illius reſtitutionẽ. Quiſquis igitur à monacho aliquid lucratur, tenetur ad reſtitutionem, quia monachus etſi prælatus ſit, & adminiſtrationem bonorũ habeat, non habet tamen dominium. Eadem ratione qui lucratur à fure, aut filiofamilias tenetur reſtituere, D quia nullus iſtorum habet verum dominium. Qui lucratur ab vxore ſine licentia mariti, aut à minore viginti quinq; annis, aut à mente capto, quia licet quilibet iſtorum habeat verum rerum dominium, nullus tamen illorum habet bonorum ſuorum adminiſtrationem. Sed ſi aliquis iſtorum, qui ludere non poſſunt, lucratus fuerit aliquid ab eo, qui ludere poteſt, nunquid tenebitur ad reſtitutionem? Ego certè cenſeo illum eſſe obligatum ad reſtitutionem, perinde vt alter illi. Nam natura contractus hoc habet, vt ſemper oporteat vtrunq; ex contrahentibus eſſe ligatum aut nullum. Nullo enim modo patitur natura contractus, vt altero exiſtente ſoluto & libero, alter ligatus ſit. Eſt autem ludus alearum, veluti quidam tacitus contractus conditionalis, quo ludentes inter ſe conueniunt, vt ſi hoc aut illo modo alea cõtigerit, teneatur alter alteri id, quod appoſitum fuerit reddere. Inde ergo apertè conuincitur, vt ſicut maior xxv. annis non poteſt aliquid à minori lucrari, ita nec minor à maiori. Quia ſi contractus eſt nullus propter minorem, qui conuenire non potuit, erit

A etiam nullus maiori perinde ac minori. Deinde, qui per fraudem aut dolum aliquid lucratur, tenetur eidem reſtituere quidquid lucratus eſt: quia dolus & fraus nemini patrocinari debent. Præterea, is qui fraude aut dolo deceptus amiſit aliquid in ludo, & ſoluit, inuitus reddit: quia credens ſe verè perdidiſſe donat, & ſi ſciret ſe deceptũ fraude aut dolo, nihil ſoluiſſet. Fuit ergo inuoluntarius reddendo: quia ignorantia cauſat inuoluntarium. Rurſum, is qui fraude & dolo lucratus eſt, excesſit rationem & legem contractus, ergo ratione illius nihil capere potuit, & inde ſequitur, vt id, quod accepit, teneatur reſtituere. Tertio modo (vt beatus Thomas docet) tenetur quiſq; ex iure diuino reſtituere, quod in ludo acquiſiuit, ſi ille alium ex cupiditate lucri traxit ad ludum. Hæc tamen ſancti Thomæ ſententia non de quacunq; tractione intelligẽda eſt, ſed de illa ſola, quæ ſufficit cauſare inuoluntariũ, vt ſunt opprobria, conuitia, inſultationes, aut preces ſuperiorum dominorum adeò vehementes, vt illis inferiores cõtradicere non audeant. Horum quodlibet poteſt cauſare inuoluntarium, vt puta nolitionem conditionalem, quæ ſatis eſt ad impe-

S. Tho. 2. 2. q. 32. ar. 7. ad 2.

B diendum translationem dominij. Nam qui vſurario vltra mutuum, quod ab eo acceperat, reddit, etſi actu & abſolutè volens reddat, quia tamen nollet reddere, ſi aliter poſſet ab eo mutuari, inuitus donare, ac proinde dominium minimè transferre dicitur. Si talis aliqua ſit ad ludum tractio, quæ ſufficiat efficere huiuſmodi inuoluntarium conditionale, is qui ſic attraxit ad ludum meritò tenebitur ad reſtitutionem eius quod in ludo lucratus eſt. Quia ab eo qui inuoluntariè donauit, accepit, & inde conuincitur nullum in re ſic donata acquiſiuiſſe dominium. Si attractio ad ludum non eſt tanta, vt ſufficiat cauſare inuoluntarium, prout eſt illa quæ fit per blandas ſuaſiones aut leues preces, quæ nullam vim nullúmq; metum valent alteri incutere, talis attractio ſicut non cauſat inuoluntarium, ita nec ſic attrahentem facit obligatum ad reſtituendum id quod in ludo lucratus eſt. Nec puto beatum Thomam de hac leui attractione intellexiſſe cùm dixit, eum qui alium traxit ad ludendum, teneri ex iure diuino ad reſtituendum ſi quid fuerit in tali ludo lucratus. Iniuſtè igitur Adrianus hac in parte accuſat ſanctum Thomam, dictum illius de omni

Adria. in 4. in materia de reſtit. q. de ludo alearum.

attractione interpretans, quòd poterat benignius agens C
de ſola violenta attractione interpretari. Nam ſi de hac ſola attractione interpretaretur, clariſsimè intelligeret nihil prorſus valere argumentum quo illum oppugnat. Dicit enim quod attrahens ad ludum nihil iniuſtum facit, cùm per hoc non auferat alienum. Hoc autem (vt ex his quæ diximus apertè conſtat) falſum eſt. Quia ſi attractio cauſat inuoluntarium, qui ſic attrahens lucratur, alienum aufert. Et idem dicere oportet de illo qui tali violenta attractione traxit aliquem ad mercandum: quoniam ſic inuoluntarium trahens tenetur etiam illi reſtituere lucrum quod ex tali negotiatione extorſit. Præter has tres ludi circunſtantias, & ſi aliqua alia ſit quæ valeat luſorem efficere obnoxium culpæ mortali, nulla tamen eſt alia quæ ex iure diuino poſsit illum reddere obligatum ad reſtitutionem eius quod lucratus fuerit. His igitur circunſtantiis, quæ iure diuino ad reſtitutionem obligant, ſecluſis, nullus (vt in noſtro corollario diximus) ex iure humano omnibus communi obligatur ad reſtitutionem rei per ludum acquiſitæ, antequam ſit ad id faciendum per iudicem condemnatus. Hoc corollarium ex eo apertè probatur, D
quòd lex pœnalis quæ in iure communi cõtra luſores habetur, non continet hac in parte ſententiam latam, ſed ſolùm ſententiam à iudice ferendam. Quo fit, vt luſor (iuxta id quod in prima cõcluſione diximus) non teneatur ad pœnam in tali lege contentam, antequam ſit ad illam à iudice damnatus. Vt autem quod dico apertius fiat, verba legis citare oportebit. In authentica Alearum vſus. C. de religioſis & ſumptibus funerum. Iuſtinianus Imperator de Alearum ludo loquens poſtquã dixit illum multorũ malorum eſſe cauſam, hæc quæ ſequuntur verba ait. Commodis igitur ſubditorũ proſpiciẽtes hac generali lege decreuimus, vt nulli liceat in publicis vel priuatis domibus, vel locis ludere, neque in ſpecie neque in genere. Et ſi contra factum fuerit, nulla ſequatur condemnatio, ſed ſolutum reddatur, & actionibus competentibus repetatur ab iis qui dederunt, aut eorum hæredibus: aut his negligentibus, à procuratoribus, vel patribus ſeu defenſoribus: non obſtante, niſi quinquaginta annorum præſcriptione. Hactenus verba legis. Hæc lex illos ſolos obligat qui

ſubſunt

A ſubſunt imperatori,& illius legibus vtũtur,qui hodie pauciſsimi ſunt: quoniã nec Hiſpania, nec Gallia, nec Anglia, nec tota ferè Italia imperialibus legibus ſubditur, ſed ſingula quæq; harũ prouinciarũ propriis vtitur legibus. Imò nec eos qui Imperatori ſubduntur obligat: quia per contrariam conſuetudinem eſt iam lex illa abrogata. Quia (vt ab his qui viderunt audiui) in nulla ciuitate imperio ſubiecta conceditur perdenti, vt repetere poſsit quod in ludo amiſit. Sed eſto omnes huic legi ſubdantur, per illam tamen (vt ex verbis illius nunc proximè citatis conſtat) nullus tenetur ad reſtitutionem lucri, niſi poſtquam ad id damnatus fuerit. Solutum (inquit lex) reddatur, & actionibus competentibus repetatur ab his qui dederunt. Ex quibus verbis conſtat ſolam actionem per illam legem dari perdenti, vt poſsit repetere id quod perdens in ludo ſoluerat lucranti. Cùm igitur lex non auferat dominium à lucrante, nec dicat contractum tacitum, qui inter luſores interuenit, eſſe ipſo iure nullum, nec cogit perdentem vt contra lucrantem agat, ſed ſolùm imponat pœnam lucranti, vt poſsit ab illo repeti id quod lucratus fuerit, aper-
B tiſsimè conuincitur illum non teneri ad reddendum lucrum antequam ab illo petatur. Dubitari tamen poſſet & meritò, an ſi perdens petat extra iudicium à lucrante id quòd in ludo perdiderat teneatur lucrans ex obligatione huius legis illi reddere, an poſsit retinere quouſq; in iudicio petat. Et videri poſſet quòd teneatur reddere eo ipſo quòd perdens quouis modo petierit, nec oporteat iudicis ſententiam expectare. Quia lex iubet vt ſolutum reddatur: ex quo verborum contextu videtur innui, vt ſolutum tunc reddi debeat quum fuerit repetitum. Mihi tamen videtur non ita eſſe, ſed oportere vt in iudicio petatur, nec lucrantem teneri ad reddendum lucrum, ſi illud perdens petierit extra iudicium. Quia lex non dicit abſolutè vt ſolutum reddatur, ſed addidit, actionibus competentibus repetatur. Quibus verbis apertè oſtendit talem repetitionem faciendam eſſe in iudicio, & non extra. Nam actio ea ſola in iure vocatur, quæ fit in iudicio, factio verò extra iudicium. Nam cùm in l. prima. §. Quibus. ff. quòd cuiuſq; vniuerſitatis, dicat Caius iuriſconſultus oportere quamlibet rempublicã habere actorem ſiue ſyndicum per

quem quod communiter agi, fieriq; oporteat, agatur & fiat. Accurſius verba illa interpretans dicit, Agi, eſſe in iudiciis, fieri verò, extra iudicia. Cùm igitur lex ſolùm concedat perdenti, vt per actionem competentem repetat quod ſemel ſoluit, conuincitur inde, vt lucrator non teneatur ad reddendum, quando ille petierit extra iudicium. Sed nunquid ſtante prædictæ legis obligatione tenebitur ad reddendum ſolutum, ſtatim poſtquam alius in iudicio petierit, etiam ante iudicis condemnationem? Et fortè quis ſentiet illum teneri ad reddendum, antequàm iudex præcipiat reddere, quia lex nihil præcipit iudici, quod ille facere teneatur, nec aliquid exprimit, quod ſit à iudice faciendum: ſed ſolùm dat perdenti actionem competentem. Præterea, iudex nunquam præciperet reddere, niſi is, qui ſolutũ accepit, teneretur reddere: alioqui iniuſtè ageret iudex, præcipiendo illi vt reddat, quod reddere non tenetur. Rurſum, ad eiuſdem ſententiæ confirmationem adduci poteſt ſimile de vſurario, cui debitor iurauit ſe vltra ſortem illi reddere vſuram. Nam is, qui dedit, quamuis teneretur reddere, poteſt tamen agere in iudicio cõtra illum, & petere vſuram, quam dedit, prout definitum eſt in capit. Debitores, de iureiurando. Illo autem petente (vt apertè conſtat) vſurarius tenebitur reddere, antequã ſit à iudice ad id faciendum condemnatus, ergo etiam qui lucratus eſt, tenebitur perdẽti, poſtquàm ille petierit reddere ſolutum, antequam à iudice condemnetur, quia etiam iſte habet actionem contra lucrantem, ſicut alius contra vſurarium. Deinde, is qui perdit, quamuis abſolutè & efficaciter voluit reddere lucranti id, quod perdidit: noluiſſet tamen reddere ſi crederet ſe poſſe, præſertim ſine infamiæ nota, à redditione liberari. Talis autem conditionalis nolitio ſufficit trãslationẽ dominij per illam factã reddere nullam, prout ſuprà diximus de illo, qui vltra mutuum dedit aliquid vſurario. Fiet igitur hac ratione, vt lucrans teneatur reddere perdenti id, quod lucratus eſt, etiã ſi ille non petat. Sed licet hæc omnia vtcunq; ſuadere videantur, non tamen conuincunt lucrantem teneri ad reddendum, quod lucratus eſt, antequam ad id faciendum ſit à iudice condemnatus. Nam etſi lex illa (vt primo loco obiicitur) nihil apertè præcipiat iudici, nihilq; manifeſtè exprimat, quod ſit ab illo faciendum,

A ciendum, tamen eo ipſo, quo perdenti tribuit actionem competentem ad repetendum, præcipit iudici, vt lucrantem reddere cogat. Alioqui inanis & non competens eſſet actio, quæ perdenti tribuitur, ſi illa habita iudex per illam non obligaretur cogere lucrantem ad reddendum quod acceperat. Quod verò in ſecundo argumento aſſumitur, falſum eſt. Iudex enim ſæpe præcipit aliquid alicui reddi, quod tamen iudicis mandato ſecluſo, non eſſet illius, cui reddi iubetur. Nec tamen iudex ſic præcipiens iniuſtè facit, cùm illud lege ita fieri præcipiente faciat. Hoc autem ſemper euenit in executione earum pœnarum quas lex alicui certæ perſonæ per iudicem applicandas ſtatuit. Cùm enim iudex aliquam huiuſmodi pœnarum illi perſonæ ſolui iubet, cui lex ipſa reddi præceperat, iuſtè agit, quia legi iuſtæ obtemperat. Nec obſtat quod is à quo pœna exigitur, retinet illius rei dominiũ ante iudicis condemnationem, quia iudex poteſt ex legis decreto dominium alicuius rei ab vno in pœnam ſui delicti, in alterum transferre. Ad eundem modum is cui pœna eſt per iudicem ex præcepto legis applicanda, & ſi nullum habeat in ea re B ante iudicis ſententiam dominium, iuſtè tamen poteſt petere à iudice, vt pœnam illam delinquenti inferat. Quia hoc faciens petit id fieri quod lex facere iubet. Quod tertio loco obiicitur de ſimilitudine vſurarij, qui antequam à iudice condemnetur tenetur reſtituere vſuram, nihil nos mouet: quoniam latiſsima eſt differentia inter vſurarium & illum qui lucratus eſt in alea. Nam vſurarius non acquiſiuit dominium illius quod vltra ſortem accepit, propterea quòd contractus ille eſt lege naturali prohibitus & ipſo facto irritus & inanis: & inde oritur vt non ſolum abſq; iudicis condemnatione, ſed etiam abſq; petitione illius qui dedit teneatur vſuram reſtituere. Is autem qui lucratus eſt, verum acquiſiuit lucri dominium. Quoniam & ſi contractus ille tacitus inter luſores initus, ſit lege prohibitus, non tamen eſt per ipſam legem declaratus inanis & inualidus. Et inde euenire neceſſe eſt, vt tali contractu ſtante perdens transferat verum dominium rei perditæ in lucrantem. Ex quo aperte ſequitur, vt lucrans non teneatur ante condemnationem reſtituere lucrum, quamuis vſurarius id facere teneatur. Nec obſtat quod

vltimo obiicitur, perdentem conditionali nolitione ſe nolle reddere quod perdidit, perinde ac ille qui vſurario vltra mutui ſortem aliquid reddit: quia longiſsimè vnum ab altero diſtat, nec aliqua eſt in hac parte inter vtrunq; ſimilitudo. Nam is qui vſurario vltra mutuum reddit, quamuis abſolutè & efficaciter vult reddere vltra mutuum, ex ipſa tamen ratione contractûs non tenetur ita velle, imò citra iniuſtitiæ notam poſſet abſolutè nolle reddere, aut ſaltem poteſt ſub hac conditione nolle, ſi poſſet ſine talis vſuræ redditione mutuum impetrare. Et hinc euenit vt conditionalis nolitio quæ in ipſa redditione vſuræ interuenit, ſatis ſit ad efficiendam ipſam redditionē inuoluntariam, & per conſequens ad impediendam verā dominij translationem. Qui autem in ludo perdit, & ſi in ſolutione nolitionem conditionalem habeat, ex ipſa tamen ratione contractus luſorij tenetur abſolutè & efficaciter velle ſoluere id, quod perdidit, etiam ſi crederet ſe ſine tali ſolutione non fore aliqua infamia maculandum. Quia hæc eſt illius taciti contractus conditio, vt cui deterior in ludo ſors contigerit, reddat alteri colludenti id, quod ludi fortunæ commiſerat. Et hinc euenit, vt illa conditionalis nolitio, quam in ſolutione habet perdens, non ſufficiat ad impediendam translationem dominij. Nam ferè ſemper debitor cùm creditori ſoluit id, quod debeat, habet hanc conditionalem nolitionem, quia tamen tenetur illam non habere, imò potius habere abſolutam & efficacem volitionem reddendi id, quod debet, etiam ſi crederet ſe non poſſe ad id compelli, ideo talis nolitio conditionalis non ſufficit impedire veram dominij translationem, quæ fit per debiti ſolutionem. Perdens igitur in ludo, quamuis cùm ſoluit id, quod in ludo perdiderat, nolitionē habeat conditionatam non reddendi, ſi id commodè & ſine vllo ſui detrimento euitare poſſet, quia tamen ex ratione tacitæ promiſsionis, quæ in ipſo contractu interuenit, ſoluere tenetur, verum transfert in ipſum lucrantē dominium. Et hinc deniq; ſequitur verum eſſe id, quod à principio in tertio loco ex noſtra prima principali concluſione deduximus corollarium, lucrantem videlicet non teneri ad reſtituendum lucrum, antequam ad id faciēdum à iudice cōpellatur. Quia quum lex pœnalis, quæ iubet vt ſolutum reddatur, non contineat

ſenten

A ſententiam ab ipſo iure latã, ſed ſolùm à iudice ferendam, conſequens eſt, vt nõ teneatur ad illam, niſi poſtquàm fuerit à iudice condemnatus. Ex quibus omnibus apertè conuincitur erraſſe dominum Adrianum, qui dicit perdentem in ludo poſſe detinere in ſe id, quod perdidit, & negare ſolutionem lucranti. Quia cùm ille tacitus contractus, qui inter ludentes interuenit, non ſit aliquo iure in nihilum & inane redactus, conuincitur inde, vt ſolutio rei in ludo perditæ, non ſit res mala & iniuſta, & inde vlterius ſequitur, vt promiſsio de tali ſolutione facienda, ſit neceſſariò adimplenda. Quia ius naturale eſt, vt licitè promiſſa reddantur. Nec actio repetẽdi obſtat, quin perditum debeat ſolui. Quia duo illa ſimul cohærere poſſunt, vt videlicet promiſſum primò reddatur, & deinde repetatur, prout contingit in illo, qui mutuatus aliquid ab vſurario iurauit ſe illi vſuram vltra mutuum redditurum. Hic enim (vt definitum eſt in cap. Debitores, de iureiurando) tenetur reddere vſuram, quia iuramento promiſſam, eam tamen poteſt poſtea actione iuſta repetere. Eodem modo per omnia dicere oportet de illo, qui in ludo perdidit, quia hic tenetur

B ſoluere, quod perdidit, propterea quòd à principio ludi ita ſe facturum promiſit: & poſtquàm ſoluerit, poterit repetere ſolutum, quia hoc ſibi lex concedit. Præterea, ſi perdens poteſt iuſtè non ſoluere, ergo lucrans nullum ex ratione ludi acquiſiuit dominium in re, quam lucratus eſt, nec ius aliquod habet ad illam: quia ſi habet dominium illius, aut ius ad illam, inde euidenter conuincitur, perdentem teneri ad ſoluendum quod perdidit, quia tenetur reddere alienum. Quòd autem lucrans habeat verum in lucro dominium, ipſe Adrianus fatetur, cùm dicit lucrantem non teneri ad reſtitutionem lucri, antequam ad id faciendum à iudice condemnetur. Cum quã ſententia cohærere non poteſt alia, qua dicit perdentem non teneri ad ſoluendum quod in ludo perdiderat. Hoc autem, quod de ſolutione neceſſariò facienda dixi, hac limitatione intelligendum eſt, niſi is, qui perdiderit per legem aliquam humanam, ab huiuſmodi ſolutionis obligatione liberetur. Nam ſi is, qui perdidit, non eſt ſui iuris, nec poteſt aliquid iuxta legem donare, ſicut non poteſt aliquid in ludo perdere, ita nec tenetur perditum ſoluere. Deinde ex pragmatica

Adrian. vbi ſuprà.

ſanctione

ſanctione regni Caſtellæ edita à Carolo Cæſare primo huius nominis Hiſpaniarum rege, nullus poteſt ludere cum quouis homine, etiam in ludo permiſſo, niſi præſens ſit & coram ipſis luſoribus appoſitum quod ibidem luditur, & fortunæ ludo committitur, vt quiſque, quod ex ludo fuerit lucratus, accipere valeat. Quoniam ſi precium non fuerit appoſitum, ſed ſola fuerit data promiſsio ſolutionis, & vterque ex ſolutionis cõfidentia impoſterum dandæ ludat, is qui perdidit, non tenetur ad ſolutionem: nec is, qui lucratus eſt, poterit in iudicio agere contra perdentem, nec ratione lucri petere aliquid ab eo. Hac lege data, quam iuſtiſsimam eſſe cenſeo, is qui hoc modo ſub confidentia ſolutionis perdidit in ludo, non tenetur ſoluere, quia per legem, quæ talem contractum reddit nullum, liberatur ab obligatione ſolutionis. Ex his etiam, quæ in hoc tertio corollario diximus, conuincitur falſam eſſe aliam Adriani ſententiam, qua ait perdentem in ludo, poſtquam id, quod perdiderat, ſoluerit, poſſe propria authoritate recuperare & recompenſationem facere, ſi per iudicis manum id ſe poſſe recuperare non ſperat. Nam compenſationem propria authoritate licitè ſumere non poteſt, etiam ſi omnes debitas circunſtantias apponat, niſi is, cui aliquid debetur, & ab illo ſolo, qui illi aliquid debet. At, qui lucratus eſt in ludo (vt hactenus declaratum & probatum eſt) non tenetur ad lucri reſtitutionem antequam per iudicem condemnetur: ergo toto illo tempore ante condemnationem habet verum lucri dominium, & nihil ratione illius lucri debet perdenti. Et inde apertiſsimè conuincitur, vt perdens non poſsit propria authoritate recuperare perditum, nec illius compenſationem ſumere, quamuis illud ſe per iudicem recuperare deſperet. Quomodo poteſt licitè compenſationem ſumere pro eo quod ſibi non debetur? Præterea, lex (vt ſuprà oſtenſum eſt) non reddit inanem contractum ludi, nec prohibet lucrantem accipere aliquod ex ludo lucrum, nec prohibet tranſlationem dominij per ludum fieri, ſed ſolùm dat actionem perdenti, vt poſsit repetere quod ſoluit. Cùm igitur actio (vt ſuprà probauimus) ſit in iudicio & non extra, conuincitur inde vt ſolo iudicio interueniente poſsit habere compenſationem & non aliter. Si lex ipſo iure condemnaret lucrantem ad reſtituen-

dum

A dum perdenti quod ab illo accepit, verũ eſſet quod Adrianus ait, perdentem poſſe propria authoritate compenſationem ſumere, ſi per iudicem ſe id impetrare non confideret. Quia id pro quo tunc compenſationem ſumeret, eſſet ſibi iure debitum. At cùm nihil tale lex præcipiat, ſed ſolùm det actionem perdenti, vt poſsit repetere, ex eo apertè colligitur perdentem non niſi per iudicis authoritatẽ poſſe recuperare quod perdidit.

Quarto ex huius capituli concluſione principali inferri poteſt, illum qui tributum regi debitum, quod in Hiſpania præſertim in regno Caſtellæ vulgariter dicitur, Alcauala, regi ſoluere omiſerit, & ſi peccet non reddendo tributum illud, & teneatur ad reſtitutionem tributi omiſsi, non teneri tamẽ ad pœnam quæ contra tales tributa omittentes eſt per legem ſtatuta, antequam per iudicem ſit ad illam condemnatus. Et idem prorſus dicere oportet de illo qui res de regno in regnum transferendas manifeſtare noluit, ne ſolueret vectigal regi debitum, quod lingua Hiſpana dicitur, Portazgo. Hic enim & ſi peccet non ſoluendo vectigal, non tamẽ tenetur ſoluere pœnam quam lex contra tales ſtatuit, antequam iudex illum condemnet. *Corollariũ quartum.*

B Prima pars huius corollarij conſtat ex his quæ ſuprà libro primo, cap. xj. dixi, vbi apertè probaui peccare eos qui tributa regibus debita ſoluere nolunt, quamuis ſic non ſoluentes ſe committant periculo pœnæ quæ contra tales eſt per legem ſtatuta. Secunda pars corollarij probatur per concluſionem in principio huius capituli poſitam, & per verba earundem legum, quæ pœnas contra huiuſmodi tranſgreſſores ſtatuunt. Nam leges quæ in Hiſpania contra huiuſmodi delinquentes pœnas decernunt, non continent ſententias à iure latas, ſed ſolùm à iudice ferendas: & ideo neceſſarium eſt in omnibus illis (vt noſtra prima concluſio docet) iudicis ſententiam expectare, vt delinquens ſit ad pœnam legis obligatus. Ex iure communi lex quæ ſtatuit pœnam contra eos qui vectigalia non ſoluunt, ſententiam continet ipſo iure latam, vt patet in l. Commiſſa. ff. de publicanis & vectigalibus. Leges tamen quæ in regno Caſtellæ contra tales latę ſunt, non continent niſi ſententiam à iudice ferendam. De tributo quod dicitur, Alcauala, lex habetur in codice illarum numero 120. De vectigali verò quod

dicitur

dicitur Portazgo, lex habetur libro ſexto, ordinationum C
regalium, titulo decimo, lege nona.

Concluſio ſecunda. Secunda concluſio non eſt de his, quæ ſpectant ad reum & obligationem illius ad pœnam, ſed de iis, quæ ſpectant ad iudicem, à quo ferenda eſt ſententia. Duas enim perſonas reſpicit lex, quæ ferendam ſententiam continet, videlicet reum, cui pœna eſt infligenda, & iudicem, à quo reus eſt damnandus ad pœnam, quæ per legem ſtatuitur. De iis, quæ ſpectant ad reum, hactenus in prima concluſione diximus. Sit igitur hæc ſecunda concluſio de iis, quæ ad iudicem ratione eiuſdem legis pertinent.

Lex pœnalis, quæ ſententiam ferendam continet, iudici liberam poteſtatem tribuit, vt poſtquam illi legitimè de crimine conſtiterit, poſſit ſtatim reum ad pœnam in lege expreſſam damnare, & illam infligere. Hæc concluſio eſt per ſe manifeſta, quia niſi ita eſſet, nulla prorſus eſſet virtus legis pœnalis ſententiam ferendam continentis. Nam cùm talis lex non infligat pœnam ab ea ſtatutam, ſed requirat iudicis ſententiam, ſi iudex, cui hoc onus incumbit, non haberet eo ipſo poteſtatem damnandi reum ad talem pœnam, non eſſet via aliqua aperta, per quam talis lex pœ- D
nalis poſſet aſſequi id, quod intendit, vt videlicet reus, iuxta pœnam ab ipſa lege ſtatutam puniatur. Et certè ob hoc ſolum, præter alia multa, oportet leges pœnales ſtatui, quæ ſententias à iudice ferendas contineant, vt ex ipſis legibus conſtet, iudices habere poteſtatem ad puniendos reos illis pœnis, quæ à legibus decretæ ſunt. Deinde, vt ipſi rei patientius ferant pœnas, quando ad illas fuerint à iudice damnati. Quia ſi iudex illam pœnam ex ſuo arbitrio infligeret, reus fortè impatienter ferret. At pœna per legem ſtatuta & iudici commiſſa, non eſt quòd reus ſuccenſeat *Ariſtot.* iudici. Nam (vt Ariſtoteles decimo Ethicorum capitulo nono ait) lex iubens non eſt odioſa, ſicut homines, qui etiam bona iubent. An autem iudex teneatur damnare reum ad pœnam in lege ſtatutam, an poſsit agere ſecus, non eſt nunc animus diſcutere: quia poſtea vno integro capitulo de hac re inferius pertractabo.

Qualis

A *Qualis ſit poteſtas legis pœnalis ſententiam ferendam continentis, poſtquam iudex reum iuxta illam damnauit.*

CAPVT III.

VT totum id quod ſpectat ad legem pœnalem quæ ſententiam ferendam continet, abſoluamus: hoc ſolum à nobis tractandum ſupereſt vt videamus qualis ſit poteſtas & conditio huiuſmodi legis pœnalis, poſtquam iudex ſententiam contra reum dedit, damnans illum ad pœnam in tali lege ſtatutam. De hac re quid cenſeam vna breui concluſione dicam, quæ his verbis explicatur. Poſtquam reus eſt damnatus à iudice ad pœnam in lege ſtatutam, tenetur in conſcientia pœnam illam ſoluere. Hæc concluſio vel ex eo eſt manifeſta quod ſubditus obligatur in conſcientia obedire iuſto iudicis præcepto. At ſententia iudicis damnãtis reum ad pœnam in lege ſtatutam eſt iuſta, quia iudex ita iudicans agit iuxta præceptum legis iuſtæ,
B ergo reus tenetur illæ ſententiæ iuſtæ obedire. Præter hanc rationem quæ apertiſsimè veritatem noſtræ concluſionis probat, ſunt teſtimonia probatiſsimorum doctorum, qui illam tanquam certiſsimam & indubitatã aſſeuerant. Beatus Thomas in ſecunda ſecundæ quæſt. lxij. artic. iij. diſſerens de illo qui iniuſtè aliquid accepit, & quærens an teneatur vltra id quod accepit, reddere etiam id quod in pœnam ſui delicti per legem ſtatutum eſt, reſpondit per hæc verba. Antequam ſit condemnatus per iudicem, non tenetur reſtituere pluſquam accepit: ſed poſtquam condemnatus eſt, tenetur pœnam ſoluere. Hæc ſanctus Thomas. In quibus verbis (vt conſtat) vtrunque ſimul complexus eſt, quod ego in duabus concluſionibus ſeorſum dixi. Feli. in capit. Canonum ſtatuta, de conſtitutionibus. numero 43. tractans de ſententia gloſſæ in capit. Fraternitas. xij. quæſt. ij. dicit hæc verba. Limitatur ſecundò dicta gloſſa, niſi reus eſſet condemnatus: quia tenetur in conſcientia ſoluere condemnationem. Hæc Felinus, qui ad huius ſententiæ confirmationem citat Baldum idem dicentem in l. id quod pauperibus, quæſt. ix. C. de epiſcopis & clericis.

Thomas. *Felinus.*

Et

Et pro hac re ſufficere mihi videntur hæc duo prolata teſtimonia:quia pro re manifeſta & ab omnibus cõceſſa non eſt opus plura citare teſtimonia, ne fortè ob id ſolum eam ſuſpectam reddam. Placuit autem iſtorum doctorum ſententias eiſdem verbis quibus ab illis dictæ ſunt citare, vt ex verbis illorum apertè conſtet lectori illos hanc quam dixi,docuiſſe ſententiam.Nam hoc apud iuris humani ſiue canonici ſiue ciuilis interpretes perperã agi video, vt ſæpe pro ſe citẽt qui ſunt illis velut ex diametro oppoſiti.Quod ego multis in locis deprehendi, & quicunque apud illos præſertim modernos fuerit aliquandiu verſatus vel ex eo facilè cognoſcet, quòd cùm ſiñt circa eandem ſententiam duæ partes valde diuerſæ vtraque illarum eundem authorem pro ſe citat tanquam illius opinioni fauentem. Hoc autem cùm ego aliquoties, præſertim in re hac de qua nũc diſſero, inuenerim, coactus fui cenſere aut alterum è duobus citantibus falſo citaſſe, aut citatum ab illis non fuiſſe in eadem ſentẽtia conſtantem, ſed nunc vnam nunc aliam illi contrariam ſententiam docuiſſe. Et ob hanc cauſam apud me ipſum ſtatui in re controuerſa,quæ ſit alicuius momenti nunquam fidere citationibus, ſed ipſas ſemper originales literas quæ mihi citantur, inſpicere, vt apertè cognoſcam an id quod citatur ipſi origini conſentiat. Ne igitur fortè quiſquam alius meis citationibus diffidens putet me (vt de aliis dixi) falſo citare,quoties alicuius præſertim iuriſperiti ſentẽtiam quæ ſit annotatione digna citare oportebit, decreui illam in hoc opere ſemper citare per verba eiuſdem authoris integra & prorſus immutata, vt ex ipſius authoris verbis apertè illius ſententia lectori conſtare poſsit. Sed contra hanc cõcluſionem vnum video poſſe obiici argumẽtum, quod licet prima facie vehementer vrgere videatur, facilè tamen illud reiiciemus. Si condemnatus à iudice ad pœnam tenetur illam ſoluere,ergo ſi reus aliquis eſſet condemnatus ad membri alicuius abſciſſionem, & præciperet illi iudex vt ſuum ipſe membrũ abſcinderet,teneretur illud facere. Similiter ſi reus eſſet à iudice damnatus ad mortẽ,& iudex pręciperet illi vt ſe ipſum occideret,teneretur ſe ipſum occidere.Hoc autẽ fateri tota catholicorũ doctorũ turba recuſat,quia (vt omnes catholici doctores cõcorditer ſentiunt) nunquam niſi Deo id inſpirante

A rãte licet alicui ſeipſum occidere. Hoc argumentũ metuẽs Caietanus(vt ego ex illius dictis cõiicio) ſenſit illũ qui ad pecuniã aliquã reddendã dãnatus eſt à iudice, nõ teneri ad reddẽdũ illã,ſed ſolùm ad patiẽdũ ablationẽ illius, quãdo fuerit à iudice capta. Quãuis igitur iudex pręcipiat reo, vt in pœnã ſui delicti pecuniã alicui certæ perſonæ reddat, quãdiu iudex ipſe per ſe aut per aliũ nõ capit , ille pecuniã retinere poterit,& alteri nõ reddere. Et idem dicit de illo qui damnatus eſt ad exilium,quod non tenetur ire,ſed ſolùm pati ſi ductus fuerit in exilium. Nam in commẽtariis ſuis ſuper ij.ij.ſancti Tho.interpretans verba eiuſdem ſancti doctoris,quæ nunc proximè citauimus,dicit hæc verba. Quædam eſt pœna cuius inflictio eſt propria iudici. Quædam cuius inflictio eſt communis iudici & legi. Declaratur hoc, quia pœna in executione exigens agere conuincitur propria iudici, ex hoc quia aut ad illud agere tenetur reus aut iudex. Non reus, quia non tenetur ex lege niſi ad pœnam. Pœna autem conſiſtit in pati non in agere: ergo tenetur iudex. Et verè ſic eſt, quia niſi iudex per ſe vel aliũ occidat,mutilet,verberet,claudat,agat ad exiliũ, accipiat B bona, aut huiuſmodi non tenetur reus ex ſola lege ad huiuſmodi executionem. Et paucis interpoſitis ſubdit. Doctrina authoris vniuerſalis eſt de pœna cuius inflictio pertinet ad iudicem vt propria. De tali enim optimè ſequitur redditio cauſæ, & ideo antequam ſit cõdemnatus per iudicem non tenetur ad executionẽ. Et poſt pauca reſpondens ad primam obiectionem ait. Punire, id eſt, punitionem ſtatuere eſt actus legis, & punire executiuè conuenit etiam legi, quando pœna non exigit actionem in executione. Hactenus Caietanus, cuius verba nec vno mutato citare volui, vt omnibus pateret me fideliter illius ſententiam recitare, & nihil illi tribuere, quod ille non dixerit. Dicit ergo Caietanus, quòd pœna cuius inflictio exigit actionem eſt propria iudici, & ad illius executionem tenetur iudex, & non reus. Cùm igitur ſoluere pecuniam ſit quædam actio, ergo illud ex ſententia Caietani, non tenetur agere reus ſed iudex, & inde vlterius ſequitur,quòd quamdiu iudex per ſe aut per alium nõ acceperit pecuniam,ipſe reus iuſtè retinere poterit. Et idem ſenſit de illo qui damnatus eſt ad exilium, quod non tenetur

Caietanus.

abire à loco à quo relegatus eſt, ſed ſolùm tenetur pati & non reſiſtere, ſi ab alio in exilium ducatur. Et quod ſic ſentiat, ex verbis illius, quæ nunc proximè citauimus, apertè conſtat. Sic enim ait. Niſi iudex per ſe vel per alium agat ad exilium, accipiat bona, aut huiuſmodi non tenetur reus ex ſola lege ad huiuſmodi executionem. Hæc ille. Ad hoc autem dicendum (vt ex aliis illius verbis quæ antea citauimus conſtat) inde perſuaſus eſt quod omnino paria quantum ad obligationem hæc omnia eſſe putauit, videlicet pecuniam reddere, exulare, occidere, mutilare, verberare, carcere concludere. Et inde deducere videtur, vt ſicut reus nunquam tenetur ad ſe occidendum, aut mutilandum, aut verberandum, quamuis ſit ad aliquod horum damnatus, ita non teneatur ad pœnam pecuniæ ſoluendam, quamuis ſit ad illam damnatus. Sed ſic ſentiens Caietanus apertè errat, & perperam ſancti doctoris verba interpretatur: & à debili argumento victus vtrunque fecit. Et vt rem apertiſsimam faciam, proponamus ob oculos illud idem exemplum quod ſanctus Thomas illo loco proponit de fure qui bouem furatus fuerat, pro quo ex legis Moſaicæ præcepto quinque boues reſtituere tenebatur, & hoc (vt beatus Thomas optimè ſentit) non niſi poſtquam ad id fuerat à iudice condemnatus. Ponamus ergo eandem legem nunc eſſe reuocatam, quod fieri poſſe idem ſanctus doctor ibidem docet. Ponamus deinde huiuſmodi furem coram iudice de tali furto accuſatum & conuictum, cui iudex præcepit vt iuxta legem quinque boues pro illo boue accepto reddat illi cui damnum intulit. Iudex hoc præcipiens iuſtè præcipit, quia conformiter ad legem iuſtam, quæ talem pœnam ſtatuit, præcipit, ergo fur tenetur tali iuſto præcepto obedire, & per conſequens tenetur reddere quinque boues, quamuis iudex nec per ſe, nec per alium illos capiat. Et fortius hac via fiet argumentum de illo qui damnatus eſt ad exilium, quod teneatur obedire præcepto iudicis illum damnantis ad exilium, & per conſequens teneatur recedere à loco à quo relegatur, quamuis ab alio per vim non trahatur. Nam qui præcepto iudicis in exilium damnantis non obedit, grauiori pœna punitur, vt patet in l. Relegati. ff. de pœnis. At lex non ita inobidentem puniret, ſi ille obedire non

tener

A teneretur. Præterea, ſi iudex non pręcepiſſet furi accuſato & conuicto vt redderet quinque boues, peccaſſet, quia legem iuſtam quæ illud fieri ſtatuit, prætериiſſet, ergo fur poſt præceptum iudicis non reddens illos quinque boues, ad quos per iudicem iuſtè damnatus eſt peccat, & per conſequens ſequitur vt ad euitandum peccatum, teneatur illos quinque boues, ad quos per iudicem iuſtè damnatus eſt, reddere. Conſequentia iſta inde manifeſta eſt, quòd ſicut iudex tenetur obedire legi iuſtæ, & conformiter ad illam agere: ita ſubditi tenentur obedire iuſto iudicis præcepto. Obedite (inquit Paulus) præpoſitis veſtris. Rurſum, *Hebr. 13.* ſi ſacerdos confeſſor peccatori pœnitenti, & peccata ſua illi confitenti in pœnam ſui peccati præciperet pecuniam aliquam pauperi tribuere, teneretur peccator id facere, nec oporteret expectare vt confeſſor ab eo pecuniam caperet. Et hoc potiſsimum verum eſt iuxta opinionem ſancti Thomæ, qui cenſet pœnitentem teneri ad ſuceptionem pœnæ pro peccato ſuo illi à ſacerdote iniunctæ, cui ſententiæ ego libens ſubſcribo, quanquam noſter Scotus aliter ſentiat. Ergo reus peccator in foro exteriori tenebitur obedire iuſto
B iudicis præcepto pœnam præcipienti. Conſequentia probatur: quia licet ad abſolutionem peccati valde impares ſint ſacerdos in foro ſecreto, & iudex in foro publico, tamen ad inflictionem pœnæ pro delicto paris ſunt poteſtatis. Quoniam vterque poteſt reum ad pœnam damnare, & vterque hanc habet à Deo poteſtatem quamuis non æqualem, quia ſacerdos non poteſt damnare pœnitentem ad mortem temporalẽ, quod iudex forenſis facere poteſt. Deinde, ſi ſententia Caietani eſſet vera, ſancti Thomæ verba prout ipſe illa interpretatur, minimè ſibi cohærere poſſent. Dicit enim beatus Thomas, quòd reus antequam ſit condemnatus per iudicem non tenetur reſtituere pluſquam accepit, ſed poſtquam condemnatus eſt tenetur pœnam ſoluere. Circa hæc beati Thomæ verba, quæro quid ille intelligit, per hoc quod eſt reum eſſe condemnatum per iudicem. Si intelligit reum eſſe condemnatum per iudicem, cùm iudex ſolo verbo protulit ſententiam contra reũ pręcipiens illi, vt quinq; boues pro vno accepto reddat, tunc apertè conuincitur falſum eſſe & cõtra beati Thomæ ſentẽtiam, quod Caietanus ait reum non teneri ad redden-

dum:ſed ſolum iudicē teneri ad id faciēdum. Nam beatus C
Thomas dicit quod poſtquam condemnatus eſt tenetur pœnam ſoluere. Si verò dicat Caietanus aut eius defenſor beatum Thomam intelligere reum eſſe condemnatum per iudicem cùm iudex non ſolo verbo protulit ſententiam contra reum præcipiens illi vt quinq; boues pro vno reſtituat, ſed re ipſa iudex per ſe aut per alium tales quinq; boues accepit,& alteri damnum paſſo reddidit,ſi ſic intelligat,tunc iuxta illum ſenſum nihil poſt talem cōdemnationem manebit ab ipſo reo faciendum,ſed ſolum pati talem condemnationem. Hîc autem ſenſus apertè repugnat verbis beati Thomæ,quibus ſic ait. Antequam ſit condemnatus per iudicem non tenetur reſtituere pluſquam accepit, ſed poſtquam condemnatus eſt tenetur pœnam ſoluere. At reſtituere,& ſoluere actionem dicunt,& non ſolam paſsionem: ergo ad illam actionem tenetur reus poſtquam fuerit à iudice condemnatus. Et inde vlterius ſequitur condemnationem illam fieri non per rei acceptionem, ſed per ſolum vocale præceptum, quia niſi ſic intelligatur, non poſſet reus poſt talem cōdemnationem reſtituere aut ſoluere, niſi fortè quod ſemel reſtitutum aut ſolutum eſt, iterum debeat D
reſtituere aut ſoluere. Quoniam ipſa condemnatio eſſet reſtitutio & ſolutio, & ita fieri oporteret, vt ſi poſtquam ſic condemnatus eſt teneretur pœnam ſoluere, poſtquam ſemel ſoluit teneatur iterum ſoluere. Ideo ego verba beati Thomæ longè aliter intelligenda eſſe cenſeo, quàm Caietanus interpretatur. Et primum dico beatum Thomam illic non de lege pœnali quæ ſententiam continet à iure latam, ſed de ſola illa pœnali lege loqui, quæ ſententiam continet à iudice ferendam. Et hoc apertè colligitur ex exemplo per illum adducto de lege Moſaica, quæ iubebat quinque boues pro vno accepto reſtitui, quam legem ipſe beatus Thomas ibidem declarat, non ſententiam latam, ſed ſententiam à iudice ferendam continere. Et nullum illic exemplum B. Thomas adducit de lege pœnali ſententiam à iure latam continente. Et per hoc facilè reſpondetur ad id, quod Caietanus contra verba beati Thomæ obiicit de excommunicationibus & irregularitatibus, in quas ſæpe homo incidit ante aliquam iudicis ſententiam. Sed hoc tunc ſolum

euenit

A euenit,quando lex continet ſententiam à iure latam de qua ſanctus Thomas non loquitur. Quando verò lex pœnalis continet ſententiam à iudice ferendam,etiã ſi ſit in excommunicationibus, aut irregularitatibus nunquam ante condemnationẽ incidit in pœnã, ſed poſtquam condemnatus eſt,tenetur ſemper pœnam ſubire. Secundò dico, quòd talis cõdemnatio quæ à iudice fieri debet, non oportet quòd ſit executiua,ſed ſatis eſt quod iudex voce præcipiat reo pœnam ſuſcipere, vt ipſe poſtea teneatur ad illã ſuſcipiendam ſi pœna ſit talis qualem iudex iuſtè præcipere poteſt.Quod autem ad ſuæ ſententiæ probationẽ affert Caietanus nihil mouet.Dicit enim quòd pœna conſiſtit in paſsione, & non in actione,& inde arguit quod reus non tenetur ad actionẽ ſed ſolũ ad paſsionẽ,quia ex lege(vt ait)non tenetur niſi ad pœnã. Fateor pœnã potius reſpicere paſsionẽ quàm actionem,& ob hanc cauſam ſupra lib.j.capite.iij.cùm de pœna diſſerui,per paſsionem & non per actionem, illam definire cenſui.Sed multum intereſt à quo quis patiatur,& ſæpe circunſtantia agentis ſolet augere paſsionis pœnam, quia B ſæpe libentius (vt experientia comprobatum eſt)quis vellet pati plura & duriora ab vno, quàm pauciora & leuiora ab alio.Et ob hanc cauſam ipſa actio non in ſe conſiderata ſed ad paſsionem relata poteſt habere rationem pœnæ.Et ita circũſtantia pœnæ eſt quod quis patiatur à ſeipſo,& augmentum pœnę eſt non modicũ quod quis ſibi ipſi pœnam inferre teneatur. Argumentum autẽ quod ego à principio mihi ipſi obieci ipſe Caietanus contra ſeipſum alibi facit, & illi reſpondens aliud apertè docet de pecunia neceſſario ſoluenda per reum poſtquam ad illam per iudicem damnatus eſt. Nam in quæſtione 69. articulo 4. mouet quaſdam quæſtiunculas circa literam beati Thomæ: & in ſecunda quæſtiuncula arguit contra verba beati Thomæ, dicentis damnatum ad mortem poſſe iuſtè effugere carcerem vt liberetur à morte. Sic enim arguit in quadam confirmatione. Eadem eſt ratio de pœna hac vel illa, puta mortis verberis, &c. Sed detentus propter alias pœnas & damnatus non poteſt licitè fugere, vt quidã dicũt,ergo nec damnatus ad mortẽ.Hæc ſunt verba argumẽti,quibus ipſe Caietanus per ſequẽtia verba reſpõdet.Ad confirmationẽ dicitur quòd non eſt eadẽ ratio de omnibus pœnis, ſed de omnibus pœ- *Caieta.*

nis quæ conſiſtunt ſolùm in pati. Ad cuius euidentiam C ſcito quòd pœnæ ſunt in duplici differentia. Quædam ſunt ad quas non aliter quis damnatur, niſi vt patiatur illatas, vt patet de morte, mutilatione, flagellis, tortura, & huiuſmodi. Non enim damnatur aliquis vt ſe occidat, mutilet, torqueat, &c. Sed vt patiatur hæc ſibi illata. Et de his omnibus eadem eſt ratio, quæ de morte, vt ſcilicet damnatus aut damnãdus ad aliquid horum poſsit licitè fugere, quia non tenetur niſi ad pati, vt infrà patebit. Quædam vero ſunt ad quas ſic ſubeundas aliquis damnatur, vt ipſe cooperetur ad eas, vt patet de exilio, & circunſcriptione loci, & pœna pecuniaria. Damnatur ſiquidẽ aliquis vt eat in exilij locum, & ibi intra præfixos ſibi terminos maneat, vt ſoluat huiuſmodi. Et ab harum executione non licet ſe ſubtrahere poſt ſententiam, quia damnatus eſt ad faciendum. Ante verò ſententiam poteſt licitè fugere eadẽ ratione qua damnatus ad mortem poteſt licitè fugere, ſcilicet quia non tenetur facere, hoc eſt, manere in loco vnde ſequeretur ſuum pati, hoc eſt damnari, ſi ex ſua abſentia euitaretur damnatio. Alioquin omnino teneretur in foro conſcientiæ ſubire latam poſt ſententiam. Hactenus Caietanus, cuius verba ad D vnum vſq; fideliter recitaui, vt ex illis apertè oſtendã illum parum ſibi conſtare, & illis quę prius dixerat contradicere. Nam in his quæ modo citauimus apertiſsimè dicit eũ qui damnatus eſt ad exiliũ, teneri ad eundem in locum ſibi ad hoc aſsignatum, & illum qui damnatus eſt ad pœnam pecuniariam dicit teneri ad ſoluendũ illam. Hæc autem manifeſtiſsimè contradicunt illis quæ ante citauimus ab eo dicta in quæſtione lxij. articulo iij. Quia illic dixit quod niſi iudex per ſe vel alium agat ad exilium, accipiat bona, aut huiuſmodi, non tenetur reus ex ſola lege ad huiuſmodi pœnæ executionem. In quibus verbis apertè docet oportere iudicem per ſe aut alium agere ad exilium, accipere bona, vt reus teneatur ad illa. Sed quia nolo eſſe nimium ſeuerus aliorum iudex, dico Caietanum in hac parte poſſe excuſari à contradictione hoc modo, vt dicamus illum intelligere tunc iudicẽ dicendum eſſe accipere bona, quando condemnat reum ad illa. Qui modus loquendi quia non eſt omnino ineptus, admittendus eſt, & iuxta hunc verborum ſenſum verum eſt quod ait, reum non teneri ad reddendum

A dendum pecuniam antequam iudex capiat, hoc eſt, antequam ad reddendum condemnet. Sed per hoc non ſoluitur principale argumentum, nec illius vires vllo modo minuuntur, quia non reddit cauſam quare damnatus ad mortem non teneatur ſe occidere, & damnatus ad pecuniam tenetur illam ſoluere. Non enim reddit cauſam quare vnus damnetur ad agere, & alius ſolùm ad pati. Ideo aliter ad argumentum illud ego reſpondeo. Et vt apertè oſtendam quàm paruæ ſint illius argumenti vires, admonere prius oportet latiſsimam eſſe differentiam, quantum ad pœnarum inflictionem inter corpus hominis & alias res corpori humano adiacentes, illiq; ſeruientes, vt ſunt agri, vineæ, domus, res domeſticæ, & omnis reliqua corporearum diuitiarum ſuppellex. Et primo quidem multò meliora ſunt bona corporis, quàm reliqua omnia bona quæ corpori ſeruiunt. Melior eſt vita, & integritas, & ſanitas corporis, quàm & agri pecora, & veſtes, & nummi. Et ideo optimè ſenſiſſe videtur, quamuis id non bono animo protulerit dæmon qui dixit. Pellem pro pelle & cuncta quæ habet homo dabit pro anima ſua, hoc eſt pro corporis vita. *Iob 2.*
B Et ideo ab his qui bene ſentiunt multo grauiores, multóq; acerbiores cenſentur pœnæ quæ corpori infliguntur, quàm illæ quæ inferuntur circa alia bona externa corpori ſeruientia. Multò peior eſt mors, quàm reliquorum omnium bonorum priuatio. Peior eſt etiam membri mutilatio, aut ægritudo quàm mulcta pecuniæ. Eſt adhuc alia multo maior differentia inter corpus & alia externa quæ illi adiacent bona. Nam iſtorum bonorum quæ extra corpus ſunt, verum habet homo dominium, quia poteſt illa vendere, permutare, locare, donare, & vbi voluerit (præſertim iuxta Caietani ſententiam) etiam prodigè ſine culpæ mortalis nota expendere. Hoc autem tam plenum dominium non habet homo circa corpus ſuum. Non enim poteſt ſe occidere, nec membrũ aliquod ſui corporis abſcindere, nec ſe adeò acriter, & acerbè flagellare, vt inde mortis periculum, aut grauis infirmitas iuſte timeri poſsit. Quia (vt dicitur in l. Liber. ff. ad leg. Aquiliã) nemo membrorum ſuorum dominus videtur. Et hinc eſt quod in cauſis criminalibus, quibus pœna corporis debetur, nullus poteſt eſſe pro alio fideiuſſor, quamuis hoc poſsit in cauſis *Caietan. in ſumma.*

ciuilibus, quæ ſuper alias bonorum poſſeſsiones tractatur. C

Corollarium primum. Quia non poteſt fideiuſſor iuſtè occidi, quamuis is pro quo fideiuſsit dignus eſſet morte. Ita enim annotat gloſſa in cap. Cùm homo. xxiij. q. v. Et ratio huius eſt (quam tamen gloſſa non reddit) quia fideiuſſor cũ fidem pro alio dedit, non potuit obligare niſi ea quorum verum habebat dominium, corporis autẽ & membrorũ eius (vt dixi) homo non habet verum dominiũ, ergo cùm fidem pro alio dedit non obligauit, nec potuit obligare corpus ſuum nec aliquod ſui corporis membrũ. Et inde vltra ſequitur, vt licet ille pro quo fidẽ dedit, eſſet morte aut mẽbri alicuius abſciſsione plectendus, non poſsit fideiuſſor pro illius culpa occidi, aut membro aliquo priuari. *Corollarium ſecundum.* Ex eadem radice oritur quòd hæres non tenetur ad pœnã corporis ad quam defunctus cui ſucceſsit, erat condẽnatus, quãuis teneatur ad pœnam aliorum bonorum ad quam fuerat condemnatus defunctus. Quia defunctus propterea quod dum viueret verum habebat aliorum bonorum dominiũ, potuit illud in hæredem transferre, & ita tranſtulit ea lege & conditione qua ipſe illud retinebat. Et inde neceſſario euenit vt ipſe teneatur ſoluere ex illis bonis id, quod defunctus eo tẽpore tenebatur ſoluere cùm ex vita deceſsit. D At circa corpus ſuum defunctus, aut circa corpus hæredis quia non habet dominiũ, ideo nullum tributum nullámq; pœnæ obligationem poteſt transferre ſuper corpus hæredis. Et de hac ſola, quæ corpori infertur pœna, ego intelligendum eſſe cenſeo id, quod Paulus iuriſconſultus ait in l. ſi pœna. ff. de pœnis, vbi dicit hæredem non teneri ad pœnam defuncti. Quod igitur Bald. in l. id quod pauperibus, quæſt. ix. C. de epiſcopis & clericis, ait, hæredem teneri ad pœnam, ad quam defunctus fuerat condemnatus, non eſt intelligendum de pœna corporis, ſed de aliis pœnis, quę circa alia bona inferuntur. *S. Tho. in 2. 2. quæſ. 108. ar. 4. ad 2. Alex. de ales. 3. p. q. 41. in 4. ar. 1.* Quia (vt beatus Thomas & Alexander de Ales docent) nunquam vnus pro alio poteſt pœna corporis puniri. Et quòd iſti Theologi illuſtres, ſolum ius diuinum ſecuti, dixerunt non licere, etiam iure humano definitum eſt, vt patet in l. Crimen. ff. de pœnis. Ex eodem fonte, quòd videlicet homo non habet dominium ſupra corpus ſuum, quemadmodum circa reliqua bona, deducitur, quod in cauſis *Corollar. tertium.* pœnalibus, præſertim in quibus de pœna corporis tracta-

tur,

A tur,nemo poteſt renuntiare iuri ſuo,quo ſe defendere poſſet. Bartol.ita docet in l.Si quis reū.ff.de cuſtodia reorum, & Felinus in cap.Si diligenti,de foro competenti. In aliis autē cauſis quilibet poteſt iuri ſuo renuntiare,veluti ſi mulier pollicita ſit ſe non vſuram ſenatuſconſulto Velleiano, rata erit talis pollicitatio.l.Pactum.ff.de pactis.l.Si quis.§. Si enim.C.de pactis.l.fi.ff.ad Senatuſconſultū Velleianum. Hæc autem tanta diuerſitas inde ſolum oriri conſtat,quòd homo non habet illud dominium ſuper corpus,quod ſupra diuitias. Nam ſicut homo poteſt liberè donare diuitias, quia ſunt ſuę,ita poteſt renuntiare iuri,quod habet aut habere poteſt ad illas. Quia verò ſupra corpus ſuum non habet dominium, ideo non poteſt iuri, quo illud defendere poteſt, renuntiare:quemadmodum neq; inquilinus poteſt renuntiare iuri,quod habet ad defenſionem domus,ſi quis illam deſtruere velit,& tenetur iure ſuo vti, niſi velit ipſemet domino de damno illato ſatisfacere. Ita quilibet homo corpus ſuum,cuius non eſt dominus, ſed ſolum vſurarius,tenetur defendere, quādiu illud iuſtè facere potuerit. Quod ſi non fecerit, Deo,qui verus eſt illius dominus,è cu-
B ius nutu illud habet, ſatisfacere cogetur. Et hinc eſt, quòd ſi quis eſſet dānatus,vt fame moreretur, peccaret ſi cibum ſibi ab aliquo oblatum non ſumeret, quia (vt dicit beatus Tho.) non ſumendo ſeipſum occideret. Nam ſicut is, qui paſcendo potuit hominem à morte liberare, & noluit,dicitur à ſapiēte eccleſiaſtico eſſe homicida illius,ita qui comedēdo potuit ſeipſum liberare à morte & noluit,dicetur homicida ſuiipſius.Quia(vt Simachus papa ait)nō eſt grandis differentia an læthū inferas vel admittas. Mortē enim languentibus probatur infligere,qui hanc,cùm poteſt,non excludit. Et Ambroſius ait. Quiſquis paſcendo hominem ſeruare poteras,ſi non paueris occidiſti. Is igitur, qui ſeipſum,cū poteſt paſcere recuſat,& ob hoc moritur,ſeipſum occidit. Et idē prorſus dicendum eſt de illo,qui damnatus ad mortē includitur in carcere. Hic enim ſi inueniret carcerem apertum,teneretur exire,vt euaderet mortē,niſi tam graue ſcandalum aut alia tam grauis neceſsitas offerretur, vt pro illa vitanda teneretur,aut ſaltem licitè poſſet homo mortem ſubire.Tunc enim poſſet citra vllam culpam manere in carcere,aut patienter mortem expectare. Nam ob

S. Tho.2. 2. quæſt. 69.ar. 4. ad 2.

Eccl. 34.

Ambroſ.

Act.16. hanc cauſam Paulus & Sylas, cùm eſſent in Philippis coniecti in carcerem, noluerunt fugere, quamuis oſtiis carceris diuina virtute apertis, commodè id facere potuiſſent. Sed ne illos timidos, & in fide euangelij, quam prædicabant, minimè conſtantes eſſe alij putarent, & ob hanc cauſam fides apud illos, quibus prædicabatur, periclitaretur, noluerunt fugere, melius eſſe putantes pro fidei augmento mori, quàm cum modica illius iactura viuere. Aliâs autem cùm nullum tale periculum imminebat, iure omnibus conceſſo vſus eſt ad ſui defenſionem, & noluit illi renun- C

Act.25. tiare. Nam quum Feſtus prouinciæ præſes vellet mittere illum in Hieruſalem, vt ibi iudicaretur, Paulus dixit. Ad tribunal Cæſaris ſto, ibi me oportet iudicari. Et iterum Cæſarem appello. Ecce Paulum qui aliâs ex carcere fugere noluit, nunc tamen non vult renuntiare iuri, quod ex lege ſibi ad defenſionem conceſſum eſt. Et ſicut homo non poteſt à ſe repellere obligationem, quam ad ſuæ vitæ conſeruationem dedit illi natura, nec renuntiare iuri, quod ad ſui defenſionem natura illi cōceſsit, ita nulla humana lex, nullúſq; iudex poteſt ab homine tollere illam obligationem, nec homine tali iure priuare. Et hoc eſt quod quidam D

Iacobus Almain in 4.diſt. 15.q.2. recentiores Theologi ſcholaſtici ſub aliis verbis dicunt, neminem poſſe à ſe dominium naturale repellere, nec iudicem poſſe tali dominio naturali hominem priuare. Dominium autem naturale dicunt eſſe in homine ſuper quacunq; re, quæ ex natura ſua eſt ordinata ad particularis hominis conſeruationem, & illi tunc temporis neceſſaria, veluti ſunt, cibus, & potus, & veſtimenta. Si res ex natura ſua non eſt ordinata ad hominis conſeruationem, quamuis illa eſſet hominis neceſſaria, dicunt hominem non habere naturale dominium in illa. Et proferunt exemplum de coïtu fornicario, qui licet fortè ſit alicui homini ad ſuæ vitæ conſeruationem neceſſarius, tamen dicunt hominem non habere ſuper talem coïtum naturale dominium, nec poſſe licitè tali coïtu vti. Quia talis coïtus (vt dicunt) licet aliquando contingat, vt homini ad conſeruationem vitæ proſit, ille tamen non eſt à natura ordinatus ad conſeruationem indiuidui, ſed ſolùm ad conſeruationem ſpeciei. Sed quid dicunt de humano ſanguine, qui alterius hominis ſaluti aliquando proficere poteſt, prout vulgo iactatum

eſt

A eſt medicos conſuluiſſe, vt infantes occiderentur, vt illorum ſanguine ablutus Conſtantinus Imperator, liberaretur à lepra, qua erat infectus? Talis virtus in ſanguine humano non eſt ad conſeruationem ſpeciei, ſed potiùs ad deſtructionem illius: cùm multa ſic oporteat perire indiuidua, vt vnum conſeruetur. Nunquid igitur homo leproſus habebit naturale dominium ſuper ſanguinem infantium? Quis dicere audebit licitum eſſe illos occidere, cùm Imperatorem Conſtantinum nondum Chriſtianum tam graue facinus exhorruiſſe dicatur? Aliter ergo de dominio illo (quod naturale dicunt) ego dicendum eſſe cenſeo. Dominium naturale habet homo in omnibus rebus illi ad vitam neceſſariis, quæ non ſunt illi diuina lege prohibitæ. Nam ſi Deus, à quo ſolo eſt rerum dominium, res aliquas homini prorſus interdixit, homo nunquam poterit illarum rerum dominium habere. Quamuis igitur coitus fornicarius, aut ſanguis puerorum ſit homini ad vitæ conſeruationem neceſſarius, nunquam tamen ſuper aliquod illorum habebit naturale dominium, nec aliquo illorum poterit licitè vti, quia vtrunque illorum eſt illi à Deo prohi-
B bitum. Hoc dominium naturale, ſicut nullus poteſt à ſe reiicere, ita nec iudex humanus poteſt ab homine tollere. Et hinc eſt, quòd licet iudex humanus poſsit hominem ob aliquam iuſtam cauſam condemnare, vt mortem ſibi illatam patiatur, & non ſe defendat ab illo, qui illum occidere vult, non poteſt tamen illum condemnare, vt ſe ipſum occidat. Quia hoc eſſet agere contra naturam, quæ iubet, vt ſuam quiſque vitam tueatur. Ac proinde, niſi Deus id apertè præcipiat, nunquam licebit alicui ſe ipſum occidere. Et in huius ſentẽtiæ probationem eſt, quod Auguſtinus in libro primo de Ciuitate Dei capit. vigeſimo primo ait. Nec Sampſon (inquit ille) aliter excuſatur, quòd ſe ipſum cum hoſtibus ruina domus oppreſsit, niſi quia ſpiritus latenter hoc iuſſerat, qui per illum miracula faciebat. Hæc Auguſtin. Neque hoc ſolis Chriſtianis eſt notum, ſed Gentiles philoſophi, qui iura naturæ optimè agnouerunt, hanc eandem ſententiam docuerunt. Nam Cicero in libro de ſenectute ait. Vetat Pythagoras iniuſſu Imperatoris, id eſt, Dei, de præſidio & ſtatione vitæ decedere. Hæc Cicero, qui eandem Pythagoræ ſententiam laudat.

Auguſti.

Cicero.

Plato. dat. Eidem Pythagoræ ſententiæ ſubſcribit Plato, qui in C Phædone Socratem & Cebetem philoſophos in dialogi formam de hac re diſputantes inducens, nomine Socratis ſuam aperit ſententiam, ſic inquiens. (Socrates.) Profectò ſermo ille, qui de his in arcanis habetur, in quadam cuſtodia eſſe homines, non decere quenquam ex hac ſe ipſum ſoluere, neque aufugere, magnus quidem mihi videtur, neque cognitu facilis. Verum tamen id mihi, ô Cebes, rectè apparet dictum, Deos quidem curam habere noſtrum, nos verò homines vnam quandam ex poſſeſsionibus eſſe Deorum. An non ita tibi videtur? (Cebes.) Mihi quidem. (Socrates.) Nonné igitur & tu, ſi quid ex mancipiis tuis ſe ipſum perimeret, quum tu nullo modo id permiſiſſes, iraſcereris vtique illi?& ſi poteſtatem haberes, pœna quadam afficeres? (Cebes.) Omnino. (Socrates.) Fortè igitur hac ratione haud præter rationem eſt nō prius decere ſe ipſum interficere, quàm Deus neceſsitatem aliquam impoſuerit. (Cebes.) Conſentaneum quidem apparet. Hactenus Plato, qui pulcherrima ſimilitudine catholicam Chriſtianorum ſententiam expreſsit. In quibus verbis id potiſsimum mihi videtur eſſe annotandum, quòd non ſolùm cenſuit non licere D hominibus ex hac vita ſine Dei licentia aufugere, ſed id in arcanis literis contineri dixit. Cùm igitur homo ſine Dei præcepto non poſsit ſe ipſum interficere, inde apertè conuincitur, vt quamuis iudex homini quantumlibet ſcelerato, & mille mortibus digno, id facere iubeat, nunquam illi hoc in ſe facere liceat. Et idem prorſus dicendum eſt, ſi iudex præciperet homini, vt ſe ab omni cibo abſtineret, aut vt condemnatus vel proximè damnandus ad mortem, non fugeret à carcere, quo cuſtoditur. Qui ſi aliquid horum fecerit (vt ſuperius diximus) ſe ipſum interfeciſſe hac ſola ratione cenſebitur. Ex his omnibus aper-

Caietanus. tè conuincitur, falſam eſſe Caietani ſententiam in commentariis ſuper ſecunda ſecundæ quæſt. lxij. artic. iij. quam ſupra citauimus, dicentem quòd punire executiuè conuenit legi, quando pœna non exigit actionem in executione. Conſtat enim quòd ad pereundum famæ, non eſt opus aliqua actione, ſed ſola abſtinentia: ſimiliter ad manendum in carcere non eſt neceſſaria aliqua actio, ſed ſatis eſt quies, quæ non eſt niſi priuatio motus. Nulla tamen lex, nullúſq;

iudex

A iudex poteſt hominē obligare ad non comedendum,neque ad manendum in carcere, ſi ſit damnatus,aut proximè damnandus ad mortem. Ex his etiam conuincitur, eundem Caietanum in quæſtione lxix.arti.iiij.non bene aſsignaſſe cauſam, quare damnatus ad mortem non tenetur,imò nec poteſt licitè ſe ipſum occidere, damnatus autem ad pecuniæ aut ad aliorum bonorum redditionem, tenetur illam pœnam ſoluere. Similiter, quare damnatus ad mortem poteſt licitè à carcere fugere,vt liberetur à morte, damnatus autem ad pecuniæ ſolutionem non poteſt fugere, vt liberetur à ſolutione.Dicit enim (vt ex verbis illius ſuprà citatis conſtat) hanc eſſe vnicam cauſam,quòd damnatus ad mortem damnatur ſolùm ad pati,& non ad agere, & ideo non tenetur aliquid facere, per quod ſe ipſum occidat: damnatus autem ad ſolutionem pecuniæ, damnatur ad agere, & ideo non ſolùm tenetur pati ſi capiatur ab illo pecunia,ad quam damnatus eſt, ſed ipſemet tenetur illam reddere. Hæc ratio ex his,quæ diximus,apertè cōuincitur nullius momenti. Nam ex hac ratione ſequeretur, vt damnatus ad pereundum fame, teneretur abſtinere à cibo, etiam B ſi occultè ſibi ab alio offeratur: quia abſtinere à cibo non eſt agere. Deinde, illa ratio non attenuat difficultatem, quam obiicit argumentum poſitum in principio contra ſecundam concluſionem principalem.Non enim reddit cauſam, quare damnatus ad mortem aut ad membri mutilationem nō poſsit damnari ad aliquid agendum, ſed ſolùm ad patiendum,damnandus autem ad pecuniæ pœnam,poſſit damnari non ſolùm ad patiendum, ſed etiam ad agendum. Huius autem tantæ diuerſitatis cauſa quæ ſit, ex his, quæ à nobis neceſsitate vrgente tam latè digeſta ſunt, facilè conſtare poteſt. Quia ſicut homo non habet illam poteſtatem ſupra corpus ſuum, quam habet ſupra pecuniam, & alia eius ſimilia bona: ita nec iudex habet eam poteſtatem ſupra corpus hominis illi ſubditi, quam habet circa pecuniam & alia eiuſdem hominis ſimilia bona. Sicut homo poteſt pecuniam ſuam liberè alteri donare, ita iudex, aut propter hominis delictum, aut propter aliam iuſtam cauſam poteſt pecuniam ab illo auferre. Sicut homo non poteſt, niſi ex Dei reuelatione ſe ipſum occidere, ita etiam nec iudex poteſt illum,quamuis morte digniſsimum,condemnare

demnare vt ſe ipſum perimat. Quia (vt iam diximus) nulli, C niſi ex ſpeciali Dei reuelatione, licet ſe ipſum occidere. Alium quemlibet hominem morte dignũ poterit aliquis interficere ex præcepto iudicis ad hoc poteſtatem habentis: ſe ipſum tamen, quamuis iudex præcipiat, nunquam niſi Deo reuelante interficere poterit. Et idem prorſus dicendum eſt de omni alia percuſsione, quæ latã aperit viam ad mortem, vt eſt membri mutilatio, grauia & dura flagella, ex quibus vita poſſet apertè periclitari. Nam ſicut quodlibet horum alteri inferri prohibetur per hoc præceptum, Non occides: ita per idem præceptũ prohibetur homo, ne horum aliquod inferat ſibi. Non itaque licet homini ad præceptum iudicis ſe ipſum mutilare, aut grauiter vſque ad mortis periculum verberare, aut flagellare. Sed ſicut alium, qui ad ſolam illius correctionem puniendus eſt, poteſt aliquis ex præcepto iudicis citra mortis periculum flagellare: ita etiam ſe ipſum ad ſui correctionem, aut ſuorum peccatorum ſatisfactionem, poterit quiſque propria authoritate citra mortis periculum ſe ipſum flagellare. Et ſicut ille in ſe ipſo propria authoritate hoc facere poteſt, ita iudex delicto illius exigẽte ad illius correctionem, poteſt illi præcipere, vt temperatè, & ſine vllo mortis periculo ſe ipſum flagellet. Nam hoc perpetuò ſeruatur in ordine fratrum Minorum de obſeruãtia, præſertim in tota Italia, vt quoties monachus aliquis cõmiſit aliquod leue crimen, propter quod, iuxta ordinis mores, eſt flagellandus, illi præcipitur, vt ſe ipſum coram toto conuentu flagellet, quouſque prælatus ceſſare iubeat. In Hiſpania tamen, præſertim in prouincia ſancti Iacobi, in qua ego eiuſdem religionis habitum indui, nulli vnquam præcipitur vt ſe ipſum flagellet, ſed qui flagellis eſt digno, præcipitur vt ſe ſubdat ab altero flagellandum. Et ex hac Italiæ conſuetudine, quæ merito improbari non poteſt, cõuincitur Caietanum malè connumeraſſe flagella, aut verbera, inter illa, ad quæ homo damnatus nunquam tenetur agere, ſed pati. Quia (vt dixi) ſicut homo ad correctionem ſuam poteſt ſe ipſum propria authoritate citra mortis periculum flagellare: ita iudex poteſt ad correctionem illius præcipere illi, vt ſe ipſum eodem modo flagellet. Nam hoc quotidie peccatoribus præcipiunt confeſſores, poſtquam illorum peccata in confeſſ

A confeſsione ſecreta audierunt. Quibus hoc præcipientibus (vt beatus Thomas docet) ipſi pœnitentes obedire tenentur. Manet igitur firma & immobilis noſtra concluſio, quæ dicit reum teneri in conſcientia ad ſoluendum pœnam, poſtquam à iudice damnatus eſt ad illam. *Thomas.*

Ex hac concluſione tot corollaria inferri poſſunt, quot ex concluſione præcedentis capituli deduximus. Sed quæ ex hac concluſione deducuntur, neceſſariò oportet eſſe oppoſita illis, quæ in præcedenti capitulo ex illa concluſione deriuauimus. Quia diuerſum eſt etiam id quod hæc concluſio docet, ab illo, quod in alia concluſione definitum eſt. Quæ diuerſitas oritur ex ſola temporum diuerſitate, de quibus hæc & illa concluſio differunt. Primò itaq; ex prædicta concluſione ſequitur hæredem teneri ad pœnam, ad quam defunctus fuerat ob delictum ſuum à iudice damnatus. Quia (vt dixi) hæres in his, quæ ad hæreditatem ſpectant, ſuccedit in ius defuncti, & cenſetur eadem cum illo perſona, non ſolùm ad lucrum, ſed etiam ad damnum. Et ob hanc cauſam tenetur id in hæreditate ſua pati, quod defunctus, ſi viueret, propter condemnationem datam in bo- *Corollarium primum.*
B nis ſuis pateretur. Nam hæreditatis nomine id ſolùm dicitur, quod deducto ære alieno ſupereſt. Hoc autem, quod dico de hærede circa pœnam à defuncto debitam, non eſt intelligendum de pœna corporis: quia hanc (vt dixi) nullus vnquam pro alio pati debet: ſed de pœna, quæ infertur circa bona temporalia, in quibus ſolis hæres poteſt defuncto ſuccedere. Et idem prorſus dicendum eſſe cenſeo de executore teſtamenti, qui ea omnia, quæ defunctus ſoluere tenebatur, ſoluere tenetur, poſtquam illi conſtiterit de obligatione defuncti. Conſtabit autem illi pleniſsimè, cùm fuerit illi oſtenſa ſententia, per quam defunctus fuit à iudice damnatus ad pœnam. Nam quod per ſententiam declaratur, eo ipſo eſt notorium, vt dicitur in cap. Veſtra, de cohabitatione clericorum & mulierum.

Secundò ſequitur ex eadem concluſione, quòd prælato, qui per iudicem damnatus eſt ad priuationem prælationis, iam ſubditi non tenentur obedire, nec ille poteſt aliquid, quod ad prælationẽ illam ſpectet, facere, quod ſit firmum & ſtabile. Nec poteſt fructus, qui dignitati debentur, iuſtè percipere, & ſi illos perceperit, tenebitur tanquam *Corollarium ſecundum.*

iniuſtè

iniuſtè acceptos reſtituere. Idem ſequitur dicendum eſſe de C
luſore in ludo alearum, qui licet ſine fraude & dolo lucri gratia aliquid acceperit ab eo, qui ſui iuris erat, & poterat bona ſua alienare: tenebitur tamen quidquid lucratus eſt in alea, reſtituere, poſtquam ad illud fuerit à iudice damnatus. Neque aliud poteſt dici de illo, qui damnatur ad pœnam lege ſtatutam, propterea quòd dolo aut fraude occultauit res, propter quas iure debebat vectigal, aut quoduis aliud tributum. Quia quum iuſtæ ſint omnes huiuſmodi leges, quæ his criminibus pœnas aliquas infligi præcipiũt, iuſtè etiam aget iudex, qui talium criminum reos damnat ad pœnas in legibus ſtatutas. Et inde apertè conuincitur, vt omnes illi, poſtquam à iudice damnati fuerint, teneantur in conſcientia tales pœnas reddere.

De hoc tamen in hac parte lectorem admonere decreui, vt aduertat, me illum ſolum hoc loco dicere damnatum ad pœnam, qui omni iudicij ordine conſummato, tandem ſic damnatus eſt, vt nullum habeat iuris remedium, per quod poſſit condemnationis ſententiam irritam facere. Nam licet reus ſit ſemel à iudice cõdemnatus ad pœnam, ſi tamen ille appellationem aliquo iuſto colore fucatam D
interpoſuit, putans ſe iniuſtè damnatum, non tenebitur in conſcientia ad pœnam, ad quam fuerat condemnatus, quouſque ſit contra illum vltima data diffinitiua ſententia, à qua iam non poſſit iuſtè appellare. Nam lex dicit, quòd ſi condemnatus appellauit, ſtatus eius integer erit. l. vnica. ff. Nil innouetur pendente appellatione. Et idem docetur per multa capitula in titulo Decretaliũ, vt lite pendente nihil innouetur. Ex quo poteſt inferri, quòd ſi prælatus aliquis appellaſſet à ſententia iudicis condemnantis illum ad priuationẽ prȩlationis, & pendẽte appellatione ille excõmunicaſſet alium ſubditum ſuum, valeret excõmunicatio, quãuis poſtea declaratũ eſſet appellationem fuiſſe iniuſtam, & vltima diffinitiua ſententia priuaretur poſtea ſua dignitate. Hoc apertè dicit gloſſa in cap. j. xviij. quæſt. iiij. Et poteſt hac manifeſta ratione probari, quòd quandiu iuſtè appellauit, adhuc ſalua cõſcientia retinet prælationẽ, ac ſi non fuiſſet cõdemnatus: & ideo omnia, quæ ante cõdemnationem facere poterat, poteſt pendente appellatione facere. Et inde vlterius ſequitur, vt excommunicatus ab illo ſit cenſendus

excomm

A excommunicatus, & velut talis ab omnibus euitandus. Quia (vt dicitur in capit. Paſtoralis. de appellationibus) excommunicatio trahit ſecum executionem.

Quòd lex diuina olim aliquando obligauit, & nunc etiam aliquando obligat in foro conſcientiæ reum ad pœnam, abſque aliqua iudicis ſententia reddendam.

CAPVT IIII.

AT rectè de poteſtate legis pœnalis humanæ, quæ ſententiam continet latam, differere valeam, & apertius definire, an illa aliquando obliget in conſciẽtia ad pœnam reddendam, à lege diuina exordiri decreui, vt inde gradatim ad legum pœnalium humanarum poteſtatem enucleandam facilius progredi poſsim. Nam iuxta id, quod lex diuina aliquando ſtatuit humanæ poteſtati licebit leges
B ſuas condere, niſi fortè per aliquam ſpecialem legem Deus hoc illi probibuerit. Multa Deus olim in lege ſua per Moyſen data ſtatuit, quæ citra omnem controuerſiam obligabant in conſciẽtia reos ad pœnam reddendam, etiam ante vllam iudicis ſententiam. Ex his tam multis aliqua impræſentiarum citare decreui, vt id, quod dicó, aliquibus apertiſsimis teſtimoniis comprobetur. In Exodo *Exo.21.* hæc habetur lex. Si percuſſerit quiſpiam oculum ſerui ſui aut ancillæ, & luſcos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit. Dentem quoq; ſi excuſſerit ſeruo vel ancillæ ſuæ, ſimiliter dimittet eos liberos. Quam legẽ ſi quis bene inſpexerit, & legiſlatoris intentionem exactè fuerit perſcrutatus, apertè cognoſcet eum, qui percuſsiſſet oculũ, aut excuſsiſſet dentem ſerui aut ancillæ ſuæ, in pœnam delicti fuiſſe lege diuina obligatũ in conſcientia ad redden dam ſeruo libertatẽ. Sed fortè quis dicet illum ad hoc non obligari, donec à iudice ad id faciendum fuiſſet damnatus. Hanc tamen ſententiam falſam eſſe conuincam. Quia ſi ſeruus ad ſuam tunc impetrandam libertatem iudicis debuiſſet expectare ſententiam, raro aut nunquam illam im-

F. Alfonſ. t

petraſſet. Quoniam dominus domi ſuæ illum tunc includeret,& cathenis ligaret,ne ad iudicem perueniret, & dominum accuſaret, quod veriſimile eſt dominum fuiſſe facturum,ne iudicis ſententia ſeruum amitteret, quem ante iudicis ſententiam iuſtè(vt prædicta reſponſio dicebat) retinere poterat. Et ita non plenè fuiſſet ſerui ſatisfactioni per legem conſultum, niſi Deus obligaſſet dominum ſerui,vt ſine iudicis ſententia redderet ſeruo libertatem. C

Alteram ex Leuitico profero legem pœnalem, quæ omnium cõſenſu obligabat ad pœnã in ea ſtatutam ante omnem iudicis ſententiã. Mulier,quæ redeunte menſe (inquit lex)patitur fluxum ſanguinis,ſeptem diebus ſeparabitur. Omnis qui tetigerit eam,immundus erit vſque ad veſperum. Ecce legẽ pœnalem,quæ pœnã immundiciæ vſq; ad veſperum, hoc eſt, quandam irregularitatẽ imponebat illi,qui coiſſet cum muliere menſtruũ patiente. Quòd autem hanc pœnam ipſe legis tranſgreſſor ſubire teneretur abſq; aliqua iudicis ſentẽtia,inde apertè conuincitur, quòd qui de hoc crimine cõuictus coram iudice fuiſſet, non hac tam parua pœna,ſed multò maiore,videlicet morte,puniebatur.Nam in eodem Leuitico capite vigeſimo lex iterum ſic ait.Qui coierit cum muliere in fluxu menſtruo,& reuelauerit turpitudinẽ eius,ipſáq; aperuerit fontem ſanguinis ſui,interficientur ambo de medio populi ſui.Quæ lex cum illa,quam ex eodem Leuitico ante citauimus, apertiſsimè pugnaret,niſi prior illa intelligatur de illo, qui crimen occultum aut per ignorantiam commiſit, & hæc ſecunda de illo ſolo loqui dicatur,qui ſciens peccauit,& de peccato ſuo fuit coram iudice conuictus.Nam prior illa lex ſolam immundiciæ pœnam ſtatuit contra illum,qui cum menſtruata coiſſet:altera autem poſterior pœnam mortis cõtra eundem decernit. Vt autem hæc legum diſſonantia & facilis contrarietas tollatur,doctores Catholici cenſent illas duas leges,non de eiſdem peccatoribus,ſed de diuerſis eſſe intelligendas.Priorem enim legem,quæ ſolã immundiciæ pœnam ſtatuit,dicunt Nicolaus Lyranus & Hugo Cardinalis eſſe intelligendam de illo ſolo, qui occultè aut per ignorantiam coiuit cum menſtruata,alteram verò,quæ pœnam mortis decernit,de illo ſolo intelligendam eſſe docent,qui ſciens coiuit cum menſtruata,& de tali crimine fuit coram iudice

Leuit.15. *Leui.20.* D

iudice

A iudice accuſatus. Ex qua duarum legum cõciliatione & interpretatione apertiſsimè cõuincitur, priorem illam legem obligaſſe illius tranſgreſſorem ad pœnam in illa ſtatutam ſuſtinendam, abſq; aliqua iudicis ſententia, quæ illum ad talem pœnam damnaſſet. Quoniam prior illa lex, quę mitiorem pœnam ſtatuit, loquitur (vt diximus) de illo, qui non fuiſſet de ſuo crimine conuictus.

Tertium offero ex eodem Leuitico teſtimonium, per quod manifeſtiſsimè probatur, legem diuinam olim obligaſſe peccatoris conſcientiam ad pœnam ſine aliqua iudicis ſententia ſoluendam. Qui comederit (inquit lex) de ſanctificatis per ignorantiam, addet quintam partem cum eo, quod comedit, & dabit ſacerdoti in ſanctuariũ. Quem locum declarans Nicolaus Lyranus, ait. Hic ponitur tranſgreſsionis remediũ, quando illa tranſgreſsio fit per ignorantiã: quia debet reddere quod comeſtum eſt, & ſuper hoc quintam partem, eò quòd non adhibuit debitam diligentiam ad præcauẽdum ſibi de comeſtione ſanctificatorum: & ideo non excuſatur à toto, ſed ſolùm à tanto. Hæc Lyra. Quod autem ait illum, qui comediſſet per ignorantiã, non *Leui. 22.* *Nicolaus de Lyra.*

B excuſari à toto, ſed ſolùm à tanto, ideo dixit, quia parum ſuprà in eodẽ capitulo lex ſtatuerat, vt omnis immundus, qui per induſtriam comediſſet de ſanctificatis, periret coram domino. Et qui per ignorantiam comediſſet, excuſabatur à pœna mortis, ſed imponebatur illi pœna, vt redderet ſanctuario quod comediſſet, & quintam inſuper addderet partẽ. Certum eſt ad hanc pœnã ſoluendã obligari in cõſcientia reũ, nec eſſe iudicis ſententiã vllo pacto ad hoc expectãdam. Quoniam ſæpiſsimè cõtingere poterat vt nullus niſi ille, qui comederat, ſciret an per ignorantiam, an per induſtriam comediſſet, Deinde, ille qui per ignorantiã comederat de ſanctificatis, etiã ſi ſecretò & abſq; arbitris comediſſet, tenebatur peccatum ſuum, quamuis non ita diſtinctè & in particulari ſicut nunc in lege euangelica, ſacerdoti reuelare, vt pro illo ſacerdos oblationem talem offerret, qualem lex in eodẽ libro pręcepit offerri pro his, qui per ignorantiam deliquiſſent, Quo rerum gerendarũ ordine ſeruato, manifeſtum eſt illum cogi in cõſcientia ad pœnam ſoluendam: quia etſi ille ſoluere contempſiſſet pœnam ſacerdos, cui peccatũ reuelauerat, noluiſſet pro eo victimas Deo

offerre, niſi prius pœnam à lege impoſitam ſoluiſſet. Fie- C
bat igitur neceſſariò, vt obligata conſcientia peccatoris ad peccati reuelationem, obligaretur per conſequens ad ſolutionem pœnæ.

Quartum adhuc ex libris Numerorum profero teſtimonium, quod multò apertius conuincit, legem diuinam ôlim obligaſſe illius tranſgreſſores ad pœnã aliquam abſ-
Nume.5. que iudicis ſententia ſoluendam. Vir ſiue mulier (inquit lex) cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ ſolent hominibus accidere, & per negligentiam traſgreſsi fuerint mandatum domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum ſuum, & reddent ipſum caput, quintámque partem deſuper ei, in quem peccauerint. Sin autem non fuerit qui recipiat, dabunt domino, & erit ſacerdotis, excepto ariete, qui offertur pro expiatione, vt ſit placabilis hoſtia. Hactenus verba legis diuinæ. Cuius legis verum ſenſum prius explicare oportebit, & poſtea ex ipſis verbis legis oſtendemus illam obligaſſe ſine vlla iudicis ſententia eiuſdem legis tranſgreſſorem ad pœnam in illa ſtatutam, perſoluendam. Primò quidem aduertendum eſt, legem hanc de ſolis illis peccatis loqui, quæ in aliquod proximi damnum D
committuntur, qualia ſunt furta, fraudes, & alienarum rerum quaſlibet detentiones. Hæc enim peccata ſunt, quæ ſæpe ſolent hominibus accidere. Et quòd de his ſolis loqua-
Leuit. 5. tur lex, facilè conuincitur ex Leuitico, vbi eadem lex ponitur, quæ poſtquam expreſsit depoſiti negationem, extorſionem, calumniam, rei inuentæ detentionem, tandem vt omnia ſimilia peccata cõtra proximum cõplecteretur, hæc verba addidit. Et quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus peccare ſolent homines. Deinde, vltima verba ipſius le-
Nume. 5. gis in Numeris poſitę, apertè oſtendũt illã de ſolis peccatis quę in damnũ proximorum committuntur, loqui. Sic enim ait. Reddent ipſum caput, quintámque partem deſuper ei, in quem peccauerint. In quibus verbis apertè lex ipſa indicat ſe de peccato in proximum commiſſo, loqui. Quod dicit lex, cõfitebuntur peccatũ ſuum, non eſt de cõfeſsione ſacramentali, qualis nunc eſt in lege euangelica intelligendum. Quia talis confeſsio ſacramentalis tunc non erat, neque ſacerdotes tunc abſoluendi à peccatis, poteſtatem habebant, qualem nunc habet ſacerdos euangelicus. Hanc

A confeſsionem, de qua lex præſens loquitur, dicunt aliqui debuiſſe facere eum, qui rem furatus fuerat, aut vi extorſerat, diceréque domino rei huiuſmodi verba. Ego à te hanc rem abſtuli, ideo accipe illam, & quintam inſuper eius partem. Sed licet hoc poſſet verum eſſe quando furtum erat manifeſtum, & fur erat notus: non tamen credo talem confeſsionem fieri debuiſſe domino rei, quando fur erat ignotus, & omnino occultus, quia ſic faciendo ſe diffamaſſet, & multò maius damnum ſibi intuliſſet, alienum reſtituendo, quàm intulerat proximo, cùm rem illius abſtulit. Melius eſt enim nomen bonum (vt ait ſapiens) quàm diuitiæ multæ. Ideo Sebaſtianus Munſterus, etſi in aliis multis peſsimè errauerit, à fide catholica longe diſcedens, in hac tamen parte melius ſentire mihi videtur, quum in ſcholiis, quæ ſuper librum Numerorum ædidit, dicit talem confeſsionem fieri debuiſſe ſacerdoti, & illi dari rem ablatam cum quinta inſuper parte, vt ſacerdos redderet domino, à quo ablata fuerat. Et hanc confeſsionem dicit Sebaſtianus Munſterus vocari à Iudæis ſingularem, eò quòd pro ſingulari peccato fiebat, quia in aliis ſacrificiis dicit factam fuiſſe ſolùm generalem peccatorum confeſsionem. Et certè quòd hæc confeſsio facienda eſſet ſacerdoti, vel ex eo coniici poteſt, quòd iſte, qui ſic peccauerat (vt præceptum erat in Leuitico) offerebat arietem pro peccato ſacerdoti, & illi reuelabat peccatum, propter quod offerebat. Fateor tamen nihil prorſus intereſſe pro peccati abſolutione impetranda, an ſacerdoti, an domino rei hoc peccatum manifeſtaretur. Quia hæc peccati confeſsio, quamuis fieret ſacerdoti, non magis erat ſacramentalis, quàm ſi illam nunc faceret mulieri, quæ nullam prorſus ex lege euãgelica habet abſoluendi à peccatis poteſtatem: ſed erat illa confeſsio ſacerdoti tunc facta ſolummodo amicabilis quædam reuelatio ſecreti ſui, veluti ſi quis nunc in lege euangelica peccatum ſuum extra ſacramentalem confeſſionem amicè reuelaret ſacerdoti, ad hoc tantùm vt oraret Deum pro eo. Malè igitur argumentantur quidam recentes Theologi, qui hanc legem proximè citatam ex libro Numerorum, proferunt ad probandum confeſsionem ſacramentalẽ, qualis nunc eſt in lege euangelica, eſſe ex iure

Prouerb. 22.

Munſterus.

B

Leuit. 5.

diuino inſtitutam & præceptam. Quia cõfeſsio illa, de qua lex vetus loquitur (vt nunc proximè oſtendimus) longiſsimè diſtat à confeſsione ſacramentali, quæ eſt in lege euangelica inſtituta. Quòd verò dicit lex illa ex Numeris citata, vt is qui in proximum deliquerat, redderet ipſum caput, nomine capitis intelligit ipſam rem principalem, quę illicitè capta fuerat; quæ metaphoricè caput dicitur reſpectu quintæ partis, quæ inſuper in reſtitutione addebatur. Nam apud eos, qui mercaturam exercent, ea tota pecunia, quæ primò ponitur in negotiatione, vocatur caput vel capitale, reſpectu lucri ex ipſa pecunia prouenientis. Quòd autem quintam inſuper partem iubet lex reddi illi, à quo res fuerat ablata, hoc triplici ratione præceptum eſſe ab aliquibus creditur. Nicolaus Lyranus & Abulenſis dicunt, quòd pro æſtimatione damni, quod dominus ſuſtinuit, ex ſuæ rei detentione, iubetur quinta pars vltra caput illi reſtitui. Sed certè, vt ego cenſeo, hæc non poteſt eſſe illius legis vera & abſoluta cauſa: quia ſi pro damni æſtimatione præciperetur, non abſolutè quintam taxaret partẽ, ſed aliquando magis, aliquando minus, iuxta maius aut minus damnum quod ex rei detentione illatum fuiſſet. Nã iuxta longiorem aut breuiorem rei detentionem maius aut minus damnum infertur domino rei. Præterea fieri poſſet, vt ex detentione rei nullum fuerit illatum damnum domino illius, nihilominus tamen is, qui rem acceperat, teneretur quintam inſuper partem vltra capitale illi reſtituere. Alteram & meliorem reddit cauſam Abulenſis, propter quam dicit legem iubere, vt quinta vltra caput reddatur pars dominio rei: quia videlicet offendit eum, à quo rem acceperat: & ſic fit reſtitutio propter offenſam perſonæ illatam. Sed ſi hoc propter offenſam eſſet inſtitutũ, nõ oporteret abſolutè quintã inſtituere partem ad iuſtã reſtitutionem. Quia cùm offenſa perſonæ ſæpe magis ex ipſius perſonæ qualitate, quàm ex damno illato ſit æſtimãda, cõuincitur inde, vt nõ ſit ſemper æqualis omnium perſonarum offenſa: & per cõſequẽs nõ omnibus æqualis faciẽda reſtitutio. Ideo multò magis mihi arridet tertia cauſa, quam reddit Nicolaus Lyranus, dicens illam quintam partem eſſe additam in pœnam delicti, vt homines timore illius deterrerẽtur à quacunq; rei alienæ illicita detentione. Iſta igitur

Nicolaus de Lyra, Abulẽſis.

A igitur lege ſic declarata, conſtat illam eſſe legem pœnalem, propterea quòd quintam vltra caput partem iubet reddi illi, à quo res illicitè ablata fuerat, quamuis nullum ex tali rei acceptione ille damnum ſuſtinuiſſet. Ad hanc autem pœnam perſoluendam, is qui rem acceperat, obligabatur ſine vlla iudicis ſententia, vt clariſsimè ex ipſius legis verbis conuincitur. Quia hæc lex præcipit, vt, ſic peccantes vltra illam quintam partem, quæ domino iubetur reddi, offerant domino arietem pro expiatione peccati, ex quo apertè colligi poteſt, eam legem non ad forenſe iudicium pertinere, ſed ſolùm ad ſecretum iudicium conſcientiæ. Quia cùm alias ſtatuit leges ad iudicium forenſe pertinentes, vt in Exodo, ſolùm impoſuit pœnas, quæ in vtilitatem proximi cederent, & nunquam pœnam ſacrificij, vt nunc fecit: quia hoc pertinet ad ſolum forum conſcientiæ. Sed fortè quis, contra eccleſiæ conſuetudinem, contentiones optans, dicet eſſe neceſſariam iudicis ſententiam, propterea quòd lex præcipit, vt is, qui rem alienam illicitè accepit, confiteatur peccatum ſuum, antequam caput & quintam inſuper partem *Exo. 21. & 22.*
B reddat domino rei. Nam fortè dicet verba illa eſſe intelligenda, non de confeſsione ſpontanea & ſecreta, ſed de confeſsione coacta, & publicè in iudicio facta: & ita dicet pœnam talem eſſe ſoluendam, poſtquam iudex tali confeſsione publica & coacta audita præceperit illi, vt caput & quintã inſuper partem redderet domino. Sed hanc interpretationem eſſe peruerſam & prorſus literæ repugnantem, multis euidentibúſque rationibus conuincam. Primò, quia iuxta talem interpretationem, is qui ſecretò & nemine ſciente rem alienam accepiſſet, non teneretur ad quintam illam partem vltra caput reddendam, quod conſtat eſſe falſum, cùm lex de omnibus ſine vllo diſcrimine publici criminis aut ſecreti loquatur. Quod autem hoc ex tali interpretatione colligatur, apertè probatur ex eo, quòd is, qui ſecretò & nemine ſciente nec ſuſpicante rem alienam illicitè accepit, non tenetur talem publicam confeſsionem in iudicio facere: imò potius è contrario iure naturali tenetur non facere talem in iudicio confeſsionem. Quia iure naturali tenetur famam ſuam, quam illæſam tenet, integram ſeruare. Ille igitur, qui ſic occultus

eſt in crimine furti, vt nulla de illo habeatur ſuſpitio furti, non teneretur niſi ad ſolam reſtitutionem rei furto ſublatæ, & non ad redditionem quintæ partis. Quia illam non tenetur reddere (vt hæc interpretatio dicit) niſi poſtquam ſuum peccatum fuiſſet in iudicio confeſſus, & ibidem ad illam damnatus: ergo qui nunquam fuiſſet confeſſus, nunquam ad illam teneretur. Præterea verba, quæ in eadem lege infrà ponuntur, apertè cōuincunt confeſsionem illam non eſſe coactam & in iudicio factam, ſed ſpontaneam & ſecretam. Nam ipſamet lex præcipit, vt ſi non fuerit qui recipiat ipſum caput cum quinta parte inſuper adiuncta, detur domino, & ſit ſacerdotis. In quibus verbis manifeſtè innuit lex aliquando euenire poſſe, vt talis confeſsio delicti fieret, quando non eſſet ipſe dominus aut hæres eius, cui ſolueretur id, quod ablatum fuerat. At ſi talis confeſsio eſſet coacta, & in iudicio facta, neceſſarium erat, vt eſſet aliquis, qui rem ablatam petere poſſet, & cui illa cum quinta inſuper parte reddi deberet. Alioqui proceſſus iudicij ſine parte fieret. Rurſum, ſi talis confeſsio, quam lex præcipit futura eſſet in iudicio & coacta, & non ſpontanea, tunc non ſolam quintam partem vltra caput reddere oporteret, ſed duplum aut quadruplum. Nam in Exodo præcipit lex, vt ſi quis furatus fuiſſet bouem, & occidiſſet aut vendidiſſet, quinq; boues pro vno redderet: & ſi furatus fuiſſet ouem, & occidiſſet aut vendidiſſet, quatuor oues pro vna redderet. Si autem, quod abſtulerat, viuum apud furem reperiretur, duplum reddi iubebat lex. Hìc autem ſolùm iubet reddi caput cum quinta parte, quod longè minus eſt quàm duplum. Quæ duæ leges velut ex diametro ſecum pugnare videntur, niſi hæc, quæ in libro Numerorum poſita eſt de confeſsione ſpontanea, & non coacta, & iudiciali intelligatur. Nam quia talis fur ſponte ſuum manifeſtauit peccatum, ideo lex in libro Numerorum poſita, mitiorem illi infligit pœnam. Lex autem Exodi, quia loquitur de illo, qui non ſponte, ſed in iudicio cōuictus ſuum fatetur peccatum, maiorem contra illum ſtatuit pœnam, dupli videlicet reſtitutionē. Et hanc meam ſententiam confirmo authoritate Auguſtini, qui in quæſtionibus ſuper librum Nume. poſtquam mouerat quæſtionē de apparente iſtarum legum diſſonantia & contradictione, volens illas duas

C D

Exo. 22.

Auguſti. in quæſt. ſuper Nume. c. 10.

A duas concordes reddere, hæc, quæ ſequuntur, ait. Si furta & fraudes hic intellexerimus, quæ non per ignorantiam negligentię, ſed furandi vel fraudandi animo committuntur, & ideo dicta humana, quia in homines fiũt, ille (niſi fallor) erit exitus quæſtionis huius, vt ideo qui fecerit, non reddat vel duplum: quia non reprehenditur vel conuincitur, ſed ignorantibus à quo factum ſit, vel vtrum factum ſit, ipſe annuntiat delictum ſuum. Cùm enim dixiſſet ſcriptura. Vir aut mulier quicunq; fecerit ab omnibus peccatis humanis, & deſpiciens deſpexerit atq; deliquerit, id eſt, contemnendo commiſerit iſta, adiunxit, & ait. Anima illa annuntiabit peccatum, quod peccauit, & reſtituet delictum caput & quintas eius. Fortè ergo propterea tantum, quia ipſe annuntiauit, & ideo nõ eo damno plectendus fuit, quo furem comprehenſum vel conuictum plecti oporteret. Hactenus Auguſtin. Ex cuius verbis apertè conſtat, legem illam Numerorum, de qua tam longè diſputauimus, non eſſe intelligendam de confeſsione in iudicio factam, ſed de confeſsione ſpontanea & ſecreta. Ex quo vltrà manifeſtè colligitur, legem illam obligaſſe furem, aut quemlibet B alium alienæ rei illicitum detentorem ad pœnam in illa ſtatutam, abſq; aliqua iudicis condemnatione. *Nume. 5.*

Præter hæc omnia tam manifeſta teſtimonia, placuit adhuc reddere aliud, quod multò manifeſtius probet, legem diuinam obligaſſe illius tranſgreſſores ad pœnam ſoluendam abſq; aliqua iudicis condemnatione. Sacrificia, quæ in lege veteri pro peccatorum varietate præcipiebantur offerri, pœnæ erant pro ipſis peccatis inflictæ. Nam licet dicebantur oblationes aut ſacrificia, propterea quòd offerebantur Deo: quia tamen peccatores illis rebus, quas Deo pro ſuis peccatis offerebant, priuabantur: tales rerum priuationes ex ſua natura pœnæ erant ipſis offerentibus. Parum enim intereſt, an Deo an hominibus detur id, quod ab homine tollitur, vt talis rerum ablatio in ſe conſiderata, pœna dici poſsit. Si animal, quod pro peccato iubebatur Deo offerri, lex iuſsiſſet alicui homini aut reipublicæ dari, nullus negaret eſſe pœnam pro peccato inflictam, nullus ergo negare debet, pœnam eſſe peccato ſtatutam, ſi tale animal præcipiatur offerri, vt illud ſacerdos

pro ipſo peccatore ſacrificet Deo. At nullus dubitat, peccatorem ante aliquam iudicis ſententiam fuiſſe tunc obligatum ad ſacrificia illa facienda, quæ lex pro delictis facere præcipiebat, ita vt ſi non feciſſet, reus vlterioris peccati teneretur. Nam inter plurima, in quæ rex Dauid incidit peccata, propter adulterij taciturnitatem, hoc vnum fuit, quòd ſacrificium, ad quod pro ſuo peccato faciendum ex legis præcepto tenebatur, Deo offerre non curauit. Vnde Nicolaus Lyranus interpretans illum verſum Pſalmi. Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die, ſic ait. Ex verecundia enim non aperiebat peccata ſua, faciendo pro eis debita ſacrificia in lege præcepta, quæ pro variis peccatis variè imponuntur, & ſic meritò formidabat, ne ſuper eum veniret vindicta diuina aperta. Hæc ille. Et beatus Paulus docet illa veteris legis ſacrificia eſſe Iudæis tunc ſic neceſſaria, vt illorum omiſsio voluntaria eſſet illis culpa mortalis. Nam de operibus legis loquens, ait. Lex non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea, viuet in eis. Legem dicit non eſſe ex fide, quia lex nihil mandauit credendum, ſed ſolùm præcepit facienda. Ad quæ per timorem Iudæos, natura rebelles, cogere voluit, dicens. Qui fecerit ea, viuet in eis. Quæ verba non ſunt de vita ſpirituali, quæ eſt per gratiam intelligenda: quia talem vitam (vt ipſe Paulus ſæpiſsimè docet) ſacrificia veteris legis præſtare non poterant. Ex operibus legis (ait Paulus) non iuſtificabitur omnis caro coram illo. Et iterum. Arbitramur enim iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis. Et in alia epiſtola ait. Scientes quòd non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem. Et iterum ibidem. Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro. Et rurſum in eodem loco ait. Si enim per legem iuſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt. Si quis autem contendat Paulum ideo dixiſſe Iudęum viuere in ſacrificiis legis, quia illa faciens merebatur propter obedientiam & bonam animi voluntatem, quam oſtendebat ad Dei præcepta: hoc facilè conuincitur per eadem Pauli verba, quibus ait. Viuet in eis. Quibus verbis non dixit eum, qui opera legis feciſſet, victurum in obedientia ſua, aut in quauis alia bona volitione, ſed dixit illum victurum in ipſis operibus legis, vt planè oſtenderet, non ex opere ipſius

Pſal. 31. Galat. 3. Rom. 3. Galat. 2.

E D

A operantis (vt ſcholaſtici Theologi loquuntur) ſed ex opere operato, vitam ipſius operãtis pendere. Quod ergo Paulus dixit. Qui fecerit ea, viuet in eis, de vita corporali intelligi oportet. Quia ſi ea, quæ in lege pręcipiebantur, aliquis Iudæus facere neglexiſſet, morte puniretur. Et propterea dicit Paulus viuere in ſacrificiis legis qui feciſſet ea, quia ſic faciens euitabat mortem, qua puniretur, niſi opera legis feciſſet. Hæc autem corporalis mortis comminatio (vt rectè docet Scotus in quarto ſententia. diſtinctione prima, *Scotus.*
quæſtione ſexta) nunquam in lege ponitur, niſi vbi tranſgreſsio legis erat culpa mortalis. Propter quod idem Scotus alibi dicit, fuiſſe aliqua pręcepta cæremonialia, quæ Iudæorum conſcientias obligabant ad culpam mortalem. Et *Scotus in*
idem ſentit de aliquibus præceptis iudicialibus, de quibus *3. ſenten.*
hæc ait. Ad omnia etiam iudicialia tenebantur vel per ſe, *quæſt. vl-*
vel quando decernebantur per iudices eorum. Hæc Scotus. *tima.*
In quibus verbis id potiſsimum annotandum eſt, quod ait, vel per ſe. Per illa enim verba ſatis apertè expreſsit, aliqua fuiſſe pręcepta iudicialia, ad quæ Iudæi tenebãtur abſq; aliqua iudicis ſententia, qualia ſunt illa quæ nos ex libris
B Exodi, Leuitici, & Numerorum ſuprà citauimus.

Vt noſtram priorem concluſionẽ firmiorem relinquam, operæpreciũ erit poſt tot veteris legis teſtimonia aliquod ex lege etiam euangelica proferre teſtimonium, quo maniſeſtiſsimè probetur eſſe etiam in lege euangelica, quæ multo eſt mitior lege veteri, aliquam legem pœnalem quæ peccatorem obligat ad pœnam in illa expreſſam, abſq; aliqua alterius iudicis ſententia quæ illum ad talem pœnam damnet. Coniunx adulter in pœnam ſui criminis lege euangelica priuatus eſt iure petendi debitum à coniuge innocente. Nam hanc pœnam lege ab eo primitus promulgata ſtatuit Saluator, ſic apud Matthæũ inquiens. *Matt. 5.*
Omnis qui dimiſerit vxorem ſuam excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat. Et iterum apud eundem Matthæũ alibi ait. Quicunque *Mat. 19.*
dimiſerit vxorẽ ſuam niſi ob fornicationẽ, & aliam duxerit mœchatur, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur. Per hoc quod dicit, niſi ob fornicationem, apertè docuit licere viro vxorem adulteram dimittere. Et tantundem intelligendum eſt conceſſum eſſe vxori, vt illa poſsit virum propter adult

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

adulteriũ dimittere. Sunt enim vir & vxor in hoc negotio pares. Vterq; igitur coniunx, quũ innocẽs fuerit, iuſtè poterit, ex lege euangelica alteri coniugi adultero petenti id, quod aliâs ſibi debebatur, negare: quia adulter iã per peccatũ ius exigendi amiſit. Et in hanc pœnã incidit non ſolùm is qui corporale adulterium commiſit, ſed etiam qui ſpirituale, vt eſt hæreſis, aut idololatria. Quod inde probat Auguſtinus libro j. de ſermone domini in monte, & citantur eius verba in cap. Idolatria. xxviij. q. j. quia cùm Chriſtus dixit poſſe virum dimittere vxorem propter fornicationem, non ſolùm fornicationem corporalem expreſsit, ſed abſolutè loquutus eſt omnem complectens fornicationem, tam ſpiritualem quàm corporalem. Et meritò Auguſtinus cenſet idem eſſe de fornicatione ſpirituali intelligendum quod de corporali: quia fornicatio ſpiritualis eſt contra coniunctionem animorum, ſicut corporalis contra coniunctionem corporum. Hoc tamen intereſt inter ſpirituale & corporale adulterium, quòd ſi quis ſemel tantum inciderit in ſpirituale adulterium, & ſit paratus corrigi non ſtatim incurrit pœnam. In adulterio autem carnali ſatis eſt vnus actus, nec oportet expectare correctionem, vt poſsit innocens dimittere nocentem. Nam & ſi poſtea ſe adultera correxerit, & caſtè vixerit, nunquàm recuperabit ius quod ſemel amiſit, niſi vir innocens voluerit illud per indulgentiam illi concedere. Et poteſt dari ſimile de hæretico, qui etſi reſipiſcat & ſui erroris pœniteat, nunquam tamẽ recuperat bona olim ſua, quæ per peccatum hæreſis amiſerat, niſi fuerint illi miſericorditer conceſſa, vt dicitur in cap. Vergentis, de hæreticis. Verùm etſi innocens poſsit ſe ab adultera ſeparare, non tamen poterit (vt quidam peruersè ſentientes hac noſtra ætate docuerunt) alterã ducere. Quia matrimonium inter illos cõtractum eſt vinculum indiſſolubile, quod non niſi per mortem ſolui poteſt. Quo fit vt quandiu vterq; viuit, ſit alter alterius coniunx, nec poſsit alterum ſibi coniungere: quia Saluator ait. Qui dimiſſam duxerit, adulterat. At nullo modo diceretur verè adulteraſſe qui dimiſſam duxiſſet, niſi illa eſſet adhuc vxor prioris mariti à quo dimiſſa fuit. Et hanc eſſe veram Chriſti mentem apertè declarat beatus Paulus in priore ad Corinthios epiſtola ſic inquiens. Iis autẽ qui matrimonio iuncti ſunt,

Matt. 5.

1. ad co. 7.

A ſunt, præcipio non ego ſed dominus, vxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit manere innuptam aut viro ſuo reconciliari. Nec opus eſt de hac re multum diſputare, aut multa pro illa afferre teſtimonia, cùm aperta ſit Eccleſiæ definitio quæ omnem de hac re diſputationem tollit. Nam Concilium Florentinum ſub Eugenio quarto celebratum in ea fidei definitione quam dedit Armenis, de ſacramento matrimonij diſſerens, hæc ait. Quamuis ex cauſa fornicationis liceat thori ſeparationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas eſt, quum matrimonij vinculum legitimè contracti perpetuum ſit. Hæc Concilium Florentinum. Quibus verbis, cùm ſint tam manifeſta, non video quid poſsit reſponderi ab illis qui contrariam tenent ſententiam. Separantur ergo coniuges ab eodem thoro propter alterius adulterium, ſed non diſſoluitur vinculum matrimonij. Sed quia fornicatio aut adulterium dicitur eſſe cauſa propter quam vxor poteſt à viro dimitti, oportet talem eſſe fornicationẽ quæ culpa & non parua ſed mortalis merito cenſeri debeat. Nam ſi abſque culpa ſua mortali fornicata fuiſſet, iniuſtum eſſet illam

Concilium Florentinum.

B tam graui pœna punire. Sæpe enim contingere poteſt, vt mulier nupta ſine culpa ſua præſertim mortali ab altero viro cognoſcatur, & ſic adulteriũ quantum ad ſubſtantiam actus committat. Quoties igitur id contigerit; non poterit maritus eam à thoro repellere, præſertim ſi illa ſe à culpa immunem oſtenderit. Primò quidem euenire poteſt, vt mulier propter longam viri abſentiam, aut teſtimonio virorum fidelium, aut violentis aliis præſumptionibus inducta credat virum ſuum eſſe mortuum, & ſic credens nubat alteri, & cognoſcatur ab illo. Quo euentu mulier fornicaſſe, & adulteraſſe dicetur, tale tamen adulterium non imputabitur illi ad culpam, quia excuſabitur per ignorantiam qua credidit virum ſuum eſſe mortuum: & ideo vir ſuus non poterit ob hanc cauſam illam dimittere, vt dicitur in capit. Cùm per bellicam, xxxiiij. quæſt. j. Deinde, ſi vxor fuerit ab alieno viro vi oppreſſa, vt Lucretiam Romanam Colatini vxorem à Tarquinij regis filio oppreſſam fuiſſe fertur, nullus merito poterit illi adulterij notam inurere, nec per conſequens vir eius poterit hac de cauſa illam repellere, vt apertè docetur in capit. Propoſito.

Lucretia.

ſito.xxxij.quæſt.v. Hoc autem non de leui violentia intel- C
ligi oportet, ſed de vera & abſoluta, cum nullus à principio
acceſsit verus cōſenſus,ſed magnus interuenit metus. Nam
ſi abſque vero metu, ſed ſolùm propter præceptum parentum, aut vehementem conſanguineorum adhortationem, aut propter aliam conſimilem cauſam fornicetur cum aliquo, etiam contrahendo cum illo, ſicut non excuſabitur à culpa adulterij, ita nec à pœna expulſionis, in quam propter adulterium incidit: vt habetur in capit. Omnes canones. xxxij. quæſt. vij. Hinc eſt quòd vxor Sanſonis non eſt excuſata ab adulterio quod commiſit alteri nubens Sanſone viuente, quāuis ex præcepto patris id fecerit: nec etiam excuſatur ab adulterio Michol vxor Dauid regis, quæ ipſo viuente nupſit alteri, quamuis ex præcepto Saulis patris ſui id fecerit. Præterea, ſi quis extraneus fraudulenter, & per inſidias ſe immiſerit in lectum vxoris, & ſimulans ſe virum illius cum illa coierit, ſicut Lya ſimulans ſe Rachelem coiuit cum Iacob, nullus merito poterit talem vxorem de adulterio reprehendere, & inde ſequitur vt nec vir eius poſsit illam ob id à ſuo thoro repellere, vt apertè dicitur in capitul. In lectum mariti. xxxiiij. quæſtione iij. In omnibus huiuſmodi caſibus in quibus nulla interuenit vxoris culpa, & ſi fortè accidat fornicatio, non poterit maritus vxorem à ſe dimittere, quia (vt dicitur in leg. Vxor. C. de diuortiis,) diuortium dolum requirit. Poteſt etiam contingere, vt mulierem in culpa adulterij deprehenſam vir eius non poſsit illam iuſtè à ſuo conſortio repellere, vt puta ſi ille eodem aut pari crimine pollutus fuerit. Quia paria delicta mutua compenſatione tolluntur, vt dicitur in capitulo Significaſti, de diuortiis, & xxxij. quæſtione quinta. per totum, & leg. Viro atque vxore. ff. ſoluto matrimonio. Et hoc verum eſt etiam ſi viri fornicatio ſit occulta, vxoris autem manifeſta: quia tunc peccaret mortaliter vir ſi vxorem dimitteret aut accuſaret. Nam cùm hic diſputemus de iudicio ſecreto conſcientiæ & non forenſi, in quo ſola veritatis cognitio, & non probatio per teſtes requiritur, parium intereſt, an fornicatio viri ſit ſecreta an publica, quādo ſibi ipſi conſtat ſe fornicatū fuiſſe. Præterea vxori illi adulteræ, cuius maritus occultum commiſit adulterium, nō deficit ius excipiendi vt crimen ſuum

Iudic. 15. *1. Reg. 25.* *Gene. 29.*

(margin letter D beside "In omnibus")

alterius

A alterius crimine tollat, ſed ſola deficit probatio: propter quem probationis defectum, & ſi in foro contentioſo poſſit ab actione exceptionis repelli, non tamen in foro conſcientiæ vbi nulli (vt diximus) teſtes requiruntur, ſed ſcola veritatis cognitio. Et probari poteſt per hoc quod xxxij. quæſt.vij.per totum, abſolutè docetur neutrum poſſe alterum dimittere ſi ipſe fornicatus eſt, nec diſtinguitur ibidem an fornicatio alterius ſit occulta vel publica. Hic tamen admonere oportet, quòd ſicut dicitur in l.Illud. ff. de periculo & commodo rei venditæ, vltima mora nocet, & illa eſt quæ trahit ad ſe periculum. Et inde ſequitur vt vtroque coniuge fornicante, ille qui correctus fornicationem deſerit habet ius dimittendi alterum incorrigibilem & in fornicatione perſiſtentem, ſed non è contrario: quia iam non ſunt paria delicta quando vnum eſt emendatum, & alterum perſeuerat. Eſt adhuc aliud admonendum, quod ad iuſtam delicti compenſationem in hoc caſu faciendam non eſt opus, vt eadem fornicationis ſpecie ſit vterque infectus, ſed ſatis eſt vt ſit in eodem fornicationis genere, quamuis in diuerſa ſpecie dummodo is qui ſe per exceptio
B nem tueri vult ſit leuiori culpa & non grauiori pollutus. Is enim qui ſolum adulterij crimen commiſit poteſt ſe per exceptionem tueri contra alterum qui crimine fornicationis contra naturam pollutus eſt: non tamen è contrario, quia ſimplex adulterium & peccatum contra naturam ſunt crimina imparia. Ille etiam qui in corporalem quamlibet incidit fornicationem poteſt repellere eum qui incidit in ſpiritualem. Adulter enim & quiuis alius fornicator corporalis, etiam ſi ſit Sodomorum crimine pollutus, poteſt à ſe repellere coniugem ſuum ſi ſit hæreticus aut idololatra, ſed non è contrario: quia fornicatio ſpiritualis, qualis eſt hæreſis aut idololatria, multo grauior eſt fornicatione corporali. Et quia lenocinium nõ minus eſt crimen immò multo maius quàm adulterium, vt dicitur in l.Palam.ff.de ritu nuptiarum, hinc eſt quòd maritus qui lenocinium exercens vxorem ſuam proſtituit, non poteſt illam propter hoc à ſe dimittere, vt dicitur in capit. Diſcretionem, de eo qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ. Iniuſtum enim eſſet vt qui in eodem crimine particeps fuit, illæſus manens aliũ damnaret. Facientes enim & conſentientes ea-

dem

Rom. 1. dem pœna conſtringere debet, Paulo teſtante qui ſic ait. C
Non ſolùm qui talia agunt, ſed qui agentibus conſentiunt
digni ſunt morte. Tali enim lenoni vxorem ſuam proſti-
tuenti,qui illam propter adulterium accuſare aut dimitte-
Rom. 1. re nititur,dici merito poterit id, quod idem Paulus ſimili-
bus ait.Inexcuſabilis es ò homo omnis qui alium iudicas.
In quo enim iudicas alterum teipſum condemnas: eadem
enim agis quæ iudicas. Voco autem, quatenus præſentem
reſpicit materiam, lenonem aut proſtitutorem vxoris ſuæ
non ſolùm eum qui illi imperat adulterium, ſed omnem
illum qui ſciuit, & noluit prohibere quum potuit. Idem
enim eſt ſcientem nõ prohibere delictum inferioris quum
poſsit, & imperare. At non ita eſſet cenſendum ſi aliud
agens & indirectè (vt aiunt) illi occaſionem adulterij de-
diſſet, vt puta eam relinquendo, & neceſſaria denegando:
quia (vt dicitur in dicta l.Palam) non eſt ignoſcendum ei
qui prætextu paupertatis turpiſsimam vitam agit:niſi for-
tè hac intentione à ſe illam maritus repuliſſet,aut neceſſa-
ria denegaſſet,vt illa tandẽ neceſsitate vrgente adulterium
commiſiſſet,tunc enim (vt dicitur in cap. Ex literis, de di-
uortiis) ille contra vxorem agere non poſſet. D

Vt igitur ea quæ tam latè de lege pœnali euangelica di-
ximus, ad compendium redigamus, dicimus omnẽ illum
coniugem qui innocens eſt, poſſe iuſtè dimittere cõiugem
nocentem. Pari etiam ratione dicimus illum etiã qui mi-
nori fornicationis crimine eſt infectus, poſſe à ſe repellere
alium qui eſt grauiori fornicationis crimine pollutus, ſiue
illa ſit corporalis, ſiue ſpiritualis fornicatio. Nec ſolùm
poteſt,ſed etiam repellere tenetur ſaltem à thoro,niſi for-
tè ſaluti animæ ſuæ aut vxoris ſuæ proſpicere intendat, aut
vxorem ſuam correctam videns miſericorditer cum illa
agere & illi parcere velit.Nam ſi vxorem retinendo ſperat
illam vtcunq; emendandam,iuſtè propter illius correctio-
nem poterit illam apud ſe retinere, dummodo illis qui
vxoris adulterium nouerant, admoneat, ſe vxorem ſuam
apud ſe retinere, non vt illius crimen foueat, ſed potius vt
illam corrigat & à crimine auocet; quod Deo adiutore ſe
facturum ſperat. Qua admonitione facta ſi illi nihilomi-
nus ſcandalizantur, non tenetur ad illorum ſcandalum
euitandum eam dimittere. Quia tale non eſt ſcandalum
paruul

A paruulorum ex ignorantia aut infirmitate proueniens, ſed eſt ſcandalum phariſæorũ procedens ex pura malitia, quod Saluator noſter eſſe contemnendum docuit, dicens. Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum. Et ſi poteſt eam retinere propter ſolam correctionis ſpem, multo melius id facere poterit quum viderit illam iam correctam & emendatam. Poteſt enim quiſque iuri ſuo renunciare, præſertim quando nullum inde alteri periculum imminet. Cùm igitur nullum vxori præſtatur periculum, nec vllum aliis ex retentione præbetur ſcandalum, quia omnibus nota eſt illius correctio, poterit vir illam olim adulteram apud ſe retinere, & renunciare iuri ſuo quod habebat, ad dimittendum illam. Quam renunciationem poſtquam ſemel per carnalem copulam fecerit, non poterit deinceps propter illud delictum illam à ſe dimittere. Deinde, ſi vxorem adulteram à ſe repellens diffidit ſe poſſe caſtè viuere, poteſt eam iuſtè apud ſe retinere ad euitandum peccatum quod illa repulſa metuit ſe commiſſurum. Et hoc verum eſt etiam ſi illam retinens ſperet per hoc illam minus fore emendandam quam ſi illam à ſe repuliſſet. Quia magis tenetur ſaluti animæ ſuæ proſpicere quàm alienæ, & nemo cum periculo animæ ſuæ tenetur ſalutem animæ alterius perquirere. Et probatur hoc apertius per hoc quod vir non magis obligatur ad corrigẽdum vxorem ſuam quàm dominus ſeruũ. Dominus autem non tenetur à ſe repellere ſeruum excõmunicatum, ſed poteſt ab eo quamuis excommunicato debitum ſeruitium exigere, ergo eodem modo vir poterit, quũ ſibi opus fuerit, ab vxore debitum petere quamuis illa in crimine adulterij perſiſtat, præſertim cùm magis teneatur vxor ad reddendũ debitũ viro, quàm ſeruus ad reddẽdum ſeruitium domino. Si verò maritus confidit in domino vxore repulſa ſe poſſe continere, & non ſperat vxore retenta illam fore emendandam, tenebitur illam à ſe expellere, ne peccatum illius fouere videatur illam retinendo. Et in hoc ſolo caſu puto eſſe intelligendum Hieronymum qui dicit peccare illum qui adulteram retinet. Nam in commentariis ſuper Matthæũ interpretans illa Saluatoris verba ex decimo nono Matthæi capite ſupra citata, ſic ait. Sola fornicatio eſt quæ vxoris vincat affectum. Imò cùm illa vnam carnem in

Mat. 15. B *Hieronymus.*

aliam diuiſerit,& ſe fornicatione ſeparauerit à marito,non C
debet teneri:ne virum quoque ſub maledicto faciat,dicen-
Prou.18. te ſcriptura. Qui adulterã tenet ſtultus & impius eſt. Vbi-
cunque eſt igitur fornicatio, & fornicationis ſuſpicio libe-
rè vxor dimittitur.Hæc Hieronymus,& citantur eius ver-
ba à Gratiano in cap.Dixit dominus in euangelio.xxxij.q.
j.In quibus verbis apertiſsimè docet peccare & quidẽ mor
taliter virum qui vxorem ſuam adulteram retinet.Sed hoc
(vt diximus)tunc ſolùm veritatem habet quando vir confi-
dit,ſe poſſe ſine vxore caſtè viuere,& non ſperat illam ma-
gis corrigendam,ſi apud ſe retineat quàm ſi à ſe repellat.
Nam ſi alterum horum deſit, iuſtè poterit eam retinere.
Cæterum,quod Hieronymus dixit, per ſuſpitionem forni-
cationis poſſe vxorem dimitti,non de quacunq; ſuſpitione
intelligendum eſt,ſed ſolùm de graui & violenta quæ me-
rito purgationem exigere valeat,qualis exprimitur in cap.
Literis tuæ fraternitatis,de præſumptionibus:vel alia ſimi
lis quæ vehementer perſuadeat coniugis adulterium.Alio-
qui anſa præberetur mulieribus quæ natura ſunt ſuſpicio-
ſiſsimæ,vt facilè & abſque vlla cauſa ad nutum leuiſsimæ
ſuſpitionis viros ſuos repellere poſſent.Si violentam habet D
innocens de ſuo coniuge ſuſpitionem,tunc veram eſſe cre-
do Hieronymi ſententiam, vt propter illam merito poſsit
illi purgationem iniungere,quam ſi facere neglexerit, aut
in ea defecerit, iuſtè poterit illi debitum negare. Hactenus
legem euangelicã à Chriſto Saluatore noſtro contra adul-
teros datam,declarauimus,ſupereſt vt probemus illam eſſe
legem pœnalem,& obligare adulterum coniugem ad pœ-
nam in illa ſtatutam etiam ante omnem iudicis ſen-
tentiam. Certum quidem eſt pœnam eſſe adultero coniu-
gi priuatum eſſe iure exigendi debitum ab altero coniu-
ge ſuo: & inde apertiſsimè colligitur, vt lex quæ talem
pœnam contra adulterum ſtatuit, ſit pœnalis cenſenda.
Ad hanc autem pœnam ſuſtinendam obligatur in con-
ſcientia adulter abſque aliqua iudicis ſententia, quæ illum
de crimine damnet, Nam licet ad diuortium plenũ facien-
dum, & cohabitationem iuſtè ſeparandam requiratur iu-
dicis ſententia, ad hoc tamen vt retenta cohabitatione de-
bitum ſecreto negetur, nulla requiritur iudicis ſententia:
ſed ſatis eſt vt illi quouiſmodo conſtet de crimine alte-
rius

A rius,aut violentam (vt diximus) de illo habeat ſuſpitionem. Tunc enim adulter ante iudicis ſententiã quãuis poſſit abſque vllo peccato blandè & humiliter ab innocente coniugale debitum petere, & illo donante recipere: non tamen poteſt illo negante per vim & violentiam capere. Et ſi taliter acceperit, nullus vel mediocriter doctus illum mortaliter peccaſſe negabit: quia id quod iure ſibi non debebatur, arripuit. Et ob hanc cauſam dicit Petrus de Palude, quòd ſi eccleſia præciperet alicui qui certus eſt de adulterio vxoris ſuæ, quamuis illud probare non poteſt, vt reddat debitum vxori ſuæ non teneretur illi obedire. Quia tale præceptum procedit ex errore & ignorantia. Si enim iudex ſciret vxorem eſſe adulteram, non præciperet marito vt debitum vxori redderet. Nam ſic præcipiendo apertam illi facit iniuriam, quia ſic cõpellens illum infligit illi ſine culpa illius bigamiam quam eo ipſo incurrit, ſi illam poſt adulterium cognoſcit, vt dicitur in cap. Si cuius, & in cap. Si laici. xxxiiij. diſt. Deinde iuſta communem & veriorem opinionem is qui in foro contentioſo damnatus eſt

Petr. de Palude in 4. ſenten. diſtin. 27. q. 4. ar. 2.

B iniuſtè ſecundum veritatem, ſed iuſtè ſecundum allegata & probata, non tenetur in foro conſcientiæ (vt libro primo capite vj. diximus) obebire ſententiæ iudicis, niſi fortè ratione ſcandali quod totis viribus vitare tenetur. Cùm igitur maritus innocens poſsit vxorem adulteram ſine iudicis ſententia imò contra iudicis ſententiam à thoro repellere, apertè conuincitur inde legem aliquam euangelicam pœnalem obligare in conſcientia ad pœnam in illa ſtatutam. Quidam vir doctiſsimus theologus cum quo rem hanc amicè conferebam, qui conſtanter tueri nitebatur nullam legem pœnalem obligare ad pœnam in foro conſcientiæ ſuſtinendam vehementer admirabatur, quum ego illi hanc legem euangelicam contra adulteros datam obieci: & rimulã aliquam, qua elabi poſſet, quęrens reſpondit mihi negando adulterũ eſſe obligatum ad pœnam ante ſententiam. Quia (vt ille dicebat) quando innocens adulterum repellit à thoro propter adulterium commiſſum, tunc illum condemnat, & fert contra illum ſententiam, & poſt illam ſententiam contra illũ datam, adulter eſt priuatus iure petendi debitum, & non ante. Hanc autem reſponſionem falſam eſſe facillimè cõuincam:, & vt apertius id fiat,

oportet annotare, quòd non ſimul & in eodem tempore C contingunt hęc duo, videlicet petitio adulteri qua debitum ab innocente petit, & negatio innocentis quâ renuit debitum coniugale reddere. Nam (vt apertiſsimè conſtat) ipſa petitio præcedit tempore negationē. Quæro igitur in illo priori tempore quādo adulter petit antequam ſit illi quod petit denegatum, an tunc habeat ius ad petendum, an non. Si tunc habet ius ad petendum, ergo alius poſtea iniuſtè illi negat. Conſequentia vel ex eo eſt apertiſsima, quòd ius ad petendum & obligatio ad reddendum ſunt correlatiua quæ mutuo ſe conſequuntur. Sicut enim præcipere & obedire ſe mutuo conſequuntur, ita exigere & reddere. Nam ſi Petrus poteſt aliquid præcipere Ioanni, conſequens eſt vt Ioannes teneatur obedire Petro, alioqui Petrus non poſſet illi iure præcipere aliquid. Ad eundem modum ſe habent exigere & reddere: quia ſi adulter poteſt non ſolùm blandè & humiliter ab innocente petere, ſed etiam exigere: neceſſariò ſequitur, vt innocens teneatur reddere. Conſtat autem quod innocens non tenetur reddere, imò ſæpe (vt ſuprà diximus) tenetur non reddere, ergo adulter antequam ab innocente repellatur quamuis poſsit humiliter debitum coniugale ab eo petere, non tamen exigere, hoc eſt, iure & iuſtè tanquam ſibi debitum petere. Si tunc hoc non poteſt facere adulter, apertiſsimè inde conuincitur adulterum eſſe priuatum iure petendi debitum à coniuge innocente, antequam ab illo repellatur. Quam pœnam cùm non aliunde ſuſtineat, niſi quia eſt ſibi per legem euangelicam inflicta, ſequitur inde legem illam euangelicam contra adulteros latam eſſe pœnalem, & obligare adulterum in conſcientia ad pœnam in ea conſtitutam etiam ante omnem ſiue publicam ſiue priuatam, condemnationem. Et hinc vlterius infero, quòd ſi vxore ignorante mariti ſui adulterium, propter aliquam aliam leuem cauſam negaret marito adultero debitum coniugalę, & illę inuitam illam cogeret ad reddendum, vterque illorum peccaret mortaliter. Illa, quia agit contra conſcientiam, dum negat debitum illi, quem credit eſſe innocentem, ille verò quia petit & per vim capit quod iure capere non poteſt. Ex quo apertiſsimè conuincitur talem pœnam eſſe adultero inflictam abſque vlla vxoris D

condem-

A condemnatione,quia & ſi illa debitum marito negauerit, hanc tamen repulſam illa, non propter adulterium ſed propter aliam cauſam (vt ſuppoſuimus) dedit. Fortè hic aliquis dicet (prout quidam alius vir æquè doctus ac præcedens cum quo etiam rem hanc amicè contuli, mihi reſpondit) legem illã non eſſe in euangelio primitus latam, ſed eſſe ex ipſa naturæ lege & primæua matrimonij inſtitutione,& ex natura ipſius matrimonialis contractus. Sed hęc reſponſio toto (vt dicitur)errat cœlo,& multo longius à recto tramite diſcedit quàm præcedens. Nam & ſi illi gratis demus hoc prouenire ex lege naturæ,ex ipſa tamen reſponſione ſequitur aliquam eſſe naturæ legem pœnalem quæ obliget in foro (vt dici ſolet) conſcientiæ ad pœnam ſubeundam abſq; vlla ſententia quæ illum ad talem pœnam damnet. Nam quod hæc ſit lex,& quod in conſcientia obliget, apertius iam probatum eſt,quàm vt quis merito negare poſsit. Quamuis enim ita eſſet, vt ex natura ipſius contractus matrimonialis oriatur illa pœna, non obſtat vt ipſa natura contractus non dicatur lex,per quam ipſe contractus firmatur,& roboratur. Deinde falſum eſt B talem pœnam ex ipſa matrimonij oriri : quia hæc adulterorum pœna nunquam ante legem euangelicam innotuit, & niſi Chriſtus eam promulgaſſet, non erat nota in lumine naturali. Nullum enim in toto veteri teſtamento reperitur huius legis veſtigium. At ſi illa eſſet ex lege naturæ fuiſſet in aliquo veteris teſtamenti loco vtcunq; declarata quemadmodum multa alia non tam neceſſaria, vt hæc, ſunt ibidem expreſſa. In veteri teſtamento fuit lex contra mulierem adulteram vt lapidaretur, de viro autem qui adulterium commiſiſſet, nihil tale fuit lege decretum. Ideo in lege euangelica quæ multo iuſtior eſt veteri, lex contra adulteros data eſt, quæ vtrunque ſine diſcrimine complecteret coniugem, & ſimiliter delinquentes pari plecteret pœna. Ex quibus omnibus apertè conuincitur legem illam contra adulteros datam, eſſe à Chriſto primitus promulgatam, & obligare adulterum in foro conſcientiæ ad pœnam in illa ſtatutam, ante aliquam vlteriorem condemnationem.

Quòd humana poteſtas ſiue laica illa ſit ſiue eccleſiaſtica poteſt ſtatuere legem pœnalem obligantem ad pœnam in foro conſcientiæ ſubeundam etiam ſine vlla iudicis ſententia. C

CAPVT V.

HOc igitur tam firmiſsimo iacto fundamento ad reliquã noſtræ diſputationis ſtructurã, quã potiſsimũ intendo, perficiendã progrediens, dico Eccleſiam poſſe ſtatuere legẽ pœnalem obligantẽ cõſcientiã peccatoris ad pœnã ſine aliqua iudicis ſentẽtia ſubeundã. Voco autẽ Eccleſiam non ſolã fidelium congregationem, ſed etiã ipſius congregationis prælatum, quemadmodũ Saluator noſter vocauit illum Eccleſiam cum de peccatore ſemel & iterum admonito & non correcto, præcepit illum eſſe denunciandum Eccleſiæ. Tunc enim Eccleſiæ nomine prælatum illius intellexit, & non totam fidelium congregationẽ. Alioqui nunquam aut rariſsimè aut difficillime talis denũciatio fieri poſſet, quia tota fidelium vniuerſitas difficillimè poterat in vno loco congregari. Et certè non eſt vero ſimile Chriſtum Saluatorem noſtrum voluiſſe, vt pro quolibet peccatore bis admonito & non correcto ſemper tota ſimul congregaretur fidelium vniuerſitas. Et hinc patet quàm malè argumẽtantur, qui verba illa Saluatoris citant ad probandum Concilium eſſe ſupra Papam, volentes nomine Eccleſiæ loco illo Concilium vniuerſalem Eccleſiam repręſentans intelligi: cùm illic ſolus Eccleſiæ prælatus intelligatur, cui denunciandum eſſe præcipit Chriſtus crimen fratris bis admoniti & minimè correcti. Prælatus enim Eccleſiam cui præeſt repræſentat, quemadmodum caput totum corpus cui pręficitur. Siue igitur nomine Eccleſiæ totũ corpus ſiue ſolum illius caput intelligas, dico Eccleſiam poſſe ſtatuere legem pœnalẽ, quæ obliget peccatoris conſcientiam ad pœnã aliquam, abſq; vlla iudicis ſententia ſuſtinendã. Hæc concluſio apertè deducitur ex his quæ in proximè præcedenti capitulo probata ſunt. Eccleſia enim (vt libro primo capite v.

Mat. 18. (margin) · D (margin)

docui

A docuimus) per poteſtatem ad hoc ſibi à Deo traditam poteſt leges condere de quacunq; re, quæ non ſit contra ius naturale aut diuinum, præſertim ſi res illa iuuat ad meliorem mandatorum Dei obſeruationem, & poteſt homines ſibi ſubditos ad talium legum obſeruationem, ſi res de qua illæ decernunt ſunt graues, ſic obligare, vt illarum tranſgreſsio ſit illis mortalis. At hominem peccatorem obligari in conſcientia per legem ad pœnam ſine iudicis ſententia ſubeundam, non eſt contra ius naturale nec diuinum. Quia (vt præcedenti capitulo probauimus) aliquæ ſunt leges diuinæ quæ olim obligauerunt, & aliqua nunc obligat ad pœnam abſq; omni iudicis ſententia ſuſtinendam. Ex quo apertè conuincitur talem legem ſtatuere non eſſe contra ius naturale, quia & ſi Deus aliquando iuxta quorundam opinionem, in his quæ lege naturæ præcepta aut prohibita ſunt, diſpenſauerit, nunquam tamen legem ſtatuit quæ legi naturæ repugnaret. Tunc enim ipſa lex naturæ eo ipſo efficeretur iniuſta & à rectitudine deuians: quoniam (vt Auguſtinus in libro de libero arbitrio docet) *Auguſti.*
B lex naturalis ideo ſemper eſt recta, quia ſemper ſe diuinæ voluntati conformat. Cui ſententiæ ſeruiunt ea teſtimonia quæ lib. j. capite decimo citauimus ex Cypriano & Ariſtotele. Præterea, ſi eſſet contra ius naturale ſtatuere legem obligantem in foro conſcientiæ ad pœnam ſine vlteriori ſententia ſoluendam, hoc poſſet ex ſacris literis manifeſtè oſtendi: quoniam totum ius naturale in illis pleniſsimè continetur, & perfectiſsimè declaratur. At nullus eſt ſacræ ſcripturę locus qui doceat neminem poſſe obligari in conſcientia ad pœnam ſine alia iudicis ſententia ſoluendam: ergo non eſt contra ius naturale talem legem ſtatuere, quæ peccatorem in conſcientia obliget ad pœnam ſubeundam. Peccatorem etiam obligari in conſcientia ad pœnam ſuo crimini debitam ſine aliqua iudicis ſententia ſoluendam, multum prodeſt ad meliorē legum tam diuinarum quàm humanarum obſeruationem. Quia ſicut pœna à lege ſtatuta, & à iudice inferenda vtilis eſt (vt libro j. cap. iiij. apertè oſtendimus) ad publica crimina coërcenda, ita etiam talis obligatio ad pœnam in conſcientia ſoluendam vtilis eſt ad cohibēdos homines ne ſecretò crimina perpetrare audeant. Nam timore talis pœnæ ſoluendæ multi reuocabuntur à

talium criminum occultorum perpetratione, ſi ad talem C pœnam ſine aliqua iudicis ſentẽtia ſuas conſcientias obligatas eſſe intellexerint. Hoc enim quotidie experimur in his qui, vt ab aliquo crimine melius abſtinere poſsint, voueat ſe aliquod difficile & arduũ facturos, vt timore talis pœnæ ad quam, etiam ſi occultiſsimè crimẽ illud commiſerint, obligandos ſe fore intelligunt, reuocentur à crimine, ad quod ſe pronos eſſe agnoſcunt. Nec dubium eſt eodem modo pleróſq; homines timore pœnæ per legem impoſitæ fore cohibendos à criminum occultorum perpetratione, ſi intelligerent ſe in conſcientia eſſe obligatos ad talem pœnam abſque aliqua iudicis ſententia quæ illum declaret in tale crimen incidiſſe. Cùm igitur tanta ex huiuſmodi lege ad pœnam in foro conſcientiæ obligante prouenire poſsit vtilitas, conuincitur inde apertiſsimè Eccleſiam poſſe conſcientiam peccatoris obligare ad pœnam ſine aliqua iudicis ſententia ſoluendam. Nec ſolùm hoc facere poteſt, ſed aliquando id facere oporteret, vt puta in aliquibus grauibus delictis quæ plus poſſunt nocere reipublicæ in occulto quàm in publico commiſſa.

Secundò, præfatam noſtram principalem concluſionem D ſic probo. Si nulla eſſet lex ſcripta quæ hominem alicuius certi criminis reum aliqua certa pœna decerneret eſſe puniendum, poſſet iudex ſecundum iuris naturalis regulas huiuſmodi hominem ad aliquam pœnam damnare. Et vt rem apertius explicemus, aliqua oportet proponere exempla. Si nulla eſſet lex quæ reum criminis læſæ maieſtatis priuaret omnibus bonis ſuis ſicut nunc priuatur per l. Quiſquis cum militibus, C. ad legem Iuliam maieſtatis, poſſet nihilominus Imperator aut qui illius gereret vices, eum qui regalem læſiſſet maieſtatem priuare omnibus ſuis bonis, & præcipere illi vt illa fiſco redderet. Qua re peracta, homo ille teneretur in conſcientia ad reddendum bona ſua fiſco. Ad eundem modum ſi lex illa prima quæ habetur in Codice Iuſtiniano, titulo ad legem Iuliam repetundarum, nunquam fuiſſet lata, poſſet nihilominus rex, aut qui illius tenet locum, præſidem prouinciæ qui aliquid in illa rapuiſſet ad pœnam quadrupli condemnare. Qua data condemnatione certiſsimũ & indubitatũ eſt (vt capite iij. huius ſecũdi libri probauimus) præſidem ſic damnatum

A tum obligari in conſcientia ad talem pœnam ſoluendam. Si iudex poteſt obligare conſcientiā peccatoris ad pœnam ſoluendam,ergo etiā lex poterit eodē modo obligare. Alioqui oportebit fateri legē ſcriptā,minoris eſſe poteſtatis ad obligandum conſcientias ſubditorū quàm lex viua quę eſt ipſe legislator. Hoc autē quàm abſonū ſit & à veritate deuians vel mediocriter doctus intelliget. Nam ſicut potuit legislator verbo aliquid pręcipere,ita etiā ſcripto. Mentem ſiquidem noſtrā ſcripturis perinde ac verbis manifeſtamus. Et propter hanc cauſam ſcriptura illa per quam defunctus diſponit quid poſt mortē ſuam de bonis ſuis agi velit, Latinè dicitur teſtamentū, quia eſt quoddā mentis ipſius defuncti teſtimoniū. Dicitur etiam vltima defuncti voluntas: non quidē quod ipſa ſcriptura ſit vera defuncti volūtas, ſed quia exprimit & manifeſtat defuncti voluntatē. Sicut defunctus obligat hæredē verbo quod ſufficienti numero teſtium cōprobatur,ita etiā obligat eundē hæredem per ſcripturam iuſtè & legitimè confectā. Ad eundē prorſus modum dicendum eſt de lege ſcripta quæ non eſt aliud quàm quoddam teſtimoniū voluntatis ipſius legislatoris. Quia B enim legislator non poteſt omni loco adeſſe, & omnibus verbo præcipere, vtitur ſcriptura per quā omnibus ſibi ſubditis oſtendat ſuā voluntatem. Et huic ſententiæ atteſtatur Tullius, qui lib.ij.de legibus ſic ait. Verè dici poteſt, magiſtratum legē eſſe loquentem, legem autē mutum magiſtratum. Hæc ille. At quum voluntas legislatoris ſit quæ ſubditos obliget, & voluntas eius æque per ſcripturā manifeſtetur ac per vocē,conuincitur inde legem ſcriptam ita obligare ſubditorū conſciētias ad aliquid agendū vel prætermittendū,ſicut obligaret viua ipſius legislatoris vox. Ex quo apertiſsimè colligitur eum qui à iure eſt damnatus ad aliquam certā pœnam ſoluendam,teneri in conſcientia ad illam reddendā, ſicut teneretur ſi à iudice condemnaretur ad illam. Quia non minoris poteſtatis eſt circa obligationem lex quàm iudex. Fortè aliquis huius argumentationis vires agnoſcens, volénſq; ſuam opinionē pertinaciter tueri, dicet hominē à iudice damnatum ad pœnam non teneri in conſcientia ad reddendū illam,ſed ſatis illi eſſet vt patienter toleret ſi capiatur ab eo id, quod damnatus eſt, & non reſiſtat capienti. Sed hæc reſponſio quā longè diſtet à veri-

Cicero.

tate iam ſuprà oſtendi capite tertio huius libri ſecundi. C

Tertiò, eandem principalem concluſionem ſic probo. Eccleſia obligat fideles ad ieiunium aliquot anni diebus (vt omnes tam canoniſtę quam theologi fatentur) ſub pœna culpæ mortalis ſuſtinendum. At cùm conſtet ieiunij legem eſſe pœnalem inde apertè cõuincitur Eccleſiam poſſe facere legem pœnalem obligantem ad pœnam in foro conſcientiæ ſuſtinendam. Fortè aliquis negabit ieiunij legem eſſe pœnalem: quia licet ieiunium in ſe ſit pœnale, non tamen eſt pœna, prout nunc loquimur de pœna. Pœna enim de qua nunc loquimur (vt libro primo capite tertio diximus) quoddammodo reſpicit culpam: quia non niſi propter culpam imponitur. At ieiunium ab Eccleſia ſtatutum nõ ſolùm iniungitur propter peccata iam perpetrata: quoniam ſi ſic eſſet is qui eſſet liber à culpa, ad talia ieiunia non obligaretur. Hoc autem falſum eſt & hæreticum, & velut tale damnatum in Concilio Vienenſi, cuius definitio habetur in Clementina. Ad noſtrum, de hæreticis. Eſt ergo ieiunium ab Eccleſia inſtitutum ad reprimenda peccata præſertim illa quæ ex nimio cibo & potu oriri ſolent. D Qui corporali ieiunio (inquit Gregorius in præfatione miſſæ quadrageſimalis) vitia comprimis. Hoc igitur aliqui conſiderantes, fortè dicent ieiunium non eſſe pœnam, & legem de ieiunio non eſſe pœnalem. Sed hoc parum obſtat: quia ſicut Eccleſia ſtatuit ieiunium ad comprimenda peccata, ita etiam poteſt iniungere ieiunium ad ſatisfa-

Ionæ 3. ciendum Deo pro peccatis, ſicut regem Niniuitarum olim feciſſe ſcimus. Hic enim (vt ſacra teſtatur hiſtoria) vt iram Dei, quam pro ſuis peccatis exaſperatam eſſe agnoſcebat, mitigaret, ieiunium omnibus ſine vllo diſcrimine indixit. Ex qua re noſtri Theologi colligunt Eccleſiam propter aliquam ſimilem communem cauſam poſſe obligare etiam paruulos ad ieiunium. Si ob ſimilem cauſam Eccleſia ieiunium indiceret, nullus negaret ieiunium illud eſſe pœnam, & legem illud præcipientem eſſe pœnalem, quia propter peccata iam commiſſa tale præciperet ieiunium. Qua lege data cùm omnes ad illam obligarentur, conſtaret tunc Eccleſiam per legem ab ea datam obligare ad pœnam in foro conſcientiæ ſuſtinendam. Poſſet etiam Eccleſia ſtatuere legem qua ſub terminatione gehennæ

præcip

A præciperet, vt qui tale aut tale crimen commiſiſſet, teneretur ieiunare vno aut altero die: ſicut ſacerdos iuxta quorundam opinionem poteſt obligare pœnitentem ad ieiunium pro peccato ſuſtinendũ. Nam huiuſmodi tales leges fuerunt olim ab Eccleſia latæ, quãuis non conſtat eas fuiſſe datas hac intentione, vt illarũ tranſgreſſores eſſent culpæ mortali obnoxij. In capitulo. Accepiſti. de ſponſa duorum, præcipitur, vt qui contrahit cũ aliqua quæ eſt alteri deſponſata per verba de præſenti, ipſa dimiſſa quadraginta dies ieiunet in pane & aqua. In capitulo. Quicunq;.vj. quæſt.j. præcipitur, vt qui periurus fuerit quadraginta diebus in pane & aqua ieiunet. In capitulo. Vt menſuræ, de emptione & venditione, præcipitur, vt qui menſurat in falſa menſura, ieiunet triginta diebus in pane & aqua. In his omnibus eccleſia præcepit ieiunia in pœnam præteritorum peccatorum, & inde conſtat tales leges eſſe pœnales. Et potuiſſet obligare illos ad talem ieiunij pœnam in foro conſcientiæ, ſicut modo obligat ad ieiunium quod imponitur ad futura peccata vitanda.

Præterea, quarto eandem principalem concluſionem B hoc argumento probo. Homo poteſt ſe ipſum obligare ad pœnam in foro conſcientiæ ſine aliqua iudicis ſententia ſoluendam, ergo Eccleſia poteſt etiam eodem modo hominem fidelem obligare ad illam. Collectio hæc vel ex eo conſtat eſſe bona, quòd circa pœnas inferendas plus poteſt ſuperior erga inferiorem, quàm inferior erga ſe ipſum. Non enim tantum valet quiſque ſe ipſum propter ſua peccata punire, quantum illum ſuperior punire poſſet. Aſſumptum huius argumentationis probatur: quia ſi quis vouiſſet ieiunare quolibet die ſabbati ſub hac pœna vt quocunque die violaſſet hoc ieiunium, teneretur pecuniam aliquam pauperi elargiri, is certè poſt violatum ieiunium teneretur in foro conſcientiæ illam pecuniæ quantitatem ad quam ſe obligauit, reddere.

Fortè hìc aliquis reſpondebit hoc exẽplum de voto ieiunij nunc adductum nullam habere cum aliis ſimilitudinem aut conuenientiam, propterea quòd hic taliter vouens obligauit ſe Deo, & ideo non requiritur ſententia iudicis, vt pœnam, ad quam ſe Deo obligauit, ſuſtinere cogatur. Sed hæc reſponſio non tollit argumenti difficultatem,

quia

quia ad omnia præcepta diuina ſeruanda nõ obligatur homo homini, ſed Deo:& ita iuxta hanc reſponſionem oporteret eadem ratione fateri, vt Eccleſia poſsit obligare in foro conſcientiæ ſaltem ad eas pœnas quas impoſuit pro trangreſsione diuinorum præceptorum. Ad leges etiã humanas ſeruandas non obligatur homo homini illarũ conditori niſi quia prius obligatus eſt Deo præcipienti vt obediamus præpoſitis noſtris. Nam ſi Deus nõ præcepiſſet nobis vt ſuperioribus noſtris obediremus, illorum leges & præcepta nequaquam nos ad peccatum obligarent. Quo fit vt data aliqua lege humana iuſta ſubditus ſit obligatus non ſolùm homini ſed Deo, ad illius obſeruationem: quia Sal-
Lucæ 10. uator noſter de præpoſitis Eccleſiæ loquens dixit. Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Ex quo ſequitur vt Eccleſia poſsit ſuos ſubditos obligare in foro conſcientiæ etiam ad eas pœnas quas imponit pro tranſgreſſione ſuorum præceptorũ, quæ aliqua ex parte diuina præcepta dici poſſunt. Nã ſi homo poteſt ſe obligare eleemoſynæ elargiendæ, ſi violauerit ieiunium quod ipſe vouit, multo melius poterit Eccleſia obligare in foro conſcientiæ ſubditum ſuum ad ſimilem pœnam ſi ille violauerit ieiunium quod illa præcepit. Quia (vt dixi) plus poteſt illa in pœnis inferendis erga ſubditos ſuos, quàm ſinguli eorum circa ſeipſos.

Rurſum, quinto argumento & mea quidem ſententia fortiſsimo probo eandem principalem concluſionem per multitudinem exemplorum in quibus apertiſsimè conſtat eſſe obligationem in foro conſcientiæ ad pœnam ſubeundam. Et primo loco profero omnia illa iuris canonici decreta, quæ committentibus tale aut tale crimen imponunt ipſo iure aut excommunicationem, aut ſuſpenſionem, aut irregularitatem. In his omnibus (vt omnes fatentur) quicunque aliquod tale crimen commiſit, eo ipſo ſine vlteriore aliqua iudicis ſententia, incidit in eam cenſuram quæ per tale decretum fuerat expreſſa. Ex quibus decretis apertiſsimè conſtat Eccleſiam obligare reum ad pœnam ante omnem condemnationem ſuſtinendam. Verùm hic anno-
Innocent. tare oportet iuxta ſententiam Innocentij & Hoſtienſis in
Hoſtiẽſis. capit. Extirpandæ, de præbendis, quod vbi huiuſmodi pœnæ imponuntur ex facto negatiuo (ſic enim illi loquuntur)

A tur) non incurritur pœna niſi præcedat monitio. Vocant autem illi factum negatiuum omiſsionem actus. Si lex aut canon, gratia exempli, ſic diſponeret. Si quis non ſoluerit decimas, ſit excommunicatus, iuxta iſtorũ opinionem non incurrit excommunicationem decimas non ſoluens, niſi prius fuerit à iudice admonitus. Hanc tamen illuſtrium virorum ſententiam reprehendit Dominicus de ſancto Geminiano in cap. Licet canon. §. Is etiam, de electione libro ſexto, & citat Archidiaconum in eodem cap. dicẽtem quod ille textus fuit verbis tam expreſsis conditus ad reprobandam Innocẽtij opinionem & Hoſtienſis. Quoniam in illo textu imponitur pœna propter omiſsionem alicuius actus, quam is qui talem actum omittit, ſine aliqua monitione incurrit, quod Innocentius & Hoſtienſis negarunt. Verùm Ioannes Andręas mitius & benignius hos illuſtres viros tractans in eodem capit. Licet canon, dicit ſe non putare talem Innocentij opinionem eſſe per illud capitulum reprobatam, ſed illam intelligendam eſſe aſſerit quando non præfigitur terminus facto negatiuo aut omiſsioni actus: quia tunc dicit neceſſariam eſſe monitionem vt pœna in-
B curratur. Vbi autem terminus à iure præfixus eſt, tunc dicit reum incidere ipſo iure in pœnam, quia tempus à iure ſtatutum (vt ille ait) interpellat pro homine. Talis eſt pœna quæ imponitur in prædicto cap. Licet canon, quia illic (vt ex litera conſtat) terminus omiſsioni actus aut facto negatiuo (vt illi loquuntur) præfixus eſt, Innocentius autem & Hoſtienſis tunc ſolum cenſent neceſſariam eſſe monitionem antequam pœna incurratur, quando pœna imponitur pro facto negatiuo ſine vlla temporis determinatione. Vt, gratia exempli, ſi ſtatutum ſic dicat. Quicunque canonicus non reſiderit in Eccleſia ſua, ſit excommunicatus, non incurrit excommunicationem non reſidens (vt Ioannes Andræas cenſet) donec à iudice moneatur, & parere negligat. Siue autem monitio in aliquibus caſibus requiratur, ſiue non, hoc tamen eſt ab omnibus haud dubiè confeſſum, non eſſe neceſſariam iudicis ſentẽtiam, vt quis incurrat excommunicationem, aut ſuſpenſionem, aut irregularitatem quæ eſt à iure impoſita. Caietanus in ſua ſumma in titulo. Pœna, & alij qui docent ſemper eſſe neceſſariam iudicis ſententiã antequam aliquis incidat in pœnam à iure

Dominicus. *Archidiaconus.* *Ioannes Andræus* *Caietanus.*

à iure latam, dicunt hoc non eſſe verum in cenſuris. Quia C in illis hoc ſemper verum eſt, quòd is qui legem tranſgreditur, ſine vlteriori iudicis ſententia incidit in pœnam à iure impoſitam. Sed quare in aliis pœnis requiratur iudicis ſententia, in cenſuris autem non, cauſam reddit idem Caietanus in commentariis quæ fecit ſuper ſecunda ſecundæ, ſancti Thomæ, quæſt. lxij. artic.iij.his verbis dicens. Pœna ſtatuta in lege eſt duplex. Quædam ad cuius executionem requiritur aliqua actio. Quædam autem,cuius executio nullam actionem requirit. Verbi gratia,pœnæ mortis, mutilationis, verberis, carceris, exilij, ſolutionis,confiſcationis ſeu priuationis bonorum,& huiuſmodi nō poſſunt executioni mandari per ſolam legem,niſi interueniat actio aliqua, puta occidere,mutilare,verberare, includere, ire, ſoluere, accipere, vel dare, & ſi qua eſt alia eiuſmodi actio. Pœnæ autem excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti,& irregularitatis, & ſi qua eſt alia ſimilis, nullam actionem in ſui executione exigunt.Sed non communicare cum fidelibus,non immiſcere ſe prohibitis,non exercere actum ordinis, quæ in ſola negatione ſeu priuatione conſiſtunt,ſufficiunt ad earum executionem. Et aliquibus D interpoſitis ſubdit. Punire, id eſt,punitionem ſtatuere, eſt actus legis,& punire executiuè conuenit etiam legi, quando pœna non exigit actionem in executione. Et certè hæc differentia apertè ex his, quæ ſuprà diximus, conuincitur nullius eſſe momenti. Nam vt quis fame moriatur, nulla eſt neceſſaria actio,ſed ſatis eſt,vt quis nolit ſumere cibum. Conſtat autem, quòd nullus poteſt à lege ſicut nec à iudice condemnari,vt cibum non ſumat. Falſum eſt igitur, quòd punire executiuè (vt Caietanus ait) conuenit etiam legi, quando pœna non exigit actionem in executione. Præterea,ad non exeundum à carcere nulla requiritur actio, ſed ſufficit ſola quies, quæ non eſt niſi priuatio motus: nullus tamen damnandus à iudice ad mortẽ,poſſet à lege damnari,vt maneret in carcere.Non eſt ergo hæc integra & conſummata ratio,propter quam excommunicatio,aut ſuſpenſio,aut irregularitas,incurritur ipſo iure ſine aliqua iudicis ſententia,quia videlicet ad iſtorum executionem nulla requiritur actio. Nec videtur mihi neceſſarium, imò nec vtile,vt pro reprobatione huius ſententiæ Caietani, plura afferam

A aſſeram argumenta. Nam ſatis, quod ad rem attinet, me facturum exiſtimo, ſi alias plurimas prodiderim leges, quæ ad pœnas alias à cenſuris ante omnem iudicis ſententiam ſuſtinendas obligent reos in conſcientia. In cap. Tranſmiſſæ, de eo, qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ, imponitur pœna inceſtuoſo, vt contrahere matrimonium non poſsit, niſi cum illo diſpenſetur, & ſi cùm tale crimen commiſit, fuerat matrimonio alligatus, imponitur illi pœna, vt exigere debitum ab vxore non poſsit, niſi fuerit cum eo diſpenſatum. Certum eſt has duas pœnas obligare in conſcientia inceſtuoſos, ita vt poſt inceſtum ſine diſpenſatione contrahens, aut debitum ab vxore exigens, mortaliter peccet, etiam ſi nulla poſt inceſtum ſequatur iudicis ſententia, quæ illum ad talem pœnam damnet, aut declaret illum in talem pœnam mortalem incidiſſe. Alioqui inceſtuoſus occultus non peccaret ſine diſpenſatione contrahens, aut debitum ab vxore petens. Sed hoc corollarium videtur concedere Abbas, qui in capit. Literis, de præſumptionibus, videtur innuere eſſe neceſſarium, vt quomodocunque conſtet de crimine ad hoc, quòd inceſtuoſus in ta- *Abbas.*
B lem incidat pœnam. Hoc tamen non apertè dicit, ſed verbis ſubobſcuris, quorum intelligentia non facilè patet: quia non dicit eſſe neceſſariam iudicis ſententiam, ſed ſolùm dicit eſſe neceſſarium, vt qualitercunque de crimine conſtet. Siue autem hoc, ſiue illud dicat eſſe neceſſarium, dictum illius non videtur mihi verum. Quoniam iuxta illud, ſententia illius cap. Tranſmiſſæ, nunquam aut rariſsimè ſuum ſortiretur effectum, quia peccatum illud talis eſt conditionis, vt rarò contingat eſſe notorium. Sed quia fortè aliquis rem non bene conſiderans, ſola Abbatis authoritate motus, contendet tueri, etiam in crimine inceſtus neceſſariam eſſe iudicis ſententiam, vt inceſtuoſus incidat in pœnam à iure illi inflictam, alias profero leges, quæ ſine vlla prorſus dubitatione obligãt in conſciẽtia illius tranſgreſſorem ad pœnam abſque aliqua iudicis ſententia ſubeundam. Lex tam canonica, quàm ciuilis, decernit præſcriptionem eſſe licitam & iuſtam, ſi adſint omnia illa, quæ ad iuſtam præſcriptionẽ ſunt neceſſaria, videlicet poſſeſsio rei præſcribendæ, bona fides præſcribentis, iuſtus titulus, & quòd res ſit talis vt poſsit præſcribi. Primò quidem eſt neceſſaria

ceſſaria poſſeſsio: quia (vt dicitur de regulis iuris libro G
ſexto) ſine poſſeſsione præſcriptio non procedit. Hanc autem poſſeſsionem oportet eſſe continuam abſque vlla interruptione, quouſque legitimum præſcriptionis tempus finiatur, alioqui præſcriptio non valebit, prout definitum eſt in cap. Illud, de præſcriptionibus. Poſſeſſorem verò hoc loco intelligere oportet illum ſolum, qui rem ſuo nomine poſsidet, non autem qui alieno nomine poſsidet. Quo fit, vt is, qui rem precario poſsidet, nunquam poſsit præſcribere, nec colonus, nec vſufructuarius, nec creditor, cui pignus commiſſum eſt, nec agri locator. Quoniam nullus iſtorum nomine ſuo, ſed alieno rem poſsidet. Secundò exigitur bona fides in poſsidente: quia (vt regula iuris ait) poſſeſſor malæ fidei, vllo tempore non præſcribit. Quæ autem cenſenda ſit bona fides, & an dubia conſcientia de alieno poſſit conuenire cum bona fide, res eſt longioris diſputationis, & quæ impræſentiarum, vbi hæc obiter tractamus, minimè diſcuti poſsit: inferius tamen in alio huius libri capitulo aliquid de illa dicere cogemur. Tertium neceſſariò requiſitum ad iuſtam præſcriptionem eſt iuſtus titulus, vt dicitur in capit. Si diligenti, de præſcriptionibus. Iuſtum D
autem titulum dico omnem illum, per quem iuſtè acquiritur dominium, vt eſt donatio, emptio, tranſactio, hæredis inſtitutio. Quo loco annotat gloſſa non oportere titulum eſſe verum, vt iuſtus dicatur, ſed ſatis eſt illum eſſe præſumptum verum, licet ſit falſus: quoniam ſi titulus eſſet verus, non eſſet opus præſcriptione ad conſequendum dominium: quia ſine tali præſcriptione haberetur. Vltimò requiſitum ad præſcriptionem eſt, vt res ipſa ſit præſcriptibilis. Nam ſunt multæ res, quæ ex iuris decreto præſcribi non poſſunt. Tributa, quæ principi debentur in recognitionem dominij præſcribi non poſſunt. l. Comperit. C. de præſcriptionibus. Obedientia ſuperioribus debita non poteſt à ſubditis præſcribi: quia iure diuino præcipitur ſubditum obedire prælato. capit. Cùm non liceat, de præſcriptionibus. Liber homo præſcribi non poteſt, nec res ſacra, nec religioſa, nec ſeruus fugitiuus, inſtituta de vſucapio. §. ſed aliquando. Sunt aliæ res, quæ præſcribi non poſſunt, præſertim ab aliquibus certis perſonis, propterea quòd tales perſonæ res illas poſsidere nõ poſſunt, vt laici, qui decimas
aut

A aut alias res eccleſiaſticas iure poſsidere non poſſunt,& inde ſequitur, vt illas præſcribere non valeant: quia (vt diximus) ſine poſſeſsione præſcriptio non procedit. Hæc igitur præſcriptionis lex ſic vt præfertur declarata, quamuis circa illius intelligētiam varient doctores, iuſta tamen ab omnibus cenſetur. Quia per illam pax reipublicæ conſeruatur, & finis multis imponitur litibus, ſæpe eſſet neceſſarium abire in infinitum. Nam aliâs quamlibet longiſsimo tempore elapſo, poſſet qui rem neglexit, aut hæres illius rem illam repetere ab alio, qui eam per longiſsimum tempus occupauerat, & ſic tales quotidie emergerent lites, vt impoſsibile eſſet certam in illis definitionem dare propter ignorantiam eorum, quæ ante longiſsimum tempus præteritum cōtigerunt. Ex talibus autē perpetuis litibus ſuſcitarentur & fouerentur iurgia & odia inter litigantes, quæ vehemēter pacē reipublicæ turbare poſſent. Hanc autem præſcriptionis legem eſſe pœnalem vel ex eo apertiſsimè conſtat, quòd per illam is, cōtra quem fit præſcriptio, punitur priuatione rei aliâs ſuæ, propter negligentiā, quā habuit in repetendo, aut procurādo rem ſuam.

B Tanti enim æſtimat ius negligentiam illam tam prolixam, & tam obſtinatam, vt iudicet illum ſic negligentem tali pœna eſſe meritò puniendum, vt eo ipſo ſit prorſus illius dominio priuatus. Ideo Panormitanus in principio tituli de præſcriptionibus, volens præſcriptionem definire, ſic ait. Præſcriptio eſt ius quoddam ex tempore congruens, authoritate legum vim capiens, pœnam negligentibus inferens, & finem litibus imponens. Hæc Panormitanus. In quibus verbis id potiſsimè annotandum eſt, quod ait, pœnam negligentibus inferens. Nam per illud verbum apertiſsimè declarauit, præſcriptionis legem eſſe pœnalem. Ob ſimilem cauſam in Flandria, & Brabantia, quæ pars eſt inferioris Germaniæ, rem furto ſublatam, ſi illam iudex apud furem inueniat, lex iubet non reſtitui domino, à quo fuerat ſublata, ſed manere penes iudicem, qui furem apprehendit. Nam vt quiſque res ſuas diligenter cuſtodiat, dicunt eum, à quo res eſt furto ſublata, meritò puniri priuatione illius rei propter negligentiam, quam habuit in illius cuſtodia. An autem hæc furti lex iuſta cenſenda ſit, nolo impræſentia- *Panorm.*

rum diſputare,ne longè à ſcopo diſcedam, & ſic nouarum diſputationum occaſiones quærere videar. Hæc igitur lex de prçſcriptione facienda,quam pœnalem eſſe apertiſsimè oſtendimus, obligat in conſcientia eum, contra quem fit præſcriptio ad talem pœnam ſine aliqua iudicis ſententia ſuſtinendam. Nam vt is,qui rem prçſcripſit,iuſtè rem præſcriptam poſsideat, & ille contra quem eſt facta præſcriptio,priuetur eiuſdem rei dominio,non eſt opus vt ſententia aliqua iudicis ſuffragetur,quç declaret legitimè factam eſſe præſcriptionem, ſed ipſo iure poſt legitimum præſcriptionis tempus elapſum, & alter dominio rei, quod ante præſcriptionem habebat, priuatur, & alter eiuſdem rei dominium acquirit. Ipſa enim lex & vnum priuat dominio rei olim ſuæ, & alteri eiuſdem rei dominium concedit, & ideo non eſt opus aliqua iudicis ſententia, vt plenè alterum horum fiat. Quo fit, vt is,contra quem eſt facta præſcriptio, poſt elapſum legitimum præſcriptionis tempus,non poſsit rem olim ſuam à præſcribente rapere: neq; pro illa recompenſationem ſumere, quemadmodum doctores dicunt rem meam ab alio detentam, ſi per iudicem conſequi non poſſum, propria authoritate me poſſe illam recuperare: vt notat gloſſa in cap. Ius gentium, diſtinctione prima, & Petrus de Palude in iiij.ſententiarum, diſtinctione xxxv. quæſtione j. artic. iiij. Hoc autem non poteſt facere is,contra quem eſt facta præſcriptio: quia ſi poſt talem præſcriptionem factam, rem olim ſuam raperet, aut pro illa compenſationem ſecretò caperet,peccaret mortaliter peccato quidem furti, quia rem, quæ iam non eſt ſua ſed aliena,inuito domino accepit. Hoc autem non eueniret, niſi quia illa lex de præſcriptione obligauit illum in conſcientia ad pœnã ſine aliqua iudicis ſententia ſuſtinendam. Et hanc argumentationem confirmo teſtimonio illuſtrium virorum in iure canonico peritiſsimorum, qui concorditer ſentiunt leges & iura, quæ loquuntur de præſcriptione cum bona fide, obligare in foro conſcientiæ. Innocentius in cap. Cura, de iure patronatus. Abbas in capit. Vigilanti, de præſcription. Petrus de Ancharano in regula, Poſſeſſor, de regul. iur. lib. vj. Philippus Decius in cap. Canonum, de conſtitutionibus, numero 18.

Innocentius. Abbas. Petrus de Ancharano.

Deinde ſexto argumẽto eandem principalẽ cõcluſionem probo

A probo per cap. Quicunq;.§. Hæretici, de hæreticis lib. vj. vbi papa præcipit, vt hæretici, aut credentes, aut receptores, aut defenſores hæreticorum ad nullũ beneficium eccleſiaſticum, aut publicum officium admittantur. Quod ſi ſecus actum fuerit, irritum ſit & inane. Hæc lex aut conſtitutio abſque vlla dubitatione eſt manifeſtè pœnalis: quia per illam punitur hæreticus pœna inhabilitatis aut indignitatis ad beneficia eccleſiaſtica aut officia publica ſuſcipiendum. Quòd autẽ illa obliget in conſcientia abſq; aliqua alia iudicis ſententia, ex ipſius conſtitutionis verbis conſtat, quibus dicitur. Quod ſi ſecus actum fuerit, irritum ſit & inane. Et (vt rem apertiorem faciamus) ponamus datum eſſe aliquod eccleſiaſticum beneficium, aut publicũ officium alicui hæretico, qui tamen nondum fuerat de ſuo crimine damnatus. Hoc igitur ſuppoſito, quęro an talis collatio beneficij, aut publici officij valeat, an nõ. Si illam valuiſſe quis dixerit, eo ipſo fateri illum oportet, conſtitutionem illam, quæ habetur in illo prædicto §. Hæretici, nullius eſſe vigoris. Quia in illa (vt diximus) præcipitur, talem collationem eſſe irritam & inanem. Si verò (vt oportet) dixe-
B rit talem collationẽ non valuiſſe, cùm non ob aliã cauſam illa nõ valuerit, niſi quia ille, poſtquã factus eſt hęreticus, eo ipſo fuit inhabilis aut indignus ad beneficia aut officia publica ſuſcipiẽda, cõuincitur inde apertiſsimè, talem legem obligare in conſcientia ad pœnã in illa ſtatutam, etiam ante omnẽ aliam iudicis ſententiam. Quia ſecluſa omni tali ſentẽtia, dummodo ille verè hæreticus ſit, textus dicit irritam eſſe & inanem omnem collationẽ beneficij aut publici officij hæretico factã. Et inde apertiſsimè ſequitur, hæreticum ante omnem iudicis ſententiam incidere in pœnam inhabilitatis & indignitatis ad beneficia ſuſcipienda.

Præterea, ſeptimo argumento eandem concluſionem principalem probo per illud idem cap. Quicunque. §. Illorum, de hæreticis libro vj. Nam lex aut canon, qui in illo paragrapho ponitur, eſt pœnalis: & (vt ex verbis illius apertiſsime cõſtat) obligat in conſcientia ad pœnam in illo ſtatutam, etiam ſine vlla alia iudicis ſententia. In illo enim textu papa decernit emancipationem filij factam à patre hæretico irritam eſſe & inanẽ, & nullius prorſus valoris, etiam ſi poſt talem emancipationem declare-

tur patrem fuiſſe hæreticum: quia ante talem emancipationem (vt dicit textus) iam filius erat ſui iuris. Filius autem non fuiſſet ſui iuris ante talem emancipationem à patre hæretico factam, niſi, quia pater eo ipſo quòd hæreticus fuit, amiſit patriam poteſtatem, qua amiſſa, filius factus eſt ſui iuris. Et inde luce clarius conuincitur, legem illam obligare hæreticum ad pœnam in illa ſtatutam abſq; vlla alia iudicis ſententia. Et certè niſi nimium contentioſus quis eſſe velit, & pertinaciſsimè ſuam tueri ſententiam, ex ſolo textu illius capituli perſuadebitur, & conuincetur aliquam eſſe legem pœnalem, quæ obliget ad pœnam in foro conſcientiæ ſuſtinendam, etiam ſine vlteriori aliqua iudicis ſententia. Nec video, etiam ſi rem diligentiſsimè ſim perſcrutatus, quo pacto ab huius argumentationis vinculis quis elabi poſsit, quin ſtatim eiſdem ipſis vinculis conſtringatur. C

Octauo loco ad eiuſdem principalis concluſionis probationem arguo per textum capituli, Quæſitum, de cohabitatione clericorum & mulierum. Nam conſtitutio in illo capitulo poſita (vt ex verbis illius apertè conſtat) eſt pœnalis, & quæ ante omnem iudicis ſentētiam adeò obligat ſacertem fornicarium, vt quocunque ſe vertat, niſi à crimine abſtineat, non poſsit effugere pœnam. Nam illo capitulo papa Gregorius nonus præcipit, vt clericus in ſacris ordinibus cōſtitutus exiſtens fornicator notorius vitetur ab aliis in officiis eccleſiaſticis, & hoc in pœnam criminis: vt hac pœna vrgente, dum ſe ab aliis vitari conſpicit, à crimine abſtineat. Fornicatorem autem eſſe notorium, triplici modo poſſe contingere declarat, videlicet aut per ſententiam, aut per confeſsionem in iudicio factam, aut per rei euidentiam, quæ nulla poſsit tergiuerſatione celari. Secludamus duos priores modos notoriæ fornicationis, & ponamus ſacerdotem aliquem in crimine fornicationis notorio tertio modo ſolùm, hoc eſt, per rei euidentiam ſine ſententia contra illum data, & ſine confeſsione de ſuo crimine per eum in iudicio facta. Hic talis eo ipſo, quòd crimen illius eſt notorium, etiam ante omnem aliam iudicis ſententiam incidit in pœnam illius capituli, Quæſitum. Quia quocunq; modo notoria ſit fornicatio illius, ſine vlteriori ſentētia eſt in officiis eccleſiaſtic D

ſiaſtic

A ſiaſticis vitandus Eſt autem fornicationis crimen (vt ex textu illo conſtat) æquè notorium per rei euidentiam ſine vlla ſententia, ac eſſet per ſententiam ſine rei euidentia: ergo cùm fornicationis crimen per rei euidentiam abſque alia ſententia conſtiterit, erit ſacerdos tali crimine infectus abſque vlla alia ſententia vitandus. Ex quo vlterius ſequitur, conſtitutionem illius capituli, Quæſitum, quam cōſtat eſſe pœnalem, obligare ſacerdotem fornicarium ad pœnam in illa contentam abſque aliqua alia hominis ſententia. Fortè aliquis reſpondebit, illam papæ conſtitutionem nō dirigi ad ſacerdotem fornicarium, ſed ad alios: quia non præcipit ſacerdoti fornicario, vt ipſe euitet alios, ſed potius è contrario aliis præcipit, vt euitent illum. Ex quo fortè quis colligere contendet, conſtitutionem illam non eſſe pœnalem ſacerdoti. Sed hanc reſponſionem nullius prorſus eſſe roboris facillimè conuincam. Quia licet aliis conſtitutio illa præcipiat, vt vitent in officiis eccleſiaſticis fornicatorem notorium, hoc tamen nō propter ipſos auditores, ſed propter ipſum fornicatorem notorium condita eſt. Nam in pœnam criminis ſtatuitur, vt alij illum B vitare teneantur. Eſt enim illi pœna non parua, quòd ſit ab aliis neceſſariò vitandus. Quam pœnam ſemper ſecum portat, quandiu in crimine perſeuerat, nec poterit vllo modo ſe ab illa eripere, niſi à crimine ſic abſtinere voluerit, vt æquè nota ſit aliis illius emendatio, ac fuerat notorium crimen. Quia etſi alij ſuæ ſalutis immemores, illum in officiis eccleſiaſticis vitare negligant, ille tamen hoc ſemper patitur, quòd eſt ab aliis vitandus. Et hæc ſententia apertiſsimè probatur per verba eiuſdem capituli, quibus papa dicit, talem notorium fornicatorē eſſe apud alios ſuſpenſum. Omnem ſiquidem ſacerdotem peccato mortali obnoxium, dicit ibidem pontifex eſſe, quo ad ſe ſuſpenſum ab officiis eccleſiaſticis, quia non poteſt illa rectè (vt decet) & ſine noui peccati commiſsione exercere: illum verò, qui eſt in fornicatione notoria, dicit eſſe, non ſolùm quo ad ſe, ſed etiam quo ad alios ab officiis eccleſiaſticis ſuſpenſum. Conſtat autem omnibus ſuſpenſionem ab officiis eccleſiaſticis inter eccleſiaſticas pœnas recenſeri. Et inde vlterius conuincitur, conſtitutionem illam obligare ſacerdotē fornicatorē notoriū ad pœnam

in illa declaratã,quãuis nulla alia accedat iudicis ſentẽtia. C

Nono argumento adhuc eandẽ principalem concluſionem probo per decretũ quoddam cõcilij Lateranenſis ſub Leone papa huius nominis decimo celebrati,quòd clericis, qui diuinum officiũ, quod dicere tenebantur, Deo perſoluere neglexerint,pœnã quandam infligit,illos apertiſsimè ad illam ſuſtinendam obligans,etiã ſine vlla alia hominis ſententia. Et quoniam decreta illius concilij non facilè ab omnibus habentur,decreui verba illius decreti in medium citare, vt ex illis apertius quod dicimus omnibus innoteſcat. In ſeſsione nona prædicti concilij hoc quod ſequitur decretum continetur.Statuimus quoq; & ordinamus,quòd quilibet habens beneficium cum cura vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento beneficio diuinum officium non dixerit, legitimo ceſſante impedimento, beneficiorum ſuorum fructus ſuos non faciat, pro rata omiſsionis recitationis officij & temporis: ſed eos tanquam iniuſtè perceptos in fabricas huiuſmodi beneficiorum vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Hactenus verba concilij. Conſtat quidem hoc decretum eſſe pœnale, quia pœnam apertam ſtatuit cõtra illos,qui tam deſides ſunt,vt poſt ſex D menſes ab obtento beneficio diuinum officium dicere neglexerunt. Quòd autem obliget tranſgreſſoris conſcientiam ad pœnam in illo contentam abſq; alia iudicis ſententia,verba ipſius decreti apertiſsimè oſtendunt. Dicit enim, quòd non faciat fructus ſuos. In quibus verbis id potiſsimum annotandum eſt, quòd non priuat illum dominio fructuum ſemel acquiſito: ſed dicit illum non acquirere dominium illorum, etſi illos perceperit, dicit eſſe iniuſtè perceptos, & teneri ad illorum reſtitutionem. Si propter ſolam omiſsionem diuini officij ſunt iniuſtè percepti,ergo etiam ante iudicis ſententiam ſunt iniuſtè percepti. Quia ſententia iudicis non eſt quæ facit perceptionem fructuum iniuſtam,ſed ſola diuini officij omiſsio.

Concilium Lateranenſe.

Decimo & vltimo argumento priorem principalem concluſionem probo per textum capituli finalis de præſcriptionibus libro ſexto, vbi textus ille exprimens modos, quibus aliquis bonis ſuis poteſt eſſe priuatus, duos ſolos exprimit inter ſe diuerſos,videlicet per ſententiam,aut ipſo iure.Sed ſi ſemper eſſet neceſſaria ſententia iudicis ad hoc,

A hoc,vt lex pœnalis ſuam conſequeretur intentionem, iam non eſſet bona & conſummata diuiſio illa modorum,quibus homo bonis ſuis iuſtè poteſt eſſe priuatus, videlicet per ſententiam,aut ipſo iure: ſed oporteret tertium addere membrum diuiſionis ex illis duobus conflatum, videlicet ipſo iure & per ſententiam ſimul. Imò vt breuius res ageretur, nullam oporteret facere membrorum diuiſionem. Quia vnus ſolus modus ſufficeret ad omnem bonorum priuationem deſignandam, vt puta priuatio per ſententiam. Quia quantumlibet lex priuet bonis ſuis hominem (vt aliis, de quibus infrà dicemus, placet) non erit priuatus,niſi poſt legem ſubſequatur iudicis ſententia.Præterea ſi diuiſio illa eſt ſufficiens, & omnibus modis conſummata,oportet vt vox ipſa, aut res, quæ diuiditur, conueniat cuilibet membro illius diuiſionis ſeorſum accepto. Cùm igitur alterum membrum illius diuiſionis ſit, priuari ipſo iure, & alterum priuari per ſententiam,oportet vt quolibet illorum modorum ſeorſum accepto, ſine altero fiat priuatio bonorum. Et ita oportet, vt quemadmodum fit priuatio per ſententiam iudicis, & non ipſo iure, ita ſit
B etiam aliqua priuatio bonorum ipſo iure facta; & non per ſententiam. Alioqui diuiſio illa non erit bona & perfecta, cùm res ipſa diuiſa non conueniat cuilibet membro diuiſionis ſeorſum accepto. Rurſum, vt diuiſio aliqua ſit bona, & rectè formata, oportet membra illius eſſe omnino inter ſe ſic diuerſa, & à ſe inuicem ſeparata, vt nunquam eidem conuenire poſsint. Cùm ergo illa duo, videlicet priuari bonis ſuis per ſententiam, aut ipſo iure,ſint membra diuiſionis, neceſſarium eſt vt ſint à ſe inuicem ſic ſeparata, vt non poſsint eidem conuenire. Ex quo apertiſsimè deducitur, vt qui per ſententiam debet eſſe priuatus, non ſit priuatus ipſo iure, & è contrario, qui priuatus eſt ipſo iure, non ſit priuandus iterum per ſententiam. Et inde vlterius neceſſariò conſequitur, vt qui ipſo iure ad pœnam eſt damnatus, ſit ante omnem iudicis ſententiam damnatus ad illam. Si ante iudicis ſententiam eſt damnatus,ergo ad talem damnationem faciendam nulla iudicis ſententia requiritur. Alioqui ſi talis iudicis ſententia eſſet neceſſaria, non poſſet ante illam eſſe damnatus. Nam ſine illo, quod eſt ad rem aliquam verè neceſſarium, nequaquam

res illa conſiſtere poteſt. Et ex hoc apertiſsimè cõuincitur, C
Caietan. falſam eſſe ſententiam Thomæ de Vio Cardinalis Caietani, qui in ſua ſumma de peccatis, titulo, Pœna, dicit neminem teneri in foro conſcientiæ ad pœnam ſubeundam, niſi poſtquam fuerit ad illã damnatus à iudice. Quoniam etſi iudicis ſententia (vt aliorũ opinio, de qua poſtea dicemus, docet) eſſet ſemper neceſſaria, vt tranſgreſſor legis obligaretur pœnam à iure inflictam ſubire, non tamen oporteret illam eſſe condemnatiuam. Quia quod ſemel actum eſt, non eſt opus iterum fieri: & ideo qui ſemel à iure damnatus eſt, non eſt neceſſarium vt iterum de eodem crimine damnetur. Alioqui (vt nunc proximè diximus) non eſſet ipſo iure damnatus, ſi oporteret iterum illum per iudicem damnari. Præterea, ſi hoc ita eſſet, nulla tunc eſſet differentia inter legem continentem ſententiam latam, & illam, quæ continet ſententiam ferendam. Quia quocunq; modo lex ſtatueretur, ſemper oporteret expectare ſententiam à iudice ferendam, vt lex ſuum ſortiretur effectum. Imò ſententia à lege lata eſſet ſuperflua, & quæ nullum ſortiretur effectum: quia illa ſine ſententia à iudice ferenda nihil efficeret. Sententia autem à iudice ferenda ſemper D ſine ſententia à iure lata plenum ſortiretur effectum. Et ideo aliter omnes dicunt, quòd quamuis talis iudicis ſententia eſſet neceſſaria, ſatis eſſet illam eſſe declaratiuam criminis commiſsi, hoc eſt, talem eſſe ſententiam, vt per illam iudex declaret hominem commiſiſſe crimen illud, propter quod eſt à iure pœna inflicta, abſq; hoc, quod condemnet illum ad pœnam, ad quam eſt ipſo iure damnatus. Qua criminis declaratione data, ſine vlteriori iudicis damnatione erit ipſo facto damnatus ad illam. Et iuxta hunc modum tuentur ſuam opinionem alij Theologi & iuris humani periti, canoniſtæ videlicet & legiſtæ, qui docent neminem ante iudicis ſententiam obligari ad pœnam ipſo iure inflictam. Felinus cap. Rodulphus, de reſcriptis, nume. 35. hoc apertè docet, & multorum teſtimonio confirmat, ſic inquiens. Sed declaratoria ſententia requiritur in pœnis ipſo iure incurſis, per cap. Cùm ſecundum leges, de hæreticis libro ſexto. Et non requiritur quòd iudex per ſententiam puniat, ſed ſatis eſt quòd pronuncietur delictum commiſſum: pœna autem ſequitur à iure. Bart. in l.
Bartol.

Eius

A Eius qui delatorem, ad finem. ff. de iure fiſci. Pro quo vide Ioannem Andręam in cap. j. de homici. lib. vj. quem refert ibi Dominicus in §. fin. vbi dicit, quòd ita debent intelligi omnia iura canonica & ciuilia, quæ dicũt ipſo iure aut ipſo facto aliquem puniri confiſcatione bonorũ, vel alia pœna, vt ſcilicet ſufficiat illum pronuntiare, & declarare illius criminis eſſe culpabilem, & locus erit pœnis iuris, etiam ſi ſententia non exprimatur. Et ita intelligit dictum cap. de homicidio, & dictũ cap. Cùm ſecundum leges. Hæc Felin. Et Bald. in cap. j. de feudo ſine culpa non amittendo, eandem docet ſententiam. Dicunt ergo omnes iſti ſententiam iudicis requiri, non vt tranſgreſſor legis damnetur ad pœnam, ad quã iam erat ipſo iure damnatus, ſed vt per talem ſententiam declaratiuã criminis conſtet aliis talem hominem, de quo agitur, cõmiſiſſe crimẽ illud, cui à iure eſt talis pœna inflicta. Hanc tamẽ ſententiã declaratiuam criminis commiſsi ego non puto ſemper eſſe neceſſariã: quoniam (vt multis argumentis iam probaui) multæ ſunt leges & conſtitutiones pœnales, quæ abſq; alia iudicis ſententia obligant earũ tranſgreſſores ab ſubeundum pœnas in illis *Dominic.* *Baldus.*

B contentas & decretas. Et præter omnia illa argumenta occurrit mihi nunc aliud fortiſsimũ, quod vim & robur capit ex ipſamet ratione propter quã dicunt eſſe neceſſariã ſententiam declaratiuã criminis cõmiſsi. Nam hæc ſententia ideo dicitur eſſe neceſſaria, vt conſtet de crimine cõmiſſo, & ideo omnes illi pręter Caietanũ vocãt illã declaratiuam criminis, & non condemnatiuã. Ex quo apertè colligitur, vt propter alios, quibus oportet crimen eſſe notum, ſit neceſſaria talis ſententia criminis declaratiua, non propter ipſum peccatorẽ aut legis tranſgreſſorẽ. Quia etſi alij ante talem ſententiam poſſent meritò de crimine tranſgreſſoris dubitare, ipſe tamen tranſgreſſor ante talem iudicis ſententiam optimè noſcit ſe tale crimen cõmiſiſſe, pro quo talis eſt pœna à iure inflicta: ergo ante talẽ iudicis ſententiam erit obligatus in conſciẽtia ad pœnã, ad quam eſt ipſo iure damnatus. Collectio iſta eſt manifeſta, quia talis ſententia, per quam declaratur crimen fuiſſe commiſſum, nihil circa ipſum reum operatur, ſed ſolùm circa alios, qui ex pœna inflicta aliquod cõmodum aut damnum ſuſcipere poſſent. Quo fit, vt ſi poſt datam à iudice ſententiã, qua declaratur

crimen fuiſſe commiſſum, reus obligatur in conſcientia ad pœnam ſuſtinendam, etiam obligetur ante talem ſententiam, cùm illa nihil prorſus circa ipſum reum agat. Pro foro exteriori neceſſariam eſſe fateor aliquam iudicis ſententiam, vt videlicet alius præter ipſum reum exequatur in eodem reo illam damnationis ſententiam à iure contra illum datam. Pro foro autem interiori, in quo ipſemet reus exequitur aut ſuſtinet in ſe ipſo ſententiam contra illum à iure latam, firmiſsimè teneo, nullam eſſe neceſſariam iudicis ſententiam. Ratio diſcriminis eſt manifeſta, per id,

1. Reg. 16 quod habetur in primo Regum. Homines vident ea, quæ foris patent, Deus autem intuetur cor. Quia igitur homines neſciunt ea, quæ in corde latent, aut quæ extra cor in occulto & ſine vllo teſte fiunt, oportet vt aliunde tranſgreſſoris crimine illis conſtet, vt ſententiam à iure contra eum latam alij in illo iuſtè exequi poſsint. Alioqui ſæpe contingeret, vt odio aut cupiditate ſollicitante, ex modica & leui criminis ſuſpitione executio pœnæ contra innocentem & inculpatum fieret. Vt autem hoc non contingeret, optimè in aliquibus caſibus prouiderunt iura, vt pœnam, quamuis à iure inflictam, nullus exequatur in reo, niſi prius de crimine illius per ſententiam legitimi iudicis conſtiterit. Sic enim decretum eſt in cap. Cùm ſecundum leges. §. Confiſcationis, de hæreticis libro vj. In illo enim loco, Papa poſtquam ſtatuerat hæreticũ ipſo iure eſſe omnibus bonis ſuis priuatum, & bona illius eſſe fiſco applicata, prohibet fiſcum ne bona hæretici apprehendat, antequam ille per competentẽ iudicem ſit de crimine hæreſis damnatus. Quæ ſententia non ideo cenſetur eſſe neceſſaria, vt hæreticus damnetur per illã ad pœnã priuationis bonorum, ſed ideo ſolùm, vt aliis conſtet de crimine, & ſic dignus appareat cui meritò pœna per legem ſtatuta ſit infligenda.

Dominic. Propter quod rectè ſenſiſſe mihi videtur Dominicus de ſancto Geminia. qui ſuper prædictum cap. Cùm ſecundum leges, in §. Confiſcationis, dicit hęc verba. Nota quòd ſuper facto, in quo imponitur pœna ipſo iure, requiritur declaratio antequam executio fiat: quod tamen intellige, quando factum non eſt notorium. Hæc ille. Et hæc Dominici ver-

Felinus. ba citat & laudat Felinus in cap. Rodulphus, de reſcriptis, numero 37. Et in illo dicit cap. Cùm ſecundum leges,

A leges, non habere locum quãdo crimen eſt notorium:quia tunc dicit non eſſe opus declaratione. Et citat multos alios doctores, qui eandem tenent ſententiam. Et in hoc caſu, quando ſcilicet crimen eſt notorium, admonet intelligendam eſſe gloſſam in cap. Commiſſa, in verbo, iuſto impedimento, de electión. libro ſexto, dicẽtem quòd in caſu cap. Licet canon, eodem titulo, poteſt collator conferre beneficium ipſo iure vacans, abſque alia pronunciatione ſuper priuatione incurſa. Quia illa pœna priuationis (vt ait) eſt notoriè incurſa. Et in cap. Canonum ſtatuta, de conſtitutio. nume. 42. docet multò apertius eandem ſententiam. In illis verbis, quæ nunc ex Dominico citauimus, duo potiſsimum ſunt annotanda. Primò quidem annotare oportet, declarationem criminis eſſe neceſſariam, non autem condemnationem ad pœnam, prout Caietanum malè dixiſſe iam ſuprà retulimus. Alterum, quod valde annotare oportet, eſt, quòd quando factum eſt notorium, non eſt neceſſaria talis iudicis ſentẽtia. Per quæ verba ſatis apertè expreſsit ad hoc ſolum eſſe neceſſariã iudicis ſentẽtiam, vt per illam de crimine conſtet, quod fortè erat ſine tali ſententia aliis igno-
B tum. Nam ob hanc cauſam cenſet Dominicus non eſſe neceſſariam talis iudicis ſentẽtiam, quando factum eſt notorium, quia tunc ſuperfluit illa ſentẽtia, quum iam ſine illa conſtet crimen eſſe perpetratum. Et hanc eandem ſententiam, quamuis nõ ita apertè ſicut Dominicus, docet Baldus *Baldus.* in l. Iubemus. §. Sanè. C. de ſacroſanct. eccleſ. vbi hæc verba refert. Vbi non requiritur ſentẽtia diſpoſitiua, ſi tamen factum reuocatur in dubium, requiritur ſententia declaratoria, per l. Eius qui delatorem. ff. de iure fiſci, & cap. Pro humani, de homicidio libro ſexto. Hæc Baldus. Ex cuius verbis à contrario ſenſu arguendo conſtat illum ſentire, quòd quando nulla eſt de crimine dubitatio, ſed eſt omnino notorium, tunc non eſt neceſſaria ſententia declaratoria. Ita enim declarat mentem Baldi Felinus in capit. Rodulphus, *Felinus.* numero 37. de reſcriptis. In quo loco admoneo lectorem, vt aduertat literam Felini eſſe mendoſam in illa impreſſione, quæ facta eſt Lugduni anno domini 1535. Nam vbi dicit, ſentiens quòd ſi res eſt in dubio, non ſit opus declaratione, debet dicere, ſi res eſt indubia, hoc eſt, ſine dubio & ſine dubitatione. Et iuxta hunc modum habentur verba

eiuſdem Felini in antiqua impreſsione, quæ multò eſt verior. Ex his apertiſsimè conuincitur, nunquam ſententiam iudicis eſſe reo neceſſariã, ad hoc, vt ipſe teneatur pœnam à iure ſibi impoſitam reddere: quia crimen, quod ipſe reus commiſit, ſemper eſt illi notorium. Et multò magis eſt illi notoriũ crimen ſuum ſine vlla iudicis ſentẽtia, quàm poteſt eſſe aliis poſt datam à iudice ſententiã, qua declaret crimen fuiſſe ab illo commiſſum. Nam ipſe reus habet euidentem de ſuo crimine notitiam, alij autem qui non viderunt, non habent etiam poſt iudicis ſententiam niſi fidem, quæ multò obſcurior eſt notitia, qua credunt iudici aſſerenti tale crimen fuiſſe ab illo commiſſum. Si caſus aliquis offerretur tam perplexus, vt reus ipſe, licet ſciat ſe rem talem perpetraſſe, meritò tamen dubitari poſsit, an res ab eo geſta mereatur pœnam propter tale crimen à iure impoſitam, tunc etiam ego dicerem reum non teneri in foro conſcientiæ ad pœnam illam, donec illi conſtet, aut per iudicis ſententiam, aut per doctrinam virorum doctorum, quibus meritò credere debeat, crimen à ſe commiſſum tale eſſe, quale oportebat, vt in pœnam à iure inflictam incideret. C

D Præter hæc omnia argumẽta occurrit mihi nunc aliud, quod, vt ego cenſeo, vehementiſsimè vrget. Eccleſia poteſt ſtatuere legem, per quam præcipiat facere aliquid ſub pœna peccati mortalis: ergo poteſt ſtatuere legem, quæ ſub pœna peccati mortalis præcipiat reo reddere pœnam aliquam. Aſſumptum eſt manifeſtum ex his, quæ ſuperius libro primo capite quinto diximus. Conſequentia inde eſt manifeſta, quòd non eſt ratio aliqua, propter quam Eccleſia poſsit ſub obligatione peccati mortalis præcipere vnum magis quàm alterum. Et vt rem hanc apertiorem faciam, exempla aliqua proponam. Eccleſia obligat quemlibet fidelem ſub obligatione peccati mortalis ad audiendũ miſſam die dominico. Si placeret Eccleſiæ ſtatuere, vt non audiens miſſam teneretur ſub obligatione peccati mortalis reddere certam pecuniæ quantitatem pauperibus, quis dicere audebit, Eccleſiam non poſſe ſtatuere legem ſic obligantem ad pœnam? Si quis autem tam pertinax eſt, vt non vereatur negare Eccleſiam poſſe talem legem condere, reddat cauſam cur poteſt præcipere ſub obligatione peccati mortalis audire miſſam; & non poteſt præcipere ſub eadem

A dem obligatione reddere pecuniam. Aliud exemplũ multò apertius. Rex ob aliquam iuſtam cauſam poteſt ſtatuere legem, quæ obliget ſubditos in conſcientia ad reddendum aliquam pecuniam in tributo: ergo poteſt ſtatuere legem, quæ obliget in conſcientia eos, qui tale tributum non ſoluerint, ad duplam pecuniam reddendam. Aſſumptum eſt notiſsimum, præſertim ex his, quæ ſuperius libro primo capite quinto diximus. Conſequentia eſt manifeſta, quia vtrobique eſt redditio pecuniæ, & non eſt ratio iuſta, quare poſsit vnum magis quàm alterum ſtatuere.

Ex his omnibus argumentis hactenus per me adductis, ſatis apertè (vt ego exiſtimo) conuincitur verum eſſe id, quod à principio huius capituli dixi, Eccleſiam poſſe condere legem pœnalem obligantem reum in foro conſcientiæ, abſque aliqua iudicis ſententia ad pœnam in illa ſtatutam. Nec ſola Eccleſia, id eſt prælatus eccleſiaſticus, hoc poteſt, ſed etiam Imperator, aut rex, aut quæuis alia poteſtas laica. Nam (vt alia nunc omittam exempla) lex, quæ propter præſcriptionem tollit ab altero alicuius rei dominium, & tribuit alteri, non ſolùm à pontificibus, ſed etiam
B à Cæſaribus & regibus inſtituta eſt, quamuis nõ ita exactè & ad iuſtitiæ filum redacta ſit in hac parte lex Cæſarea, quemadmodum pontificia. Leges autem Cæſareæ, præſertim quum de rebus grauibus decernũt, poſſunt etiam ſicut leges pontificum (vt libro primo capite quinto probaui) ſubditorum cõſcientias ad peccatũ mortale obligare. Nam beatus Paulus de obedientia ſuperioribus præſtanda diſſerens, non ſolùm de Eccleſiaſtica poteſtate, ſed de omni poteſtate abſolutè loquutus eſt, ſic dicens. Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationẽ acquirunt. Et paucis interpoſitis, de ſola poteſtate ſeculari loquens, ait. Dei enim miniſter eſt vindex in iram ei, qui malum agit. Ideoq; neceſsitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiã propter conſcientiam. Ex quibus apertè conſtat, omnem poteſtatem tam ſecularem quam Eccleſiaſticam, poſſe condere legem obligantem ad culpam mortalẽ. Omnis igitur humana poteſtas, ſiue ſecularis illa ſit, ſiue eccleſiaſtica, poteſt condere legem pœnalem obligantem in foro conſcientiæ illius tranſgreſſorem ad pœnam abſque aliqua iudicis ſententia reddendam. *Rom. 13.*

De

De quatuor modis, quibus poteſt cognoſci lex, quæ ſententiam continet latam. G

CAPVT. VI.

EX his omnibus, quæ in duobus proximè præcedentibus capitulis per me ſufficienter (vt ego cenſeo) probata ſunt, ſatis apertè conſtat humanam poteſtatem, ſiue laica illa ſit, ſiue Eccleſiaſtica, poſſe condere legem obligãtem ad pœnam in foro conſcientiæ abſque aliqua alia iudicis ſententia ſubeundam. Nunc igitur vt rem abſolutã & plenè conſummatam redderem, opus eſſe cenſui vt declarem quomodo cognoſci poſsit talis lex, & ab aliis, quæ talem obligationem non cõtinent, plenè diſcerni. Quotquot ſentiunt legem humanam poſſe obligare ad pœnam ſine vlteriori iudicis ſententia, dicunt omnem legem ſiue conſtitutionem, quæ ſententiam in ſe continet latam, obligare illius tranſgreſſorem ad pœnam in illa contentam abſque aliqua alia iudicis ſententia. Hæc autem vniuerſalis regula etſi ſemper vera eſſet (quod an verum ſit poſtea inquiremus) per illam tamen id, quod quæritur, non eluceſcit, ſed manet adhuc æquè ignotum, vt antè. Quia quomodo poſſit cognoſci lex, quæ ſententiam à ſe latam continet, res eſt non parui negotij, & de qua etiã viri docti aliquando dubitant, & de qua inter eos omnes non cõuenit, ſed alij aliter ſentiunt. Quæ opinionũ diuerſitas oritur ex multa verborum varietate, quibus legiſlatores vtuntur, quum tales leges pœnales condunt. Nam aliquãdo pœnæ inflictionem exprimunt per verbũ imperatiui modi, aliquando per verbum modi indicatiui, & in modo indicatiuo aliquãdo per verbum temporis præſentis, iterum per verbum præteriti, aliâs per verbum futuri. Aliquãdo ſine verbo actionem aut paſsionem denotante, ſed per verbum ſubſtantiuum, adiecto aliquo participio loquuntur. Aliquando diuerſa aduerbia eiſdem verbis adiungunt, vt per illa ſuam exprimãt intentionem. Hæc autem tanta verborũ varietas non paruam ſolet legentibus & audientibus difficultatem præbere. De qua re, licet copioſè, confuſiſsimè tamen tractat Felinus in cap. Rodulphus, de reſcriptis, in §. Vltimò quia textus. Poſt Felinum D

Felinus.

Felinum

A Felinum multò prolixius quàm ille de eadem re diſſerit vir in vtroq; iure doctiſsimus Andræas Tiraquellus in fertiliſsimis illis commentariis,quæ fecit ſuper legem, Si vnquam.C.de reuocandis donationibus. Sed licet illa,quæ de hac re vir ille doctiſsimus diſſeruit, vera ſunt & doctè tractata,multa tamen omiſit, quæ mea ſentētia erant ad conſummationem negotij, quod ſuſceperat declarandum, neceſſaria. Deinde, ea quæ dicit, tanta verborum ambage & tanta citationum multitudine plena ſunt, vt faſtidium legentibus,præſertim Theologis,facilè præbeant:& regulæ, quas pro huius rei cognitione ſtatuit, tot patiuntur exceptiones,vel (vt illi loquuntur) fallentias, vt plures ſint caſus,in quibus regulæ fallunt,quàm in quibus certitudinem habeant. Ob hanc cauſam ego tantam fallentiarum multitudinem,quæ memoriā valde perturbat, euitare cupiens, breuiores & certiores regulas excogitaui, quæ multò minores patiantur exceptiones, & ſic per compendium incedens, alios ad finem quæſitū citius perducam. Alios etiam modos, quibus ſemper ſententia lata apertiſsimè declaratur,ab Andræa Tiraquello omiſſos,declarabo.

Andræas Tiraquellus.

B Primus & certiſsimus modus, quo apertiſsimè declaratur legem pœnalem continere ſentētiam latam,eſt:ſi poſtquam expreſsit pœnam pro tali crimine infligendam, dicat quòd qui crimen, pro quo talis imponitur pœna, commiſerit, incurrat illam ſine aliqua alia ſententia. Per hæc enim verba aut alia ſimilia, quibus legiſlator declarat ad pœnæ per illam legē ſtatutæ executionē,non requiri aliam hominis ſententiā,ſatis apertè docet legem illam cōtinere ſententiam latam, & quæ ſe ſola obliget reum ad pœnam in conſcientia ſoluendam, aut ſubſtinendam, Huiuſmodi verbis vſus eſt Martinus Papa huius nominis quintus, in conſtitutionibus, quas ædidit pro vniuerſitate ſtudij Salmanticenſis.Nam in capitulo primo, vbi tractat de rectore eiuſdem vniuerſitatis,dicit quòd electus in rectorem requiratur, vt electionem acceptare velit, & tandem hæc verba ſubiungit. Quod ſi facere neglexerit, omiſerit, vel recuſauerit quoquomodo, omni cōmodo & honore vniuerſitatis priuatus abſq; alia declaratione cenſeatur,& per ſcholas vt periurus,excōmunicatus,& priuatus,publicè nuncietur. Et hoc idem in omnibus & per omnia fiat de conſiliariis & aliis

Primus modus cognoſcendi ſententiā à iure latam.

aliis officialibus dicti ſtudij, ſi officia, ad quæ electi fue- C
rint, recuſauerint, neglexerint, & omiſerint infra tempus eis aſsignandum acceptare, aut etiã ſi ſe abſentauerint, vel abſconderint, ne acceptent. Hactenus verba conſtitutionis Martini papæ. In quibus verbis id potiſsimum annotare oportet, quod præcipit, vt priuatus abſq; alia declaratione cenſeatur. Per quæ verba ſatis apertè declaratur, cõſtitutionem illam continere ſententiã latam, & obligare in conſcientia illius tranſgreſſorẽ ad pœnam in illa contentam. Eiſdem verbis vſus eſt Paulus papa huius nominis ſecũdus in quadam ſua extrauanganti Decretali, quæ incipit, Ambitioſæ, vbi poſtquam præcepit, vt res Eccleſiæ ſine licentia Romani pontificis nõ alienentur, & epiſcopis & abbatibus contrariũ faciẽtibus ingreſſum eccleſiæ prohibuit, tandem aliis prælatis contra illam conſtitutionem facientibus pœnam imponens, hæc verba ait. Inferiores verò prælati, commendatarij, & aliarũ eccleſiarum rectores, beneficia vel adminiſtrationẽ quomodolibet obtinentes, prioratibus, præpoſituris, præpoſitatibus, dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus, officiis, canonicatibus, præbendis, aliiſque eccleſiaſticis cum cura & ſine cura ſecularibus & regulari- D
bus beneficiis, quorũ res & bona alienarunt dumtaxat, ipſo facto priuati exiſtant, illáque abſq; declaratione aliqua vacare cenſeantur, poſsintque per locorũ ordinarios vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, perſonis idoneis (illis exceptis, quæ propterea priuatæ fuerint) liberè de iure conferri, niſi aliâs diſpoſitioni ſedis apoſtolicæ ſint ſpecialiter ac generaliter reſeruata. Hactenus verba illius Decretalis. In quibus verbis id ſolùm aduertere oportet, quod ait, abſque declaratione aliqua vacare cenſeãtur. Et quia verba iſta tam apertè excludunt ſententiæ declarationẽ, vt nihil illis poſsit opponi, ideo ſumma Sylueſtrina, in titulo, Emphiteoſis quęſtione ſecunda poſtquã dixerat ſemper eſſe neceſſariam iudicis ſententiã declarantem crimen eſſe commiſſum, hęc tandẽ verba ait. Vbi autem lex vel ſtatutũ priuaret aliquẽ bonis, vel aliter ipſo facto, nõ requiritur declaratiua ſententia. Et ſic fecit Paulus ſecundus in extrauaganti, quæ incipit, Ambitioſæ. Hæc ſumma Sylueſtrina. Similia verba & multò fortiora habentur in quadam conceſsione Adriani Papæ huius nominis ſexti facta inſigni, & multorum

A rum doctoſsimorum virorũ nutritori collegio ſancti Bartholomei,quod eſt in vniuerſitate Salmaticenſi. Nam viri docti & virtutis amatores & cupidi, qui tunc in illo collegio erant,optantes vt electio Rectoris eiuſdẽ collegij,quæ quolibet anno in feſto ſancti Lucæ fieri ſolet,& electiones aliorum collegarum qui admittendi ſunt ad illud collegium,liberè fierent,ita vt nullus alteri perſuaderet, aut alterũ (vt verbis illorũ loquar) ſubornaret, ſed quiſq; apud ſe ipſum ſolum de electione faciẽda deliberaret, petierunt à Summo Pontifice Adriano,vt huiuſmodi electiones liberè(vt dictum eſt)fieri ſub certa pœna præciperet, ad quam ſine aliqua alia vlteriori declaratione contrarium faciens eſſet obligatus.Verba petitionis quę ad rẽ pertinent,omiſſis aliis ſunt iſta. Sed permittat in omnibus & per omnia dictas electiones purè & rectè fieri, & aliàs faciens, toties quoties id fecerit, pœnam viginti milliũ moropetinorum monetæ illarum partium,quam dicto collegio integrè, & etiam aliqua eiuſdem pœnæ poſtulatione, vel deſuper requiſitione,accuſatione, probatione, vel iudicio non factis

B nec ſecutis, ſoluere & ſatisfacere ſit aſtrictus, incurrat. Ac quicunq; præmiſſorum conſcius, infra triduum à die notitię,quod ſciuerit publicè rectori & conſiliariis ac collegialibus pro tempore exiſtentibus in altari capella nuncupato ipſius collegij,ſub ſimili pœna reuelare:ac Rector & collegiales pœnam eandem poſtquã de illius incurſione conſtiterit, infra alios octo dies ſub excommunicationis latæ ſententiæ eo ipſo incurrenda pœna, & à qua non niſi à ſanctitate veſtra,& apoſtolica ſede,præterquam in mortis articulo poſsint abſolui, exequi teneantur,& qui executioni dictarũ pœnarũ contradixerit,excommunicatus eo ipſo exiſtat,& vt talis debeat euitari. Hactenus verba petitionis. Cui petitioni ipſe pontifex Adrianus vir lõgè doctiſsimus reſpondit, prout moris eſt pontifices reſpondere. Fiat vt petitur. Per quæ verba actu Papa conceſsit quod ab illis petitum erat. Nam illud verbum, fiat, quo pontifices vti ſolent (vt Felinus annotauit in dicto cap. Rodulphus, numero 33.) non dicit promiſsionem in futurum, ſed conceſsionem in præſenti: quia eſt præſentis imperatiui modi. Ob quam cauſam ego non poſſum aliter ſentire, niſi quòd collegiales aut collegæ, qui in dicto colle- *Felinus.*

gio morantur, ſi contra illam Papæ cōceſsionem fecerint, C
ſint obligati in cōſcientia ad pœnas in illa contentas. Quoniam (vt in præcedenti cap. probatum eſt) Papa poteſt ſtatuere legem obligantem in cōſcientia ad pœnam reddendam ante iudicis ſententiam. At Papa non potuit apertius ſuam voluntatem ad hoc faciendum exprimere, quàm dicendo quòd qui contra feciſſent, etiam ſine accuſatione, & ſine probatione, & ſine vlla declaratione eſſent obligati ad pœnam. Ergo cùm tam apertè id Papa expreſſerit, conſequens neceſſario eſt, vt illi iuxta Bullæ tenorē ſint in conſcientia obligati. Quòd ſi nimium aſpera illis videtur illa Papæ conſtitutio, & durum illis videtur ſe tam forti vinculo eſſe alligatos, ego illis velut amicis mihi chariſsimis conſulerem, vt ipſi à Papa peterent eiuſdem Bullæ reuocationem, ne fortè id quod pro maiori bono olim petitum eſt, in maius ſuarum conſciētiarum damnum vertatur. Sed circa illa verba Bullæ prædictæ hoc annotare oportet, quòd licet collegialis quilibet illius collegij conſtitutionem illam pro electionibus datam tranſgrediens ſit ſine vlteriori declaratione obligatus in conſciētia ad pœnam illic taſſatam. Rector tamen & alij, ad quos id facere ſpectat, non D
ſunt obligati in conſcientia ad illius pœnæ executionem, niſi poſtquam illis de crimine conſtiterit. Tunc autem ſolùm conſtare dicetur (vt dicitur in cap. Quæſitum, de cohabitatione clericorum & mulierum) quando fuerit per ſententiam damnatus, aut ipſe fuerit in iudicio confeſſus, aut quando tanta fuerit facti euidentia vt nulla tergiuerſatione celari poſsit. Et idem per omnia cenſeo de illo qui electus in Rectorem vniuerſitatis Salmanticenſis noluit cōſentire electioni de ſe factę: quoniā hic etiā ſine vlla alia iudicis ſententia eſt obligatus in conſcientia ad pœnam in cōſtitutione Martini Papæ decretā. An autē aliquę tales ſimiles leges aut cōſtitutiones in iure ciuili habeātur, mihi non conſtat, niſi de ſola vna quā legi in l. vltima. C. Locati, vbi poſtquā Iuſtinianus Imperator prohibuit militibus cōductiones rerū alienarū, ſtatim contra illos qui hanc legem fuerint tranſgreſsi hæc verba ſubnectit. Scituros quòd ex ipſo cōtractu ab initio ſine aliquo facto, vel aliqua ſententia cadant militia. Vbi gloſſa declarans hæc verba, cadant militią, ait ipſo iure. Nec aliam præter iſtam legem aut

conſtitu-

A conſtitutionem in iure ciuili inueni, in qua manifeſtè iudicis ſententia excludatur. Quis iam tam obſtinati animi & attritæ frontis erit, vt negare contendat aliquam eſſe pœnalem legem quæ abſque aliqua alia iudicis ſententia obliget reum ad ſoluendum pœnam in lege contentam? Nam cùm lex dicat quòd ſine aliquo facto vel aliqua ſententia cadant militia, neceſſarium eſt dicere ſententiam iudicis non eſſe neceſſariam, aut legem illam linguacem & blaterantem eſſe, cùm eam tranſgreſſoribus pœnam minetur quam infligere non poteſt. Sunt multæ aliæ leges aut pontificum conſtitutiones, quæ latenter per alia verba non tam manifeſta innuunt ſentẽtiam iudicis non eſſe neceſſariam. Nam ſunt aliquæ dictiones, quibus legiſlator indicat ipſam legem eſſe ſatis ad executionem pœnæ per eum ſtatutæ, & ex conſequenti oſtendit aliam iudicis ſententiam non eſſe neceſſariam. Nam ſi iudicis ſentẽtia eſſet neceſſaria, lex ipſa per ſe non ſufficeret ad pœnæ executionem. Huiuſmodi dictiones ſunt hæ quæ ſequuntur. Ipſo iure, de iure, Ipſo facto, Eo ipſo, Authoritate huius legis. In his omnibus & aliis ſimilibus dictionibus apertè declara-
B tur ipſam legem eſſe ſatis, ac proinde hominis ſententiam non eſſe neceſſariam. De hac dictione, Ipſo iure, omnes cõcorditer ſentiunt, illam declarare ſententiã latã, neq; hactenus vidi aut audiui aliquem qui contrarium doceret. Felinus in dicto cap. Rodulphus, numero 24. dicit hanc dictionem firmitatem pleniſsimam exprimere. Et idem docet gloſſa in cap. j. de reſcriptis, libro. vj. Et inde conuincitur hoc omnes quos ſtatim enumerabimus canones continere ſententiam latam. Cap. Excommunicamus. §. Credentes, de hæreticis. Cap. Statutum. §. Vltimo, de reſcriptis libro. vj. Capi. Quam ſit, de electione, eodẽ lib. c. vltimum, de officio delegati, eodem libro. Clementina prima, de reſcriptis. In extrauaganti, Suſcepti regiminis, & in extrauaganti, Execrabilis. In his omnibus ſicut conſtat eſſe latam ſententiam, ita etiam conſtat non eſſe neceſſariam iudicis ſententiam ad pœnæ executionẽ. Nam ſi ſentẽtia iudicis aut aliquid aliud à iure eſſet neceſſarium, non eſſet verum id quod lex ait, pœnam videlicet ipſo iure eſſe infligendam. Et idem prorſus ſentiendũ eſt de his dictionibus, Ipſo facto: quoniam hæ dictiones etiam exclu- *Felinus.*

dunt hominis ſententiam ad pœnæ executionem. Nam ſi C hominis ſententia aut aliquid aliud poſt crimen commiſſum reſtaret faciendum, vt tranſgreſſor legis incideret in pœnam à lege ſtatutam, tunc falſum eſſet quod lex ait, pœnam ipſo facto infligi poſt crimẽ commiſſum. Ad eundem modũ ſentire oportet de his dictionibus, Eo ipſo, quoniam eandem habent cum præcedentibus ſignificationem. Propter quod Ioannes Andreas in cap. Quia ſæpe, de electione lib. vj. optimè agnoſcens harum dictionum ſignificationem, dicit eas ſignificare ſine hominis adminiculo. Ex qua declaratione conſtat verba illa excludere hominis ſententiam. Quid igitur ad hæc reſpondebunt illi qui dicunt nullam legem pœnalem obligare reum ad pœnam aute iudicis ſententiam? Si ipſa lex in obligatione ad pœnam reiicit hominis ſententiam, aut lex ipſa falſum dicet, aut reus incidet in pœnam ab ipſa lege ſtatutam etiam ante iudicis ſententiam? Neq; aliud ſentire oportet de his dictionibus. Authoritate noſtra, authoritate huius legis, aut aliis ſimilibus dictionibus. Quoniam omnes iſtæ & ſi quæ aliæ ſimiles ſunt, apertiſsimè indicant ſolam legis authoritatẽ ſufficere ad pœnæ executionem, ac proinde non eſſe neceſſariam iudicis ſententiam: alioqui ſi illa eſſet neceſſaria, D ſola legis authoritas non ſufficeret. Et hinc conſtat ſententiam eſſe latam in cap. Si quis, quod habetur. ij. quæſt. iij. Vbi Papa Gelaſius cuius eſt ille canon, ait. Si quis contra huiuſmodi perſonas, non probanda detulerit, authoritate huius ſanctionis intelligat ſe iacturam infamiæ ſuſtinere. Hæc Gelaſius Papa. Sed gloſſa in illo cap. dicit ibidem non contineri ſententiam latam ſed ferendam: & probat per l. Athletas. §. Calumniator. ff. ex quibus cauſis irrogatur infamia. Hoc tamen loco valde fallitur gloſſa, quia & ſi lex illa, Athletas, quam ipſa citat ſententiam ſolam contineret ferendam, nihil tamen inde probaret. Quoniam Gelaſius Papa non dicit ſe irrogare infamiam authoritate legis imperialis, ſed authoritate huius ſuæ ſanctionis. Deinde, verba quæ Gelaſius Papa ſubiungit, apertè declarant canonem illum ſententiam continere latam. Sic enim ait. Vt damno pudoris, & æſtimationis diſpendio diſcat ſibi alienæ verecundiæ impunè inſidiari ſaltem de cætero non licere. Hæc ille. At, ſi ſententia

Ioannes Andreas.

A ſolùm ferenda illic exprimeretur, aliquando poſſet quis alienæ verecundiæ impunè inſidiari. Quoniam poſſet contingere vt iudex ad quem ſpectaret contra ſic inſidiātem infamiæ ſententiam proferre, nollet talem ſententiam dicere, & tunc qui falſo accuſauerat, eſſe impunis. Si verò canonis illius ſententiam dicamus eſſe latam, nūquam poterit aliquis alienæ verecundiæ impunè inſidiari, quia ſtatim poſt crimen commiſſum ipſo iure patitur pœnam contra illud ſtatutam. Cùm igitur per omnes has dictiones iam enumeratas, vt ex illarum ſignificatione conſtat, hominis ſententia reiiciatur, & tota vis & poteſtas ad pœnæ executionem tribuatur legi, conuincitur inde apertiſſimè illas omnes dictiones exprimere ſententiam latam, quæ obliget in conſcientia reum ad pœnam abſque aliqua iudicis ſententia reddendam. Nam ſicut iudex ſecluſa lege poſſet reum ad pœnam damnare, & ad illam obligare: ita è contrario poteſt lex eundem reum ad pœnam ſine iudice damnare, & ad illam ſine miniſterio iudicis obligare. Quoniā (vt ſuprà c.v. huius ij. lib, diximus) nō minoris poteſtatis eſt circa obligationem ius quàm iudex.

B Secundo modo lex declarat apertiſsimè ſe cōtinere ſententiam latam, quando ipſa dicit, quòd tranſgreſſor illius ſit obligatus in conſcientia, ad ſoluendum pœnam in illa contentam. Hæc enim verba tam apertè manifeſtant legiſlatoris mentem & intentionem, vt nullus relinquatur iuſtæ dubitationi locus, an ipſe voluerit per talem legem obligare in conſcientia illius tranſgreſſorem ad pœnam in illa contentam. Probauimus enim iam capite quinto huius libri humanam poteſtatem ſiue laica illa ſit ſiue eccleſiaſtica poſſe legem pœnalem condere, quæ obliget in conſcientia reum ad pœnam. Talem autem poteſtatem ſe velle exequi, non poteſt apertius declarare, quàm ſi in lege ab ea condita dicat illius tranſgreſſorem eſſe in conſcientia obligatum ad pœnam reddendam. De hac re nullum credo haberi exemplum in iure communi, ſiue canonico, ſiue ciuili. Nam multos viros in vtroq; iure doctiſsimos pro hac re conſului, qui omnes concordi ſententia reſponderunt, nullam talem legem in iure communi haberi, quæ apertè dicat illius tranſgreſſorem eſſe obligatum in conſcientia ad reddēdum pœnam in illa expreſ-

Secundus modus cō gnoſcēdi ſentētiam à iure latam.

ſam. Verùm & ſi hoc in iure communi non habeatur, in C iure tamẽ Hiſpano præſertim regni Caſtellæ multæ ſimiles habentur leges, è quibus aliquas in exemplum proponam, vt ad inſtar illarũ de omnibus aliis ſimilibus lector cenſere poſsit. In libro ſecundo ordinationum Regalium titulo nono lege prima, vbi tractatur de præmio ſuorum laborum, quod ſecretarij regis accipere poſſunt ab illis, in quorum vtilitatem inſtrumenta conficiunt, legiſlator ſtatuit pœnam contra illos qui plura accipiunt, quàm per legem eſt definitum: & tandem in lege ſecunda ad prędictorum meliorem obſeruationem hæc verba ſubiũgit. Iurent quòd obſeruabunt ea quæ in præcedenti capitulo ordinata ſunt, & quòd non accipient munera, & quòd ſoluent pœnas, ſi in eas inciderint, ad quas ex nunc eos cõdemnamus ita vt ſint obligati in foro conſcientiæ ad ſoluendum ea, abſque hoc quòd ſint ad illas condemnati. Hæc ſunt verba legis. Et in eodem libro ſecundo, titulo xv. præcipit, vt nullus iudex aut notarius recipiat à litigantibus munera, & contrarium facientibus imponit graues pœnas, & tandem hæc verba ſubiungit. Iurent omnes iudices & tabelliones aut notarij ſe obſeruaturos has dictas ordinationes, & ſoluturos pœnas prædictas, ad quas ex tunc eos condemnamus, ita vt ſint obligati in foro conſcientiæ ad ſoluendum eas, abſq; hoc quod vltra ad eas condemnentur, quãuis crimen eorum ſit occultiſsimum. Hactenus verba legis. In D quibus verbis duo potiſsimum annotare oportet. Primum eſt, quòd hæc lex ſicut & præcedẽs dicit ſe obligare in conſciẽtia reos ad pœnas in illa decretas, abſq; hoc quòd oporteat eos iterum cõdemnari ad eas. Alterum eſt, quòd dicit ſe obligare ad tales pœnas quãuis crimen cõmiſſum ſit occultiſsimum. Quibus verbis iterum indicauit ſe velle excludere aliam iudicis ſententiam: quoniam talis dari non poteſt ab homine circa crimen occultũ, quod teſtibus probari non poteſt. Et hæ duæ leges ſufficiũt ad teſtimonium huius quod in hoc ſecundo modo ſententiæ latæ diximus. Si quis adhuc tertium deſiderat teſtimonium videat in eodem ſecundo libro, titulo finali, legem finalem. Quæ tria teſtimonia apertiſsime conuincunt eos qui docent nullam legem pœnalem obligare reum in foro cõſcientiæ ad pœnam ſine iudicis ſentẽtia. Nihil enim apertius dici poteſt,

quàm

A quàm quum dixit obligare in foro conſcientiæ. Si quis dicat hoc non poſſe lege humana ſtatui, ſuprà iam probáuimus oppoſitum in capitulo quinto huius libri ſecundi. Quia cùm neque lege naturali neque lege diuina ſit prohibitum poteſtati humanæ talem legem ſtatuere, conuincitur inde humanam poteſtatem poſſe talem legem ſtatuere; præſertim cùm talis lex (vt ſuprà capite quarto diximus) multum iuuet ad obſeruationem legis diuinæ, & aliarum legum humanarum.

Tertio modo conſtat legem aliquam continere ſententiam latam, & obligare in conſcientia illius tranſgreſſorem ad pœnam in illa expreſſam, ſi lex ipſa decernat vt nullus ipſius legis tranſgreſſorem abſoluere poſsit à delicto commiſſo, donec ille perſoluat pœnam pro delicto ab ipſa lege impoſitam. Sed talem legem laica poteſtas condere non valet. Quia poteſtas laica ſiue rex; ſiue Imperator non poteſt aliquid circa ſacramentalem peccatorum abſolutionem ſtatuere, augendo aut minuẽdo ſacerdotum poteſtatem circa illam. Non enim regibus aut imperatoribus, ſed ſolis ſacerdotibus dictum eſt: Quorum remiſeritis peccata, remiſſa ſunt, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Nec etiam poſſunt reges aut imperatores excommunicare, aut interdicere ſubditos ſuos. Quia non illis, ſed Petro dictum eſt: Quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlo: & quodcunq; ſolueris ſuper terrã, erit ſolutũ & in cœlo. Poteſtas regum & imperatorũ ideo laica dicitur: quia ad res Eccleſiaſticas, quales ſunt omnes illæ quæ ad ſacramenta vt fidem catholicam ſpectant, non dirigitur, ſed ad ſolas res forenſes, quæ ad pacificam populi gubernationẽ pertinent, reſpicit. Circa res quæ purè Eccleſiaſticę ſunt, inferiores ſacerdotibus ſunt reges & imperatores. Et in huiuſmodi rebus ego intelligo datũ eſſe regibus ſuperiorem illum ex ſacerdotibus qui erant in Anatoth cui dominus dixit: Conſtitui te ſuper reges & regna. Et inde apertiſsimè conſtat reges aut imperatores nõ poſſe ſtatuere legem, quæ ſacerdotibus alicuius peccati abſolutionem interdicat. Poteſtas autem Eccleſiaſtica hoc poteſt circa ſacerdotes illi ſubditos: quia & ſi illorum poteſtatem, quæ à theologis vocatur poteſtas ordinis, nõ poſsit minuere: poteſt tamen minuere poteſtatem, quę ab eiſdem dicitur poteſtas

Tertius modus cognoſcendi ſentẽtiam à iure latam.

Ioan. 20.

B

Mat. 18.

Hiere. 1.

iuriſdictionis. Talem igitur poteſtatẽ minuendo efficiet, C
vt qui antè erant ſubditi alicui ſacerdoti, poſtea non ſint illi ſubditi. Et inde deducitur, vt ſuperior poſsit ſacerdoti inferiori interdicere alicuius peccati abſolutionem: quia ſic interdicens nihil aliud efficit, niſi quòd is qui erat ſubditus ſacerdoti, non ſit circa illud peccatum illi ſubiectus. Quum autem non fuerit illi ſubiectus, ſacerdos (vt conſtat) illum abſoluere non poterit: quia poteſtas ad abſoluendum vtranque in ſe complectitur poteſtatem, videlicet ordinis & iuriſdictionis. Solus igitur Summus Eccleſiæ Pontifex qui ſupremam in ea habet poteſtatem, poteſt omnibus aliis ſacerdotibus alicuius peccati abſolutionem interdicere. Et inde colligitur vt ille ſolus poſsit legem pœnalem ſtatuere, qua omni ſacerdoti prohibeat, vt nullus eiuſdem legis tranſgreſſorem abſoluere poſsit à delicto commiſſo, donec ille perſoluat pœnam pro delicto ab ipſa lege impoſitam. Talis eſt lex aut conſtitutio quæ habetur in capitulo Romana. §. Procurationes, de cenſibus, libro ſexto. In illo enim loco Innocentius Papa huius nominis quartus illius conſtitutionis conditor, modum vi- D
ſitationis tribuens Archiepiſcopo iuxta quem ſuam diœceſim & alias epiſcoporum ſuffraganeorum viſitare debeat, monet illum vt caueat ne ipſe vel quiſquam ſuorum aliquod munus quodcunque ſit, & qualitercunque offeratur, præſumat recipere, vt non quæ ſua ſunt videatur quærere, ſed quæ Ieſu Chriſti. Qua monitione & præcepto præmiſſo, tandem contra illius tranſgreſſorem pœnam imponens, hæc verba ſubnectit. Quòd ſi fuerit contra præſumptum, recipiens maledictionem incurrat, à qua nunquam, niſi duplum reſtituat, liberetur. Hæc ibi Innocentius. In quibus verbis duo potiſsimum annotare oportet. Primum eſt, quod ait illius conſtitutionis tranſgreſſorem incurrere maledictionem. Per quod verbum apertè declarauit conſtitutionem illam obligare ad peccatum mortale. Quia nullus incurrit maledictionem niſi per peccatum mortale. Nam qui in gratia exiſtit Dei benedictionem ſecum portat. Quam benedictionem quiſquis habuerit, illa permanente maledictionem incurrere non poteſt. Alterum eſt, quod à tali maledictione abſolui non poteſt, niſi duplum reſtituerit. Et in hoc verbo conſtitutio

illa

A illa apertè oſtendit ſe eſſe pœnalem, & latam continere ſententiam, quæ in foro conſcientiæ obliget reum ad pœnam in illa expreſſam. Nam quiſquis in peccato & maledictione exiſtit, obligatus eſt in conſcientia, vt aliquando ſui peccati abſolutionem petat. Talem autem abſolutionem (vt prædicta conſtitutio docet) impetrare non poteſt niſi duplum reſtituat: ergo obligatus eſt in conſcientia ad duplum ſoluendum. Et certè hæc conſtitutio perfectè conuincit falſam eſſe opinionem illorum qui dicunt nullam legem pœnalem obligare in conſcientia reum ad pœnam ante iudicis ſententiam. Quoniam hæc conſtitutio tam apertè probat contrarium, vt nullum vel mediocri reſponſioni relinquat locum. Et ne hæc ſola in hoc genere putetur, aliquas alias ſimiles conſtitutiones profero à Martino Papa huius nominis quinto, æditas inter illas conſtitutiones quas pro vniuerſitate ſtudij Salmanticenſis ſtatuit. Nam in capitulo xviij. illarum conſtitutionum vbi de examine bacalariorum differit, poſtquam præcipit vt bacalarius examinandus interrogetur ſub iuramento an B aliquid dederit aut promiſerit ratione ſui examinis tandem hæc verba ſubiungit. Vbi bacalarius examinandus interrogandus à ſcholaſtico ſub iuramento, reſponderit ſe aliquid dediſſe vel promiſiſſe ratione vel ex cauſa licentiæ obtinendæ, ſeu aliàs quoquo modo conſtare poterit, Scholaſticus ipſum repellat penitus, vt indignum ab examine præfato, & per duos annos ab ingreſſu examinis & licentia obtinenda ſit ſuſpenſus. Nec quouſque rectori tantum quantum confeſſus vel conuictus fuerit ſe promiſiſſe, vel dediſſe pro dicto examine in Vniuerſitatis vſibus conuertendum ſoluerit ad dictum examen aliquatenus admittatur. Recipientes etiam duplum eius quod receperint reſtituant. Aliàs ipſo ſententiam excommunicationis incurrere volumus ipſo facto, à qua nequeant abſolui niſi triplum eius quod receperint dicto rectori, reſtituant ſimiliter in Vniuerſitatis vſibus conuertendum. Hactenus verba conſtitutionis Martini Papæ. In quibus duo præcipuè ſunt annotanda. Primum eſt, vbi de crimine bacalarij examinandi loquens dicit, quòd ſi quouismodo conſtiterit de crimine ſit ſuſpenſus ab ingreſſu examinis & licentia obtinenda. Non dicit eſſe neceſſariam iudicis ſenten-

tiam declarantem crimen fuiſſe perpetratum, ſed ſatis eſſe dicit, vt quouismodo ſiue per confeſsionem, ſiue per teſtes, ſiue per rei euidentiam de crimine conſtet. Alterum annotatione dignum eſt, quòd vt pœna per talem conſtitutionem impoſita, plenum ſortiatur effectum ſine aliqua alia iudicis ſententia, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrere præcipit illos, qui talem pœnam reddere noluerint: & quòd ab illa abſolui non poſsint, niſi triplum eius quod receperint, reſtituant. Tam apertum eſt hoc pro mea ſententia teſtimonium, vt nihil videam quid reſpondere poſsint illi, qui contrariam tuentur ſententiam. Alteram profero ex eiſdem Martini Papæ conſtitutionibus huic proximæ ſimilem. Nam in cap. xxj. illarum conſtitutionum præcipit Papa, vt lector ſiue magiſter concubinam publicè tenens ad nullos doctorales ſeu magiſtrales actus quamdiu illam tenuerit, admittatur: & ſi cathedram cum ſalario habuerit, cathedram & illius anni ſalarium amittat. Officialis verò Vniuerſitatis, officium & illius anni ſalarium amittat. Licentiatus à receptione doctoratus ſit per duos annos ſuſpenſus: bacalarius ad licentiam obtinendam non admittatur, quamdiu illam tenuerit. Studentibus autem tempus per quod illam tenuerint, non computetur ad gradum bacalariatus aſſequendum. Et vltra has pœnas tam bacalarij quàm licentiati quàm alij ſtudentes pœnam duorum florenorum hoſpitali ipſius ſtudij applicandorum, pro quolibet menſe quo illam tenuerint, rectori ſine quauis remiſsione ſoluere teneantur. Poſtquam has omnes ſtatuit pœnas, hæc quæ ſequuntur verba ſubiungit. Rectorem verò, ſcholaſticum doctorem, magiſtrum & adminiſtratorem vniuerſitatis præfatæ qui aliquem contra huiuſmodi ſtatuta ad prædictos gradus ſeu lecturas ſciẽter admiſerit, receperit, approbauerit, ac penſionem ſoluerit, ſententiam excommunicationis incurrere volumus ipſo facto, à qua abſolui nequeãt donec eorum quilibet decem duplas caſtellanas vniuerſitati ipſi numerando perſoluerit realiter & cum effectu. Et vltra huiuſmodi excommunicationis & decem duplarum pœnas adminiſtrator contra prohibitionem præſentem ſtipendiatis ſoluendo veniens, tantum de propriis bonis eidem vniuerſitati ſoluat, quantum concubinariis huiuſmodi

A modi de ſalario reddiderit, nulla ſibi aut alicui ex prædictis remiſsione aliquatenus profutura. Hæc Martinus Papa in ſuis conſtitutionibus. Tertiam denique profero eiuſdem Martini papæ his proximis ſimillimam conſtitutionem. In capit.xxiij.illarum conſtitutionum idem pontifex ſtatuit, vt nullus doctor, aut magiſter, aut licentiatus, aut bacalarius, aut ſcholaris, aut alicuius iſtorum familiaris poſsit coram alio iudice ſiue ciuiliter ſiue criminaliter conueniri, niſi coram Salmanticenſi ſcholaſtico. Qua data conſtitutione ſtatim contra tranſgreſſores pœnam ſubnectit huiuſmodi verbis, ſic inquiens. Si quis autem præſentis conſtitutionis & ordinationis violator extiterit, ipſum pœnas ſtatutas in capit. Si diligenti, de foro competenti, & viginti florenorum hoſpitali ſtudij applicandorum etiam ſi iudex fuerit, incurrere volumus ipſo facto. Et ſi requiſitus per Rectorem vel alium loco eius infra quindecim dierum ſpacium ſoluere malitioſè, aut diligenter diſtulerit ipſo facto eum excommunicationis vinculo innodamus, à qua taliter innodatus abſolui non poſſit, donec prædictam pœnam ſoluerit, vel infra breue tem-
B pus à Rectore præfato, conſiderato delinquente, præfigendum, cautionem de ſoluendo præſtiterit ſufficientem. Hactenus ex conſtitutionibus Martini Papæ. Et de his omnibus cõſtitutionibus nullus merito dubitare poteſt, an obligent in conſcientia illarum tranſgreſſores ad pœnas in illis contentas abſque aliqua alia iudicis ſentẽtia. Quia cùm tranſgreſſor illarum non poſsit abſolui à crimine tranſgreſsionis niſi pœnam in conſtitutione ſtatutã ſoluat, conuincitur inde apertiſsimè illum teneri in conſcientia, ad talem pœnam ſoluendam abſque alia iudicis ſententia. Et vt rem hanc apertiorem faciamus, ponamus Petrum feciſſe contra aliquam prædictarũ conſtitutionum Martini Papæ, & nunquam iudicem declaraſſe, nec in poſterum declaraturum quòd Petrus Papæ conſtitutionem fuerit tranſgreſſus. In tali rerum euentu dico Petrum teneri in conſcientia ad pœnam cõſtitutionis ſoluendam. Nam Petrus tenetur in conſcientia ſui criminis abſolutionem impetrare, ergo tenetur in conſcientia pœnam in conſtitutione contentam ſoluere. Conſequentia inde apertiſsimè conſtat eſſe bona, quòd (vt ipſamet conſtitutio præcipit) non poteſt talem

talem peccati abſolutionem obtinere, niſi prius pœnam C à conſtitutione decretam ſoluat. Et certè ego non video quo pacto huic argumento reſpondere poſsint, qui dicunt nullam legem pœnalem obligare in foro conſcientiæ ad pœnam in illa contentam: niſi fortè dicant Martinum Papam non potuiſſe tales obligationes ad pœnas imponere, & ita erraſſe cùm tales cõſtitutiones condidit. Hoc autem dicere vt firmiſsimè credo vehemẽter formidabunt, hi qui nobis contrariã in hac parte tuentur ſentẽtiam. Quoniam hi omnes ex eorum numero ſunt, qui Papæ poteſtatem potius augere, quàm minuere ſemper contendunt.

Quartus modus cognoſcendi ſentẽtiam à iure latam.

Quarto modo lex pœnalis oſtendit apertè ſe continere ſententiam latam, & per conſequens obligantem in foro conſcientiæ ad pœnam in illa ſtatutam, ſi illis verbis præſentis temporis & indicatiui modi vtatur, quibus vtitur iudex cùm ſententiam contra reum profert condemnando illum ad pœnam. Iudex ſententiam proferens contra reum hæc aut ſimilia verba profert. Excommunico, interdico, ſuſpendo, priuo, relego, damno, condemno te, aut præcipio tibi, vt hoc vel illud facias. Si igitur lex his verbis aut aliis ſimilibus præſentis temporis indicatiui modi vtatur, ſine D dubio vllo latam continebit ſententiam obligantem in conſcientia reum ad pœnam in illa contentam. Si enim lex ſic dicat. Excommunicamus, aut ſuſpendimus, aut priuamus dominio bonorum ſuorum, aut damnamus ad talem pecuniæ mulctam eum qui hoc, aut illud crimen commiſerit, ſententia eſt ab ipſa lege lata. Nam ſi tali lege ſtante adhuc neceſſaria eſſet ſententia iudicis quæ reum condemnaret, vt Caietanus in ſua ſumma dicit, ſequeretur falſum eſſe quod ipſa lex dicit. Nam falſum eſſet quòd lex priuat aut damnat reum ante iudicis ſententiam, ſi illa ſemper eſſet neceſſaria ad rei condemnationem. Vt igitur omnem falſitatem à lege propellamus, oportet vt rem ita fieri dicamus quemadmodum lex ipſa exprimit. Lege ergo ſic dicente. Excommunicamus eum qui manus violentas in clericum iniecerit, quiſquis tales manus in clericum iniecerit, erit ſtatim per legis ſententiam excõmunicatus. Si lex ſic diceret. Priuamus dominio bonorum ſuorum eum qui hominẽ occiderit, quiſquis hominem occiderit, erit eo ipſo per legis ſententiam priuatus dominio

A dominio bonorum ſuorum, abſque aliqua alia iudicis ſententia. Talibus verbis vtitur Papa in capitul. Excommunicamus, primo & ſecundo, de hæreticis. Nam in primo capitulo ſic ait. Excommunicamus & anathematizamus omnem hæreſim extollentem ſe aduerſus hanc ſanctam, orthodoxam & catholicam fidem quam ſuperius expoſuimus, condemnantes hæreticos vniuerſos quibuſcunque nominibus cenſeantur. In alio autem capitulo, hæc quæ ſequuntur verba continentur. Excommunicamus & anathematizamus vniuerſos hæreticos. & cæt. Quæ iſtorum duorum capitulorum verba (vt omnes concorditer docent) apertiſsimè ſententiam proferunt à iure latam, & non à iudice ferendam. Similia verba ſunt quibus vtitur Papa in capit. Vel non, de temporibus ordinationum, vbi loquens de puero tredecim annorum à quodam epiſcopo in diaconum ordinato, hæc ait. Quem ab officio diaconatus vſque ad ætatem legitimam in iniuriam ſuſpendimus ordinantis. Hæc verba (vt notum eſt) ſententiam continent à iure latam. Et inde ſequitur vt qui infra ætatem debitam ordinatus eſt, ſicut peccauit mortaliter ordinem recipiens, B ita etiam eundem ordinem exercens, quia ab illius ordinis exercitio ipſo iure ſuſpenſus eſt. In capit. Dilectus, eodem titulo. Similibus etiam verbis vtitur Papa contra epiſcopum, qui tres ſacros ordines eodem die cuidam canonico conceſsit. Sic enim ait. Ipſum tandiu ab ordinandi ſuſpendimus poteſtate, donec noſtram meruerit gratiam obtinere. Quæ verba manifeſtè ſententiam exprimunt à iure latam. Sed de his verbis declaramus, decernimus, definimus, cenſemus, iudicamus & aliis ſimilibus verbis, quæ potius actum declarationis quàm damnationis ſignificant: meritò dubitari poteſt, an lex quæ talibus verbis vtitur, ſententiam contineat latam, an à iudice ferendam. De qua re prout ego ſentio non poteſt certa & vniuerſalis regula dari, ſed inſpiciendæ ſunt aliæ voces quæ poſt talia verba ſubiunguntur, & iuxta illorum qualitatem & conditionem erit de talibus verbis cenſendum. Si poſt talia verba actum declarationis aut definitionis ſignificantia, ſequatur verbum præſentis aut participium præteriti temporis importans pœnam aliquam, tunc ſine dubio talis lex dicetur continere ſententiam latam. Vt, gratia exempli,

exempli, ſi lex aut conſtitutio dicat. Qui hoc aut illud C
crimen commiſerit, declaramus aut cenſemus eſſe eum excommunicatum, aut amiſiſſe dominium bonorum ſuorum, aut eſſe infamem, lex erit quæ latam contineat ſententiam. Imò per talia verba videtur lex excludere iudicis ſententiam tanquam non neceſſariam. Nam quod ſemel à lege declaratum aut definitum eſt, non eſt opus iterum per hominem declarari aut definiri. Talibus verbis vtitur Papa in capitul. Nouit, de his quæ fiunt à prælato, vbi ſcribens Hieroſolymitano patriarchæ, qui ſine conſenſu ſui capituli abbates & abbatiſſas, & alias Eccleſiaſticas perſonas inſtituebat, & deſtituebat, ſic ait. Nos enim tales inſtitutiones & deſtitutiones carere decernimus robore firmitatis. In quibus verbis (vt gloſſa ibidem docet) ſententia à iure lata manifeſtatur, propter id quod ait, carere decernimus. Et ſimilia verba ponuntur in capitulo primo, de ſchiſmaticis & ordinatis ab eis. Ad hoc caput referri poſſunt dictiones illæ per quas lex præcipit iudici, vt declaret reum incurriſſe in pœnam, ſic dicendo. Denuncia talem eſſe excõmunicatum, aut declara illum eſſe ſuſpenſum, aut declara illum eſſe priuatum dominio bonorum D
ſuorum. Nam quum per illa verba lex committat iudici non ſententiam condemnatitiam, ſed executionem aut declarationem ſententiæ, ſatis apertè indicat ante talem iudicis declarationem ſententiam eſſe iam à iure latam. Aliàs iudex ſententiæ declarationem proferens, falſum diceret declarando excommunicatum aut ſuſpenſum eum, qui non eſſet excommunicatus neque ſuſpenſus. De hac re habemus exemplum in capitul. Tam literis, de teſtibus, vbi licet illi de quibus textus loquitur non eſſent per aliud ius ſuſpenſi, tamen Papa committendo executionem ſuſpenſionis, per illa verba apertè indicat ſe ſuſpendere illos. Sic enim ait. Ab officio & beneficio denuncietis eſſe ſuſpenſos donec mereantur noſtram indulgentiam obtinere. In quibus verbis cùm non præcipit vt ſuſpendat, ſed vt denunciet eſſe ſuſpenſos, conſtat latam eſſe ſententiam.

De

A *De alijs quatuor modis quibus oſtenditur legem pœnalem non ferendam, ſed latam continere ſententiam.*

CAPVT VII.

VIDENS prolixam eſſe hanc rem, quæ inquirit de modis omnibus quibus cognoſci poteſt legem pœnalem cõtinere ſententiam latam, ne faſtidium tanta vnius capituli prolixitas præberet lectori, decreui hanc rem duobus capitulis partiri, ita vt vtroq; illorum quatuor tantum modi explicarẽtur, & ſic res tota duobus capitulis abſolueretur. Declaratis igitur quatuor modis in proximè pręcedenti capitulo, opus eſt vt reliquos quatuor in hoc capitulo explicemus. Quinto modo cognoſcitur legem aliquam continere ſententiã latam, ſi in illa ponantur verba per quæ reddatur irrita & inanis actio, aut paſsio quæ in pœnã criminis fuerat per ipſam legẽ interdicta. Vt autem quod dico clarius omnibus innoteſcat, volo de hac re, aliquas canonũ conſtitutiones, aut leges in exemplũ proponere. In cap. Statutũ. §. vltimo de reſcriptis, lib. vj. dicitur. Sit ipſo iure irritũ & inane. In cap. Fundamenta. §. Quòd ſi ſecus, de electione, lib. vj. habentur hæc verba. Irrita prorſus ex nunc & vacua nunciamus. In capit. Quorundam in fine, eodem titulo & libro dicitur. Omnino decernimus irritum & inane. In Clementina Paſtoralis, in fine, de ſententia & re iudicata ſic dicitur. Declaramus fuiſſe & eſſe omnino irritos & inanes. In Clementina j. de conceſsione prębendæ, dicit Papa. Ex tunc etiã inane decernẽtes & irritũ: & in cap. Quicunq;. §. Hæretici, de hæreticis lib. vj. habẽtur hæc verba. Quòd ſi ſecus actũ fuerit, ſit irritũ & inane. Et idem innuitur in cap. Cùm dilectus, de cõſuetudine, vbi Papa dicit iuſtitia exigente caſſaſſe electionẽ à ſuſpenſo factam. Nam per hæc verba apertiſsimè declarat electionem ab homine ſuſpenſo factã, irritam fuiſſe & inanem. In l. Statuimus, in fine. C. de epiſcopali audientia, dicitur. Ex tũc irritas decernimus & inanes. In his omnibus & aliis ſimilibus legibus & conſtitutionibus apertiſsimè per illa verba declaratur ſententiam eſſe latam. Sed quia multæ ſunt & variæ voces

Quintus modus cognoſcendi ſententiã à iure latam.

B

quibus

quibus leges aut conſtitutiones ſolent declarare irritum C eſſe, aut inane, quod contra legem actum eſt: ideo omnes illas quas mihi memoria ſuggeſſerit hîc recenſere curaui, & ex illis poterit lector de aliis ſi quas fortè omiſerim, facilè iudicare. Hæc verba, careat viribus aut non obtineat vires, aut careat omni robore firmitatis, aut alia ſimilia denotant latam eſſe ſententiam. Talia verba habentur in capit. Ad aures, de reſcriptis, & in capit. Decet. §. vltimo, de immunitate eccleſiarum libro ſexto, & in clem. Quia contingit. §. Vt autem, de religioſis domibus. In his locis & in omnibus aliis ſimilibus lata habetur ſententia, quæ ad ſui executionem non requirit aliam iudicis ſententiam. Nam ſi quid cõpeteret parti ad quod tollendum neceſſaria eſſet iudicis ſententia, non careret omni robore & firmitate, & omnibus viribus. Firmitatem enim aliquam, aut vires aliquas conſtat habere id, ad quod deiiciendum eſt neceſſaria iudicis ſententia aut aliquod aliud adiutorium. Felinus in dicto cap. Rodulphus, poſtquam dicit prædicta verba continere ſententiam latam, hoc dictum per ſequentia verba temperat. Niſi proferretur (inquit) in materia in qua per alia iura eſſet declaratum quod non irritaretur actus ipſo D iure, puta in literis ad lites in quibus eſt declaratum quòd ſurreptio non vitiet ipſo iure, vt habuimus ſuprà capit. Ad audientiam. ij. Tunc ſi qua iura dicunt, viribus careant, intelligitur ope exceptionis: & ita loquitur capit. Cæterùm, in verbo nullam iuris firmitatem obtineant. Hæc Felinus.

Felinus in capit. Rodulphus, de reſcript. nume. 27.

In illis tamen verbis videlicet careat viribus aut roboris firmitate, hoc annotare oportet, quòd ſi illa verba vim latæ ſententiæ continere dicimus, non ideo ſolum hoc ita eſſe credimus, quia verba hæc videlicet, vires, aut robur, aut firmitas ponuntur poſt verbum careat. Nam licet nullum horum verborum illic apponatur, ſed ſola verba denotantia rem qua quis priuari debet, ponantur poſt hoc verbum careat, ſententia lata per talia verba declaratur. Vt, gratia exempli, ſi lex dicat, Careat omni priuilegio, omni iure, aut actione, aut commodo, aut honore, aut dominio. In omnibus his verbis declaratur eſſe ſententia lata. Dominicus de ſancto Geminiano in capitulo primo, de clericis coniugatis libro ſexto, dicit quòd hoc verbum careat, totalem denotat priuationem, per notata per gloſſam in

Clem

A Clemētina,In plerisq;,de electione. Et meritò ita dixit,quoniam hoc verbum,careo,ſicut quodlibet aliud priuationem ſignificans,in quocunq; tempore ponatur , habet latentem vim negationis incluſam. Et ob hanc cauſam Dialectici docent omnia talia verba habere vim & poteſtatem ſigni vniuerſalis,& propterea diſtribuere(ſic enim illi loquūtur) nomen quod ab aliquo illorū verborū regitur. Et ita docēt illi idē eſſe,ſi quis dicat,careat viribus, ac ſi diceret , careat omnibus viribus , aut ſi dicat , omnino careat viribus. Et inde conſtat ſuperfluas eſſe diſputationes , quas iuriſperiti facere ſolent de huiuſmodi dictionibus, Prorſus,penitus, omnino. Quoniam nulla iſtarum dictionū ponitur in aliqua lege ad irrogandum pœnā,niſi in illa ponatur negatio aperta, aut verbum quod negationem in ſe latentem cōtineat. Idem igitur eſt dicere , careat , & omnino careat, aut prorſus careat,aut penitus careat.Nam in cap.j.de chiſmaticis & ordinatis ab eis,habentur hæc verba. Qui dignitates eccleſiaſticas ſeu beneficia per dictos ſchiſmaticos acceperint , careant impetratis. In quibus verbis ſententia exprimitur lata , quamuis non ponatur hæc dictio , omnino,

B aut prorſus. Et idem per omnia dicendum erit , ſi illæ dictiones iungantur cum aliis verbis priuationem ſignificantibus , vt ſunt , priuari , ſpoliari. Hæc enim verba ; & ſi quæ ſunt alia illis ſimilia , idem prorſus ſignificant per ſe poſita , ac ſi illis iungantur illæ prædictæ dictiones quæ ſolent eſſe vniuerſalitatis ſigna. Vbi autem totalis eſt priuatio , neceſſe eſt priuationem ipſo iure induci : quia qui totum dicit, nihil excludit. Ex quo apertè deducitur canones ſequentes latam continere ſententiam.Cap. Quiſquis, de electione, vbi ait , electionis commodo careat. Capit. Ne pro defectu,eodem titulo,in verbis quibus ait , eligendi poteſtate careant ea vice. & continuo ſequitur , ac ipſa eligendi poteſtas ad eum qui proximè præeſſe dignoſcitur deuoluatur. Per quæ poſteriora verba apertè declaratur priora illa verba,eligendi poteſtate careant,latam cōtinere ſententiam.Audio eſſe aliquos iuriſperitos qui docent contrarium,vt puta Hoſtien.in capit.Nouit,de his quæ fiunt à prælato: Vbi tenet contra gloſſam ibi:& idem in cap. vltimo de reſcriptis:& Baldus in eodem capitulo:qui hæc verba illius capituli,omnimodo careant , ſic exponunt & in- *Hoſtiēſis.* *Baldus.*

terpretantur, ſcilicet per ſententiam. Ad hoc autem di- C
cendum hac ratione perſuadentur, quòd ſæpe cum hoc ver bo, careat, ponuntur aliæ dictiones ſententiam latam declarantes: quas non eſſet opus addere, ſi illud verbum ſe ſolo ſufficeret latam exprimere ſententiam. Nam in capitul.ij.de ætate & qualitate dicitur, omnino viribus carere: & in capitul. j. de poſtulatione prælatorum, libro ſexto, ponuntur eadem verba: & in cap. j. de vita & honeſtate clericorum ponuntur hæc verba, Ipſo iure careant. Non autem fuiſſet neceſſarium dicere, Ipſo iure, ſi illud verbum, careant, ſatis eſſet per ſe ſolum ad latam exprimendam ſententiam. Sed re vera (vt ingenuè loquar) leuiſsimum eſt hoc argumentum, & indignum vt propter illud tales & tanti viri moueri debuiſſent ad prædictam ſententiam aſſerendam. Nam ſi hæc ratio alicuius eſſet momenti, oporteret etiam propter illam dicere has dictiones, non valeat, non dicere ſententiam latam, cuius contrarium eſt concorditer ab omnibus receptum, vt ſtatim dicemus. Conſequentiam autem probo per capi. j. de reſcript. libro. vj. Vbi ponuntur hæc verba ſimul, Ipſo iure non valeat. At ſi hæc verba, non valeat (vt illi D
argumentantur) ſola ſufficerent latam exprimere ſententiam, non fuiſſet opus addere alia duo verba, videlicet ipſo iure. Sed licet illa verba aut alia ſimilia quæ apertè latam inducunt ſententiam in illo loco, aut quouis alio ponantur, non ideo conuincitur vt reliqua omnia, quæ cum illis iunguntur, per ſe non ſufficerent latam declarare ſententiam. Nam ſæpe multæ tales dictiones ſimul in eadem lege aut conſtitutione iunguntur, non quòd earum quælibet non ſit ſatis ad efficiendum latam ſententiam: ſed vt certius & apertius declaretur ſententiam eſſe latam in tali lege aut conſtitutione. Hoc enim apertè annotauit gloſſa in ſimili alia re, in cap.Licet canon, in principio, de electione libro vj. vbi hæc dicit. Nec fuit hoc propterea ſuperfluum, cùm clarius exprimat. Accedit ad hæc quòd nonnunquam videmus duas & tres dictiones latæ ſententiæ, in eodem textu ſimul coniungi. Nam in capit. Cùm ex eo, in fine. de electione libro ſexto, ponuntur ſimul hæc verba. Ex tunc dictam pœnam ipſo iure ſe nouerint incurſuros. In quo verborum contextu, hæ
duæ

A duæ voces, ex tunc, & ipſo iure, latam ſentẽtiam inducunt, etiam ſi ſeorſum earum quælibet poneretur. Et in cap. Excommunicamus. §. Credentes, de hæreticis, quatuor dictiones quarum quælibet ſe ſola ſufficeret latam exprimere ſententiam, ſimul in eodem verborum contextu iunguntur. Sic enim illic dicitur. Ex tunc ipſo iure ſit factus infamis. Nam præter has dictiones, ex tunc, & ipſo iure, de quibus iam diximus, hoc verbum, ſit & participiũ præteriti temporis, factus, (vt poſtea dicemus) latam apertè indicant ſententiam. Oporteret igitur, ſi ratio Hoſtienſis & Baldi eſſet efficax, nullam iſtarum quatuor dictionum, quas nunc memorauimus, eſſe ſufficientem ad latam ſententiam exprimendam: quia cum qualibet illarum ponitur alia quæ ſe ſola ſufficeret, latam oſtendere ſententiam. Ea igitur ratione qua vnam excluſeris, alterã quamlibet excludere teneberis. Et poſſunt etiam pro eiuſdem rei teſtimonio adduci ferè omnes illi textus quos in principio huius quinti paragraphi principalis citauimus. Quia ferè in omnibus illis ponũtur ſaltem duæ dictiones ſimul, quarum quælibet ſeorſum ſufficeret latam inducere ſenten-
B tiam: nec tamen ideo alia ſuperfluit, quum ad maiorem declarationem ſit addita. Nec miretur aliquis quòd hoc in humanis literis accidat, cùm idem in diuinis literis ſæpiſsime contingat, in quibus impiũ eſſet dicere aliquid eſſe ſuperfluum. Nam propheta regius de verbis Chriſti ſaluatoris noſtri prophetice loquens, dixit. Et folium eius non *Pſal. 1.* defluet. Quòd autem verba idem ferè ſignificantia ſimul in eodem verborum contextu iungantur in ſacris literis, multis teſtimoniis probari poteſt. Ecce enim (inquit prophe- *Pſal. 50.* ta) In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. In quo verſu conſtat idem in ſecunda parte exprimi, quod in priore verſus parte dictum fuerat. Et in alio pſalmo idem propheta ait. Deus tu ſcis inſipientiam *Pſal. 68.* meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita. In quo verſu, beato Auguſtino ita interpretãte, ſecunda pars apertius declarat id, quod in prima parte obſcurius fuerat dictum. Nam quod in prima parte appellauit inſipientiam, in ſecunda parte vocauit delicta. Et in illo loco admonet beatus Auguſtinus hoc ſæpe in ſacris literis contin- *Auguſtinus.* gere. Nullus ergo admirari debet, ſi in textibus canonum

aut legum dicamus, multas aliquãdo dictiones ſimul coniungi, quarum quælibet ſeorſum ſufficeret latam inducere ſententiam; quia ad certiorem & maiorem latæ ſententiæ declarationem factum eſt. Hac igitur occaſione oblata, decreui admonere in genere lectorem, vt nunquam hoc ſolo argumento moueatur ad dicendum, aliquam dictionem non exprimere ſententiam latam, propterea quòd cum illa coniungitur alia dictio, quæ apertiſsimè indicat ſententiam latam. Quia multæ tales dictiones (vt nunc diximus) coniunguntur ad maiorem rei explicationem. Hac igitur dictione tam prolixè declarata, oportet vt ad reliquas ſimiles, quę actionem oſtendũt eſſe irritam & inanem interpretandas, noſtram reducam diſputationem, & celerius de his, quæ ad ſingulas earum pertinent, differam. Hoc verbum, valeat, ſi ponatur cum dictione aliqua vniuerſali negatiua, quæ illud afficiat, ſic dicendo, non valeat, aut nullo modo valeat, aut nullatenus valeat, aut nihil valeat, ſemper denotabit ſententiam latam. Et hoc verum eſt, etiam ſi tale verbum ponatur in futuro tempore, quod aliàs ſolet denotare ſententiam ferendam, vt capite primo huius ſecũdi libri diximus. Hoc docet gloſſa in cap. Si cui, in verbo, non valere, de electio. libro ſexto. Et gloſſæ conſentiunt Dominicus, & Philippus Francus in eodem loco. Et hinc deducitur, ſequentes textus continere ſententiam latam. In cap. Quia propter, de electione, ſic dicitur. Aliter electio facta non valeat. Cap. Quanquam, circa finem, de vſuris libro ſexto, hæc in ſe continet verba. Teſtamẽta aliter facta non valeãt, ſed ſiunt irrita ipſo iure. In Clemen. j. §. Propter quod, de hereticis, ponitur hoc verbũ, valere, in futuro tempore, ſic dicendo. Non valebit, & ſi ſecus præſumptum fuerit, nullum ſit, & irritum ipſo iure, In l. Si libertus, ff. de iure patronatus, dicitur, Ipſo iure non valebit, In modo infinitiuo ponitur in cap. Ex parte, in fine de arbitris, ſic dicendo. Penitus non valere. In l. Labeo. ff. de operis libertorum, dicitur. Ipſo iure non valere. Nec opus eſt plura exempla proferre, quia ſatis ſuperque ſunt, quæ nunc protulimus, In omnibus his & aliis ſimilibus, prout mihi videtur, lata ſemper exprimitur ſententia. Hoc tamen, quod dicimus de his duabus vocibus, Non valeat, Felinus in cap. Rodulphus, de reſcript.

Dominicus. *Felinus.*

numero

A numero 24. dicit non eſſe verum, ſi illæ voces ponantur propter ſolemnitatem omiſſam, quæ poteſt interuenire poſt actum: quia tunc (vt ait) non denotat ipſo iure, ſed per ſententiam. Et pro ſua ſententia citat Bartolum in l. vniuerſa.C.de precibus Imperatori offerendis. Quo loco Bartolus (vt ego cenſeo) dicit, quòd ſi lex dicit aliquid non valere propter aliquod omiſſum; quod faciendum erat poſt ipſum actum, illud non vitiat ipſo iure. Sed ſi diceret non valere ſi quid ſit omiſſum, quod in ipſo actu fieri debet, vitiat ipſo iure. Quæ diſtinctio mihi valdè placet, propterea quòd eſt rationi conſentanea. Sunt aliqui viri in vtroque iure peritiſsimi, qui (vt audio) ſentiunt hoc verbum, valeat, in quocunque tempore & modo, quamuis cum negatione vniuerſali ponatur, ſemper dicere ſententiam ferendam, niſi aliud illi addatur, quod conuincat latam illic haberi ſententiam. Et ad hoc dicendum, nullam aliam adducunt rationem, niſi illam, quam nunc proximè confutauimus, quia videlicet in multis textibus poſt verbum, valeat, adduntur aliæ dictiones; quæ ſine dubio latam inducunt ſententiam. Hoc autem (vt dicunt) non fie- Bartol.

B ret, niſi illa verba, nihil valeat, aut non valebit, per ſe ſufficerent latam inducere ſententiam. Quanti momenti ſit hæc ratio, iam proximè ſuprà oſtendimus, & ideo non eſt opus repetere, ne actum agamus. Et certè ipſamet verba, ſi diligenter expendantur, & eorum ſignificatio attentè conſideretur, ſtatim cognoſcetur illa non ferendam, ſed latam indicare ſententiam. Falſum enim eſſet dicere, quòd nihil valet, aut quòd non valet, aut quod nullatenus valet id, ad quod tollendum neceſſaria eſt iudicis ſententia. Aliquid certè, imò multum valet, quòd ſemper antequam iudex ſententiam proferat, valorem retinet. Et ob hanc cauſam etſi viri illi in vtroque iure doctiſsimi ſint, qui contrarium docent, ego in hac parte illis acquieſcere non poſſum. Præſertim quia quæſtio hæc de dictionibus exprimentibus latam aut ferendam ſententiam, potius ad veros & perfectos grammaticos aut dialecticos; qui veram dictionum ſignificationem conſequuntur, quàm ad iuris peritos expectat. Nam ipſoſmet viros in iure doctiſsimos, cùm de hac re diſſerunt, video grammaticos authores, & deinde poëtas & oratores citare, vt illorũ teſtimonio pro-

bent talem eſſe vim ſignificationis in dictionibus, de quibus diſſerunt, qualis oportebat eſſe in illis, vt ferendam aut latam exprimerent ſententiam. Vbi aliquid in iure definitum eſt circa alicuius dictionis ſignificationẽ, aut ex illis, quę alibi à iure definita ſunt, aliquid apertè cõuinci poteſt, libentiſsimè iuriſperitorum ſententiam audiam, & illorum requiram conſilium. Vbi autem iura nihil definiunt, & rei de qua tractatur, notitia ex alia pendet diſciplina, iuſtum eſt vt iuris periti, etſi in ſua re doctiſsimi ſint, aliquid tamen à ſe putent eſſe alienum, & in negotio alieno illos, ad quos ſpectat, conſulere non dedignentur. Cùm igitur ex vera & propria ſignificatione horum verborum, videlicet, non valeat, nihil valeat, nullatenus valeat, apertiſsimè cõnſtet, omnem prorſus valorem per illa excludi, nullo modo quis poterit mihi perſuadere, quòd per talia verba non exprimatur ſententia lata, niſi apertam mihi oſtenderet ex iure canonico aut ciuili definitionem, quæ decerneret illa verba non latã, ſed ferendam ſentẽtiam ſemper exprimere. Et idem per omnia dicendum eſt in verbo, agere, ſi præcedat negatio vniuerſalis, aut aliquid æquipollens, ſic dicendo. Nihil agit, aut nihil aget, in futuro, aut fruſtrà aget. Hoc enim apertiſsimè conſtat ex ipſa natura & proprietate negationis, quæ (vt dialectici aiunt) tam malignantis naturæ eſt, vt quidquid poſt ſe inuenerit ſemper deſtruat, nec aliquid incolume aut intactum relinquat. Felinus in illo ſæpe citato cap. Rodulphus, de reſcriptis, numero 32. citat Baldũ in l. finali. ff. de liberis & poſthumis, dicentem iudicium fundatum in libello inepto, eſſe nullum, propterea quòd in dicta l. dicitur, nihil agit. Et de hac dictione, fruſtrà, conſtat idem ſignificare, quod in vanum, & ſine vllo effectũ aut valore. Ex propria igitur illius ſignificatione conuincitur apertè illud aduerbiũ latam exprimere ſentẽtiam. Et ideo Felinus in d. c. Rodul. numero 30. dicit, quòd iudiciũ criminale factũ cum procuratore eſt ipſo iure nullũ: quia in l. pe. §. Ad crimẽ. ff. de iureiu. ponitur hoc aduerbiũ, fruſtrà. Idem prorſus cẽſeo dicendũ eſſe de hoc verbo, teneat, ſi illũ præcedat negatio vniuerſalis, vt in præcedentibus diximus. Ex quo conuincitur, ſententias latas contineri in textibus ſequentibus. In capit. Ad audientiam, de appellatio. In capit. Si duobus, eodem titulo.

Felinus.

C

D

In

A In cap. Si motu proprio, de præbendis, libro vj. Quo loco Dominicus de ſancto Gemi. in penulti. notabili dicit, impetrationem in caſu illius cap. eſſe ipſo iure nullam. Andræas Tiraquel. in illis commentariis ſuper l. Si vnquam, ſepe citatis, refert quoſdam iuriſperitos ſentire de hoc verbo, quòd non latam ſed ferendam denotet ſententiam: & poſtea ad confirmandum illorũ opinionem citat cap. Qualiter, de elect. & cap. Dilecti, de appella. in quibus duobus cap. ponuntur hæc verba, penitus non tenere. Et inde arguit illas duas dictiones, videlicet, non tenere, non plenè exprimere ſententiam latam. Quia, inquit, ſi illæ duæ dictiones ad hoc plenè efficiendum per ſe ſufficerent, non opus fuiſſet addere illud aduerbium, penitus, ſic dicendo. Penitus non tenere. Sed huic argumentationi præter hoc, quod iam bis reſpondi, aliter adhuc reſpondeo illam ex manifeſta ignorantia procedere: quia apertè oſtendit ſe prorſus ignorare, quanta ſit poteſtas huius negationis, non. Nam illa negatio, non, particulariter, ſed vniuerſaliter negat, etiam ſi poſt illam ſequatur dictio aliqua particularitatem B (vt ita dicam) ſignificans. Et ob hanc cauſam dialectici (vt proximè ſuperius diximus) illam dicunt eſſe malignantis naturæ, quia totum, quod poſt ſe inuenit, deſtruit. Idem enim eſt dicere, non eſt aliquis homo in eccleſia, ac ſi dicas, nullus homo eſt in eccleſia. Illa enim dictio particularis videlicet, aliquis, præcedente negatione fit vniuerſalis. Alioqui, cùm iuxta dialecticorum doctrinam non ſit verius contradicere, quàm toti propoſitioni negationem præponere, oporteret neceſſariò, vt hæ duæ contradictoriæ ſimul ſint aliquando veræ. Eſt aliquis homo in eccleſia, &, non eſt aliquis homo in eccleſia. Ne igitur rem tam abſurdam concedamus, neceſſarium eſt fateri, dictionem illam particularem, aliquis, præcedente negatione tranſire in vniuerſalem, & valere tantum, quantum hæc dictio vniuerſalis, nullus. Quæ omnia ad hunc finem direxi, vt inde oſtenderem, tantundem valere, ſi dicas, contractus non tenet, aut non tenebit, ac ſi dicas penitus non tenet, aut penitus non tenebit. Illud enim aduerbium, penitus, aut prorſus, additum huic negationi, non, nihil illam iuuat, nec tantillum illius poteſtatem auget: quoniam illo ſublato, ipſa ſe ſola ſufficit deſtruere quidquid poſt ſe

Dominic.

Tiraquellus.

inuenit : ſed additur ornatus cauſa, aut ad maiorem rei ex- C
preſsionem. Et inde apertè conuincitur, vt ſi hæc verba, penitus non tenent, aut non tenebunt, exprimunt latam ſententiam, etiam exprimant latam ſententiam, quamuis ſubtrahatur illa dictio, penitus. Et ob hanc cauſam idem ſine dubio erit dicendũ in verbo, habeat, & in verbo, obtineat, & in quocunq; ſimili alio verbo cuiuſcunq; temporis, ſi præcedat abſoluta negatio. Et hinc, ſicut ex multis aliis, conſtat, Dialecticam multum iuuare poſſe ad meliorem cuiuslibet alterius diſciplinæ cognitionẽ. Ad eundem modum dicendum eſſe cenſeo de aliis negationibus, quæ deriuantur ab iſta negatione, non, vt puta, nullus, nullatenus, nullo modo: quia omnes iſtæ negationes, eò quòd ex prima illa componuntur, & illam velut ſui partem in ſe continent, ſimilem per omnia habent poteſtatẽ, vt illa. Et hinc euenit, vt cuicunq; verbo cuiuſcunq; temporis iungantur, ſemper latam ſententiam denotent. De ſola hac dictione, nullus, hoc annotat gloſſa in cap. Innotuit, de electio. in verbo nullam eſſe. Quo loco dicit, quòd licet verbum infinitiui temporis ex ſua natura comprehendat omne tem- D
pus, & in dubio ſit ferende ſententiæ, vt capite primo huius ſecundi libri nos admonuimus, tamen propter hanc negationem, nullam, illi præpoſitam, dicit debere intelligi, ipſo iure, & latam indicare ſententiam. Quoties igitur lex aut conſtitutio aliqua dicit hæc aut ſimilia verba, cõtractus ſit nullus, ſententia ſit nulla, electio ſit nulla, matrimoniũ erit nullum, nullas vires habeat, ſemper in his omnibus & in aliis ſimilibus lata intelligetur ſententia. Et idem prorſus dicendum erit de aliis dictionibus ſimilibus, videlicet, nullatenus, nullo modo. De hac dictione, nullo modo, notat gloſſa in Clementina ij. de ætate & qualitate illam tantæ poteſtatis eſſe, vt omnem diſpenſationem tollat circa rem, quæ per illam prohibetur. Et Archidiaconus in cap. Quoniam, de immunit. eccleſiarum, libro vj. hoc idem dicit de hac dictione, nullatenus. Cum his omnibus dictionibus iam enumeratis, poſſunt etiam adiungi dictiones illæ, quæ exprimunt priuationem poteſtatis ad rem aliquam faciendam, aut recipiendam. Nam quum aufertur poteſtas, eo ipſo declaratur irritũ eſſe & inane id, quod ablata poteſtate fuerit factum. Vt ſi, gratia exempli, lex aut conſti-

Archidiaconus.

A tutio dicat, Qui tale aut tale crimen commiſerit, non poterit votum ſuũ alicui præſtare in electione aliqua, aut non poterit eligi, aut non poterit cõdere teſtamentum, aut non poterit hęres inſtitui: in his omnibus & aliis ſimilibus verbis exprimitur lata ſentẽtia, & declaratur ipſo iure eſſe nullum, ſi quid contra legis edictũ fuerit attentatum. Quia (vt dicitur de regu. iur. lib. vj.) quæ cõtra ius fiunt, debent vtiq; pro infectis haberi. De hac re hæc mihi occurrunt exempla, in cap. Excommunicamus primo. §. Credentes, de hæreticis, vbi hæc verba habentur. Sit inteſtabilis, hoc eſt, non poſsit condere teſtamentum. Alterum exemplum eſt in capitulo, Quiſquis, de electione. Vbi in pœnam illius, qui contra canonicam libertatem per ſecularis poteſtatis abuſum procurauit eligi, dicitur. Ineligibilis fiat, hoc eſt, non poſsit eligi. Et in cap. Felicis, de pœnis, lib. vj. dicitur. Sit inteſtabilis, vt nec teſtamenti liberam habeat factionem. In his omnibus ſententia exprimitur lata, quia per verba illa tollitur poteſtas ad faciendum aliquid illorum, quæ ibi declarantur. Nam verbalia nomina in bilis deſi-
B nentia, ſæpe ſolent ſignificare potentiam ad agendum aut patiendum. Viſibile enim dicitur id, quod videri poteſt, & homo dicitur riſibilis, quia potentiam habet, aut aptitudinem ad ridendum. Eodem modo inteſtabilis hic dicitur, qui teſtari non poteſt. Si quis illorum, de quibus ſtatutum illud loquitur, teſtamentum conderet, ipſo iure eſſet nullum: propter id, quod illic dicitur, ſit etiam inteſtabilis. Si quis etiam contra ſtatutum illius dicti cap. Quiſquis, delinquens eligeretur ad aliquam dignitatem, electio eſſet ipſo iure nulla, propter id, quod ait. Ineligibilis fiat. Gloſſa tamen hæc verba nõ conſiderans, ex aliis verbis illius cap. nititur probare in eo cõtineri ſententiam latam. Hactenus enumerauimus dictiones, per quas declaratur irritum eſſe & inane id, quod contra legem factum fuerit. De omnibus his dictionibus & aliis ſimilibus, ſi quæ fortè ſunt, dico illas ſententiam latam exprimere, & per conſequens obligare in conſcientia legis tranſgreſſorem ad pœnam in lege ſtatutam, etiam ante iudicis ſententiam, niſi fortè lex ipſa contrarium expreſsiſſet. Circa has omnes dictiones hoc vniuerſaliter annotare oportet illas ſemper ex ſua natura latam indicare ſententiam, etiam ſi poſt illas

ſequatur verbum futuri temporis, quod alibi ex ſua natura **C**
(vt capite primo huius ſecundi libri diximus) ſolet non
latam ſed ferendam propè ſemper exprimere ſententiam.
Circa illas etiam dictiones, quæ indicant opus contra legem, factum irritum eſſe & inane propter omiſsionem alicuius rei in lege ſtatutæ, duo notatu digna annotat Andræas Tiraquellus in commentariis ſuper l. Si vnquam. C. de reuocandis donationibus, in expoſitione huius verbi, reuertatur, numero 59. Quas duas annotationes (vt ſuum cuique honorem tribuam) volo verbis illius, nullo prorſus mutato, impræſentiarum referre. Hoc tamen intellige, inquit Tiraquellus, niſi huiuſmodi ſolemnitas, quæ omiſſa eſt, ſuppleatur in lege: tunc enim ipſius omiſsio nunquam reddit actum nullum. Aliàs ea ſuppletio eſſet ſuperuacanea. l. His verbis, cum lege ſequente, & quod ibi tradit Baldus in prima lectura, verſ. Item nota quod aliquid. ff. de adopt. & lege prima in principio. C. de rei vxoriæ actione. & expreſsè etiam voluit Franciſc. Aret. in capitulo. Super his, col. iiij. verſiculo, pro iſta opinione facit, extrà de accuſationibus. Intellige ſecundò in ſolemnitate formali, vt iam diximus, quæ videlicet **D**
debet interuenire in ipſo actu, ſecus in alia ſolemnitate, quæ poſt actum interuenire poteſt. Nam tunc illius omiſſio non vitiat ipſo iure, etiam ſi apponantur ea verba, aliàs non valeat. Vt voluit Bartolus in dicta l. Vniuerſa, & ibi etiam Baldus & Raphaël, & recentiores. C. de precibus Imperatori offerendis, & Bartolus in lege prima, col. vlti. in principio. ff. de teſtamentis. Hactenus Andræas Tiraquellus. Et de his ſatis me dixiſſe arbitror, & plus fortè quàm ad virum Theologum pertinebat.

Andræas tiraquel.

Sextus modus cognoſcendi ſentētiam à iure latam.

Sexto cognoſci poteſt, legem aliquam continere ſententiam latam ſi in ea ponatur aliqua dictio, quæ omnem dilationem & omne temporis ſpatium excludat ad pœnæ executionem. Tales ſunt omnes iſtæ dictiones ſequentes, videlicet, ſtatim, confeſtim, ex tunc, continuo poſt, in continenti, ſine mora, illico, protinus, extemplo, eueſtigio, repente, ſubitò, mox. Omnes iſtæ dictiones, vt ex propria illarum ſignificatione apertiſsimè conſtat, reiiciunt omne temporis ſpatium: & inde conuincitur, eas omnes latam exprimere ſententiam, nec eſſe neceſſariam

aliam

A aliam iudicis ſententiam ad pœnæ executionem. Quia ad hoc vt iudex ſententiã iuſtè proferat, multa requiruntur, vt puta reũ citare, illũ audire, teſtes examinare, & alia facere, ad quæ perficienda neceſſe eſt non modicum temporis ſpatium præterire. Cùm igitur dictiones illæ omne temporis ſpatium excludant, ex illis apertè conuincitur, leges illas, quæ talibus dictionibus ad pœnæ executionem vtuntur, ſententiam latam in ſe continere, nec eſſe neceſſariam iudicis ſententiam ad eiuſdem pœnæ executionem. Et hoc ſemper erit verum, etiam ſi poſt tales dictiones ſequatur verbum futuri temporis, quod ex ſua natura (vt aliâs diximus) non latam ſed ferendam ſolet indicare ſententiam. Quoniam etſi tempore futuro denotetur eſſe faciendam pœnæ executionẽ, tamẽ quia ſine vllo temporis interuallo indicatur eſſe facienda, eo ipſo declaratur ſine iudicis ſententia, talem pœnam fore executioni mandandam. De illis igitur omnibus oportet ſigillatim diſſerere, & ſatis erit illarum poteſtatem exemplis aliquibus demonſtrare: quoniam omnium illarum præterquam vnius ſignificatio eſt aperta & manifeſta, de qua inter omnes conuenit. De hac
B dictione, ſtatim, quòd ſententiam indicet latam, præter id, quod ex ſua ſignificatione cognoſcitur, probatur apertiſsimè per cap. Literas, de conceſsione præbendæ, vbi quæſtionem proponens, hæc verba ait. Vtrum cùm aliquis de vna præbenda eligitur ad aliam, ſtatim prior vacare incipiat, an per ſententiam debeat adiudicari. Hæc in textu. Ex quibus conſtat, hæc duo, videlicet, ſtatim, & per ſentẽtiam, tanquam oppoſita, quæ eidem conuenire non poſſunt, in iure cenſeri: & inde apertiſsimè colligitur, hanc dictionem, ſtatim, denotare ſententiam latam. Quoniam aliâs non diſtingueretur ex oppoſito ab eo, quod eſt per ſententiam. Et hinc conuincitur, vt de aliis ſuprà poſitis & aliis ſimilibus dictionibus, quæ omne temporis interuallum excludunt, idem prorſus dicendum ſit: quoniam omnes illæ, præter vnam, de qua vltimò dicemus, idem omnino ſignificant. Si quis ergo de omnibus exempla in iure videre cupit, libenter illi aliqua ex tam multis pauca proferam, vt ad illorum inſtar facilè de aliis ſimilibus iudicare poſsit. Per ſignificationem huius vocis, ſtatim, conuincitur textus ſequentes latam continere ſententiam.

cap.

cap.Si diligenti, de foro competen.cap.vlti.de præſcriptionibus.cap. Quam ſit, de elect.lib.vj.cap.j.de vita & honeſtate clericorum, eodem libro.cap.Si pater, de teſtamentis, eodem lib.cap.ij.§.Inhibemus,de hęreticis,eodem lib.cap. Cum excõmunicato.xj.quæſt.iij.Hæc dictio,ex tunc,etiam excludit omnem dilationem, & omne temporis interuallum.Nam ſi poſt crimen commiſſum expectanda eſſet ſententia,non igitur ex tunc, id eſt, à commiſſo crimine incideret in pœnam legis: & inde conſtat in ſequentibus capitulis contineri ſententiam latam. In capit.Excommunicamus.§.Credentes,de hæreticis.In capit.Cupientes.§.Cæterum, & in cap.Cùm ex eo, de electione,lib.vj.In Extrauaganti,Suſcepti regiminis,& in Extrauagãti, Execrabilis.§. Qui verò deinceps.De his dictionibus,confeſtim,illico,incontinenti, protinus, cùm nullus mihi in iure canonico textus occurriſſet,& malè illas in iure ciuili,in quo parum verſatus eram,quærere potuiſſem,cõſului viros in vtroque iure doctiſsimos, qui ſequentes mihi pro his omnibus obtulerunt leges.Hæc dictio,confeſtim,exprimit ſententiam latam, in l.Placet.ff.de acquirenda hæreditate.& l.Amiſsi. §.Fideiuſſores.ff.de fideiuſſoribus. Authentica, Inceſtas.C. de inceſtis nuptiis. Et ibi Bartolus quærens an bona confiſcantur ipſo iure,an per ſententiam, reſpondet quòd ipſo iure: quia ponitur hæc dictio, confeſtim. De hac etiam dictione, illico, in lege vltima. C. de fideicommiſſariis libertatibus,hęc verba habentur.Cenſemus illico ad libertatem capi ſeruum. Quòd autem prædicta verba ſententiam proferant latam, ſequentia verba demonſtrant, quæ ſunt hæc.Et liberum eſſe. In l.vltima.C.de iudiciis, declaratur hæc dictio,illico,per hoc,quod eſt ſine vlla dilatione. Et Bartolus in l.Si quis.C.depoſiti, dicit hanc dictionẽ habere executionem paratam, vt rem iudicatam, nec requiri aliam cõdemnationem. Et idem dicit ipſe Bartolus de hac dictione, incontinenti, in l.Imperator. ff. de iure fiſci. Et Baldus in l.Lecta.in fine.ij.lectu.ff.ſi certum petatur, dicit quòd hæc dictio, incontinenti, trahit ſecum executionem iuris. Hanc dictionem, protinus, declarat per hanc dictionem,ſimul, Laurẽtius Valla, libro ſecundo Elegantiarum, capit.xxx.Ambroſius Calepinus inter multas,quas huic dictioni tribuit ſignificationes,vnam ex illis dicit eſſe,ſtatim ſine

Bartol. *Bartol.* *Baldus.*

C D

A ſine intermiſsione. Pro quo adducit Virgilium libro iiij. Aeneidos dicentem. Protinus ad regem curſum detorquet Hiarbas. Sed multò apertius exprimunt huius vocis ſignificationem leges, quas mihi iuriſperiti pro hac re indicarunt. Nàm in l.In illa ſtipulatione ſi calendis. ff. de verborum obliga.quod prius per,ſtatim, dixerat, idem illico per protinus declarat. Et in l.Lucius Titius.§.Cato.ff.ad v.cap. Trebell,è conuerſo,quod prius per, protinus, quæſierat, id per,ſtatim, reſpondet.In l.Non abs re.C.Vnde vi, dicitur, protinus,id eſt,non expectato iudiciorum ordine. Hæc dictio,continuo,latam denotat ſententiam in cap.Cæterùm, de reſcriptis,& inl.j.ff.pro ſocio,& in l.Apud Aufidium.ff. de optione legata. Et meritò hanc poteſtatem illi dictioni iura tribuerunt:quia illa omnem prorſus tollit moram, vt conſtat ex Virgilio, qui lib.iiij.Georgicorũ hæc ait.Haud mora, continuò matris præcepta faceſsit. Et libro quinto, Aeneidos iterum ait.Nec mora,cõtinuò vaſtis cum viribus effert,Ora Dares.Hac dictione, eueſtigio, vſus eſt ſummus pontifex Bonifacius octauus in cap.j.§.Verum,de ſtatu regularium,libro ſexto,vbi gloſſa bene vim vocabuli intelligens,exponit per alias dictiones,videlicet,ſtatim, cõtinuò. *Virgil.*

B Accurſius tamen eiuſdem dictionis ſignificationem malè agnoſcens in l.Diuortio. ff. de negotiis geſtis, exponit, in principio geſtionis. Et certè ſi verba,quæ ſtatim in illa lege ponuntur,bene aduertiſſet,facilè cognouiſſet illam dictionem,eueſtigio,aliud multò diuerſum ſignificare. Nõ enim eueſtigio, inquit Scæuola iuriſconſultus in illa lege,in officio deliquit, ſi nõ protinus res ſuas diſtraxit ad pecuniam redigendam. Ex quo verborum cõtextu facilè potuit intelligere idem ſignificari per hanc dictionem,eueſtigio,quod per ſequentem dictionem,protinus,exprimitur:quæ dictio (vt iam diximus) idem ſignificat quod,ſtatim. Eandẽ cum cæteris ſignificationẽ habet hæc dictio,incunctanter. Nam eius contraria dictio ſignificat,cum mora: & inde eſt,quòd illi oppoſita dictio, incunctanter, ratione præpoſitæ negationis,ſignificat ſine mora. Hac dictione ſæpe vſi ſunt ſummi pontifices in decretis ſuis, videlicet in capitulo primo, de his,quæ fiunt à maiori parte capituli, & in capit.Quemadmodum, de iureiurando, & in capit.Referente, de præbendis,& in capit.vltimo de ſchiſmaticis, & in capit.Cùm quis,

quis,de ſentent.excommunic. lib. vj. Eſt adhuc præter has C
omnes alia dictio non purè latina, videlicet, indilatè, qua vſus eſt ſummus pontifex in cap.Vt inquiſitionis,de hæreticis, lib.vj.nec memini me alibi in iure canonico eam legiſſe. Quid autem pontifex voluerit per illam exprimere, alia,quam illi coniungit,dictio,ſatis apertè declarat. Nam continuò poſt hanc dictionem,ſtatim, adiecit ad maiorem rei confirmationem, indilatè, hoc eſt, ſine vlla dilatione. Idem prorſus dicendum erit de hac dictione,immediatè,ſi alicubi in iure inueniatur. Nam ſicut præcedens dictio excludit omnem dilationem, ita hæc reiicit omne medium. De hac dictione, etſi neſciam an aliquando in iure habeatur,credo tamen in iure ciuili, eò quòd multò puriori ſermone latino conditum ſit,quàm ius canonicum, nec illam nec præcedentem inueniri, propterea quòd ambæ barbaræ ſunt,& quarum nullum apud veteres & veros latinos reperitur veſtigium. Singula quæq; iſtarum dictionum in hoc ſexto §.numeratarum,latam indicat ſententiam, propterea quòd illarum quælibet omne temporis interuallum reiicit, & nullam prorſus moram admittit. Nam ſi ſententia ferenda à iudice exprimeretur, non poſſet illic omnis D
mora excludi,cùm certum ſit non paruam moram eſſe neceſſariam,vt debitus iudicij proceſſus rectè dirigatur, qui ſemper eſt ſummè neceſſarius, vt iudex poſsit iuſtam ferre ſententiam.Vna tamen ſola dictio,quæ eandem cum cæteris videtur habere ſignificationẽ,ſupereſt diſcutienda, propterea quòd non inter omnes de illius ſignificatione conuenit, & fortè maior illorum pars non bene de illa ſentit.

Felinus. Felinus in dicto cap.Rodulphus,de reſcriptis, nume.33.dicit hanc dictionem, mox, latam ſententiam ſignificare:& citat Baldum idem dicentem in l.Iubemus, la ſeconda.§. Sanè.C.de ſacroſanct.eccleſ. *Andreas Tiraquellus.* Andræas Tiraquellus in opere illo iam ſæpe citato,eandem tuetur ſententiã,& poſtquam recenſuit plurimos alios vſque ad faſtidium, qui huic ſententiæ fauent,tandem dicit ſe nõ reperiſſe quempiam, qui hoc negaret,præter Simonẽ quendam Columb.apud Aegidium Bellamer.conſilio nono. Qui Simon (vt ille refert) cenſuit hanc dictionẽ habere ſpatium temporis, quandoq; quinque dierum,quandoque vnius anni,quandoq; aliorum temporum. Pro qua ſẽtẽtia dicit illum multa iura citare,

& ipſe

A & ipſe Tiraquellus admonet lectorem, vt videat gloſſam optimam in cap.j.xx.quæſt.ij.& gloſſam in cap.Quia propter, de elect. His tamen omnibus non obſtantibus, dicit idem Tiraquellus, quòd licet hæc dictio, mox, variis modis ſumatur ſecundum ſubiectum argumentũ, eius tamen propria ac genuina vis & natura eſt, vt accipiatur pro, confeſtim, & ſine interuallo. Pro qua re citat prædictam gloſſam in prædicto cap. Quia propter. & Bartolum & Salicetum in l.prima.ff.Si certum petatur. Sed certè non poſſum nõ mirari, quòd vir doctus, & (vt ex illius ſcriptis coniicere poſſum) optimè intelligens, à quibus authoribus proprietas latini ſermonis ſumenda ſit, & quibus teſtimoniis comprobanda, ad probandam veram & propriam huius vocis ſignificationem, protulerit Bartolum, Salicetũ, & Baldum. Quoniam etſi illi fuerunt in vtroq; iure doctiſsimi, in puritate tamẽ & proprietate latini ſermonis conſtat illos parum profeciſſe, & minimam gloriam in illa re aſſequutos fuiſſe. Proinde, cùm res hæc ad Grammaticos (vt diximus) ſpectet, ab illis eam diſcere opertebat, & teſtimonio probatorum Oratorum & Poëtarum illam comprobare. Ambroſius Calepinus in ſuo Dictionario declarãs huius vocis ſignificationem, dicit hanc vocem aliquando ſignificare idem, quod hæc dictio, ſtatim. Pro qua re adducit teſtimonium ex Terentio in Phormione, ſic dicente. Expecto quàm mox veniat. Sed certè hoc Terentij teſtimonium nihil illius ſententiæ ſuffragatur: quoniam ille non dixit, Expecto vt mox veniat, ſed dixit, Expecto vt quàm mox veniat: Illa enim coniunctio, quàm, ſolet ſignificare augmentum illius rei, cui additur, & valet idem quod valde, aut multum. Vt ſi dicas, quàm celeriter, idem eſt ac ſi diceres, valde celeriter, aut celerrimè. Quàm cito, idem ſignificat quod citiſsimè. Et inde apertè conſtat, has duas voces, quàm mox, plus aliquid ſignificare quàm ſola hæc vox, mox. Dicit etiam Calepinus, hanc vocem aliquando ſignificare paulò pòſt, vel poſtea. Et pro hac ſententia citat Ciceronem libro primo de Oratore ſic dicentem. Verùm illa mox, nunc de ipſa exercitatione quid ſentias quærimus. Eraſmus Roterodamus vir de lingua latina optimè meritus, & Ambroſio Calepino hac in re multò doctior, in annotationibus ſuper

B *Calepinus.* *Terentius.* *Eraſmus.*

Matth

Matthæum irridet eos, qui putant hoc aduerbium, mox, C continuam ſine vllo medio temporis ſucceſsionem,& dicit illud ſignificare poſteram futuritionem etiam cum magno temporis aut loci interuallo. Pro qua re etſi ille nullum citet teſtimonium, ego tamen, quia illius ſententiæ ſubſcribere ſtatui, vt illam certiorem redderem, aliqua ex Cicerone teſtimonia proferre decreui. Libro primo, de diuinatione ſic ait. Diſcedo parumper à ſomniis, ad quæ mox reuertar. Quo loco conſtat, hoc aduerbium mox, ſignificare poſtea. In quadam epiſtola ad Atticum ait. Prçteriit villam meam Curio, iuſsitq; mihi nunciari ſe mox venturum. Ex quo verborum ordine apertè conuincitur, illud aduerbium ſignificare poſtea futurum cum aliquo temporis interuallo. Nam qui villam præteribat, aliquo temporis interuallo indigebat, vt ad illā redire poſſet. Cùm igitur propria huius aduerbij ſignificatio non excludat omnem moram, aut omne temporis interuallum, conuincitur inde, aduerbium illud non manifeſtare ſententiam latam, verámq; eſſe ſententiā illius Simonis, quē Andræas Tiraquellus reprehēdit.

Cicero.

Septimus modus cognoſcendi ſententiā à iure latam.

Septimo cognoſcitur, legē aliquam ſiue conſtitutionem continere ſententiam latam, ſi illa vtatur verbis, quæ nullum hominis miniſterium exprimunt, nullámq; hominis actionem declarant. Nam ſi verbum illud, per quod pœnæ inflictio exprimitur in lege, nullū declarat hominis miniſterium, inde apertè conuincitur, legiſlatorē voluiſſe, vt miniſterium hominis non eſſet neceſſariū ad talis pœnæ executionem, ſed ſolam legem eſſe ſatis ad talem pœnam infligendam abſq; aliqua alia iudicis ſententia. Et quia talis eſt huiuſmodi verborū natura, ideo in quocunq; tempore etiam in futuro reponantur, ſemper latam indicant ſententiam, niſi aliud contingat, quod cogat de ſententia ferenda illud interpretari. Hanc naturam habet verbum ſubſtantiuum, videlicet, ſum, es, fui. Nam hoc verbum in quocunq; modo & quocunque tempore conſtituatur, nullam actionem, nullámq; paſsionem ſignificat, ſed ſolam rei, cui adiungitur, exiſtentiā. Et hinc euenit, vt in quocunq; tempore illud ponatur, ſemper ſententiam latam demonſtret, niſi fortè aliud addatur illi, quod vertat illud in ſignificationē ferendæ ſentētiæ. Vt, gratia exempli, ſi lex aut ſtatutum dicat. Qui hoc aut illud fecerit, erit excommunicandus, aut D

A ſuſpēdendus,aut ſuis bonis priuādus.In his omnibus ſentē tia exprimitur ferenda, ratione participij ſequentis, quod miniſterium hominis exprimit in futuro faciendum.Nam (vt refert Aulus Gellius in noctibus Atticis ex ſentētia Nigidij vetuſtiſsimi Grammatici)verbum,eſſe,atq; erit,quando per ſe ponuntur, retinent tempus ſuum: quando verò præterito aut futuro iunguntur,vim ſuam amittunt, & in aliud tendunt. Quæ Nigidij doctrina confirmari poteſt per id,quod iuris conſultus ſcribit in l. verbū erit.ff.de verborum ſignificatione. Niſi ergo ratione alicuius adiūcti futuram actionem exprimat,latam ſentētiam ſemper indicabit. Si igitur lex dicat, Qui hoc fecerit, erit infamis: ego non ſententiā ferendā ſed latā illic indicari cēſeo,propterea quòd nulla illic habetur dictio. quæ aliquod hominis miniſteriū declaret:neq; vlla eſt dictio,quę ad ad iudicē poſsit referri,indicans aliquid per illū eſſe faciendū. Hanc etiā naturam habet hoc verbum,ſubiaceo,quoniam nihil indicat, quod per aliū exerceri debeat. Et ideo licet aliqui iuriſperiti de illo dubitēt,aut contrariū ſentiant,ego tamē cōſtanter teneo illud,etiā ſi in futuro tēpore ponatur, latam ſententiā declarare. *Aulus Gellius libr.17.c.7.*

B Quia in cap. Si quis ſuadēte diabolo. xvij. q.iiij.ſolum illud verbum, ſubiaceat, ponitur, quod ſe ſolo latam poſsit ſignificare ſententiā. At,quòd canon illius capituli ſententiam contineat latam, omnium calculis eſt comprobatū,& probatur apertè per cap. Quod trāſlationē, de officio legati:& cap. vlti.de officio iudicis ordinarij: & per cap.Non dubium,& cap.In audientia,& cap.Relatum, de ſenten.excommuni. Nam in omnibus illis capitulis declaratur latam ſententiam eſſe, quæ continetur in illo cap. Si quis ſuadente.Propter quod non poſſum non mirari,cur Hoſtienſis & Ioannes Andræas in cap.Præterea, de iure patronatus, dixerint hoc verbum, ſubdatur, non exprimere ſententiam latam, cùm conſtet illud eandem ſignificationem habere cum hoc verbo, ſubiaceat, quod illis apertè confitentibus ſententiā exprimit latam.Et ideo ego aliud de illo ſentire non poſſum, quàm quod de hoc verbo ſubiaceo, iam dixi. Eandem conditionem & naturam tenet hoc verbum, incurrat, ob quam cauſam dicendum eſt, ſententiam contineri latam, in omnibus ſequentibus conſtitutionibus.In capi. j. de religioſis domibus libro vj. *Hoſtiēſis. Ioannes Andraas*

& in cap.j.de iniuriis,eodem libro,& in Clemen.j. de vſuris,& in Clementina prima de ſentẽtia excõmunicationis. C
Et idẽ prorſus dicendũ erit de hoc verbo,incidat,quod eandem tenet ſignificationẽ,& nullũ etiã declarat hominis miniſteriũ. Et idem de hoc verbo,recidat,ſentiendũ eſt. In cap. Quod olim, de Iudæis, & in cap. Clericis, de immunitate eccleſiarum libro ſexto, & in Clemen.vlti. de ſtatu monachorum, & in Clementina prima de pœnis. Eandem vim & poteſtatem habent hæc duo verba, amittant,& perdant, quæ eiuſdem ſunt ſignificationis. Nullum enim iſtorum declarat aliquod hominis miniſterium nec aliquã hominis actionem,& ideo,vt ego cenſeo,vbi illa reperiantur, etiam ſi ſint in tempore futuro, ſententia ſemper erit lata. Nam & hoc manifeſtè colligitur ex verbis,quæ ponuntur in Authentica, Licet. C. de epiſcopis & clericis, vbi poſtquam dictum eſt, amittant lucrum, & cætera, poſtea ſubditur,& epiſcopus licentiam habeat vendicare. Quæ poſteriora verba apertè declarant,quòd illud verbum,amittant,prius poſitum,ſignificauit amiſsionẽ ipſo iure factã. Et de hoc verbo,perdant,idẽ declarat gloſſa relata ad textum in cap. Ino lita.xj.q.j. Similia his verbis ſunt hęc verba ſequẽtia,reuertatur, redeat, quæ, etiam in futuro prolata, ſententiam indicant latam,vt in l. Si vnquã.C.de reuocandis donationibus,& in l. Imperialem.§.Præterea ſi quis infeudatus, de prohibita feudi alienatione. Eiuſdem conditionis eſt hoc verbum, fiat, vt illo pontifices vti ſolent, qui per illud non præcipiunt aliquid ab alio faciendum,ſed rem,quę petitur, ab ipſis fieri declarant. D

Octauus modus cognoſcendi ſentẽtiam à iure latam.

Octauo modo cognoſcitur legem aliquam pœnalem continere ſententiam latam,ſi illa ad inflictionem pœnæ vtatur verbo præſentis temporis indicatiui modi, aut præteriti eiuſdem modi. Nam per verba illorum temporum lex indicat pœnam inflictam eſſe, aut tunc infligi: & ita apertè demonſtrat per ipſam legem infligi, aut inflictam eſſe: & inde deducitur, non eſſe expectandam hominis ſententiam, cùm illa ſit iam per legem prolata. Et hæc eſt concors ferè omnium iuriſperitorum ſententia. Non ſum auſus dicere,omnium abſolutè: quia audio eſſe aliquos iuriſperitos, qui oppoſitũ de verbo temporis præſentis docere non verentur. Eſt enim in hac diſciplina hoc peculiare,

A vt vix vnum aut alterum dogma reperias, de quo inter eos omnes conueniat: ſed ſæpe in re certiſsima & indubitata non deeſt, qui ſententiam ab omnibus aliis reiectam velit tueri. Et hinc (proh dolor) euenit, vt tot & tam prolixæ ſint inter homines lites. Quia nulla eſt tam mala cauſa, cui deſit aduocatus, qui illã iuuet, & vires illi ad bellum præbeat, vt vel diu in bello illa perſiſtere valeat, & ſic faſtidium hoſti præbens diuturnitate temporis vincat, quem ratione vincere non poterat. Aliorum igitur opinione reiecta quã nunc oppugnare dedignamur, propterea quòd ipſamet verborum proprietas & natiua ſignificatio illam expugnat, conſtanti animo teneo, verba præſentis aut præteriti temporis latam indicare ſententiam. Non enim patitur ratio, vt quod præſens aut præteritum eſt, in ſenſum futuri temporis transferatur, niſi fortè participium futuri temporis illis addatur. Quoniam hoc (vt aliàs dixi) ſolet verborum naturas mutare, & ad ſuas conuertere. De tempore præſenti, quod ſententiam exprimat latam, diſſerit Panormitanus in cap. Cęterum, & cap. Nonnullis, de re- *Panor.*
B ſcriptis, & in cap. Quiſquis, de elect. & in cap. Querelam, de iureiurando, & in capit. Nouit, in fine, de his quæ fiunt à prælato, & in multis aliis locis, quæ faſtidioſum eſſet recenſere. De verbo præteriti temporis tractat idem Panormitanus in dicto capit. Nouit. Et de hoc verbo, neſcio, an ab aliquo vnquam fuerit dubitatum, an ſentẽtiam ſemper exprimat latam: quanquam de verbo præſentis temporis (vt dixi) alij aliter ſentiant. Et de participio præteriti temporis omnes etiam concorditer docent, quòd latam ſententiam ſemper certò demonſtret. De qua re plurima ſunt in iure exempla, è quibus aliqua paucula proferre decreui, in quibus apertè ſententia exprimitur lata. In cap. Extirpandæ, de præben. & in capit. Quorundam, de Iudæis, & in capit. Priuatos, de ſententia excommunicationis, & in cap. Quoniam, de officio ordinarij, & in cap, vltimo, de tẽporibus ordinationũ, libro vj. Et multa alia exempla his, qui in iure canonico aut ciuili verſantur, paſsim occurrent. Sed circa participium præteriti temporis dicit Felinus in capit. Rodulphus, numero 3c. quòd quando illud iungitur futuro, mutat naturam ſuam, & vertitur in futuri naturam, vt dicat non latam, ſed ferendam ſenten- *Felinus.*

tiam. Dicit itaq; quòd hæc verba, nouerit ſe ſuſpenſum, indicant ferendam ſententiam. Et in hac ſententia ſibi eſt contrarius, qui in eodem capitulo in fine eiuſdem numeri 30, dicit, quòd iſta verba, noueris te anathemate percuſſum, dicunt ſententiā latā. Præterea, in cap. vltimo, de hæreticis, dicitur. Abſolutos ſe nouerint, vbi gloſſa exponit, ipſo iure. Et gloſſa in cap. Extirpandæ. §. Quia verò, de præbē. illa verba, ſciat ſe priuatum, declarat ipſo iure: & in capit. ij. de ſolutionibus, & in cap. Si quis, de ſimonia, ponuntur iſta verba, nouerint ſe ſuſpenſos, & vtrobiq; gloſſa declarat ipſo iure. In his omnibus potius inſpiciendum eſt participium præteriti temporis, quàm verbum futuri: quia participium conuertit in ſui naturam verbum futuri temporis, ſicut facit verbum præſentis temporis, cui ſi iungantur, ſignificat rei præteritionem & non præſentiam. C

Octo generales & vniuerſales regulas hactenus dedimus, per quas quiſquis eas bene perſcrutatus fuerit, facilè cenſebit de qualibet lege pœnali, an ſententiam contineat latā. Hæ omnes paucisſimæ regulæ comprehendũt omnia, quę Felinus in illo capitulo Rodulphus, ſine vllo ordine tumultuariè congeſsit. Et aliqua hìc inuenies, quorum non meminit Felinus. Andræas Tiraquellus etſi multò copioſius & ordinatius quàm Felinus de hac re diſſeruit, hic tamen nec plenum ordinem eſt aſſecutus propter innumeras fallentiarũ regulas, quæ, vt memoriā iuuare poſſent, multò breuiori numero cōprehendi debuiſſent. Oportebat enim regulas aliquas generales (vt nos fecimus) excogitare, quarum quælibet multas ſimul particulares comprehenderet. Deinde, & ipſe Tiraquellus, qui tam prolixè de hac re diſſeruit, aliqua ad hanc rem neceſſaria omiſit. Nam primi tres modi, quos ego protuli ad cognoſcendum ſententiam latam, fuerunt ab ipſo Tiraquello ſicut à Felino penitus omiſsi. Aliqua etiam refert Tiraquellus, quæ ego ex induſtria omiſi, propterea quòd ſunt prorſus aliena ab ea materia, de qua ego in hoc opere diſſerere ſtatui. Non enim de omni lege, quæ ſententiam continet latam, ſed de ſola huiuſmodi lege pœnali impræſentiarum diſſero. Vnam tamen regulam generalem de hac reſcribit Tiraquellus, quam ego ex induſtria hìc omiſi, propterea quòd de multis illius particularibus alij aliter ſentiũt: & mihi pro nulla D

ſui

A ſui parte placet. Nam in quinquageſima nona fallentia futuri temporis hanc regulam ſtatuit generalem. In quibuſcunq; verbis executiuis(vt noſtri appellant) id eſt denotantibus executionẽ actus,& quæ ſua natura habẽt vim priuatiuam,ſiue annexam priuationem, prolata etiam in futuro tẽpore ſunt latæ ſentẽtiæ.Hæc ille.Et certè per hanc regulam aut fallentiam,vt ille appellat,qualis qualis illa ſit,potuiſſet vitare multas alias particulares fallentias, quæ ſub illa cõprehendi poterant.Nam hæc verba,priuetur, ſpolietur,amoueatis,remoueatis,abiiciatur,expellatur, & alia ſimilia,de quibus ille ſingulatim & per particularia capita diſſerit,verba executiua ſunt, & quorũ aliqua priuationem apertã exprimunt:nullũ tamen eorũ(vt ego cenſeo) exprimit ſententiã latam.Quia quodlibet eorũ reſpicit iudicem à quo operatio illa faciẽda eſt.Et inde cõuincitur,vt niſi talibus verbis addatur aduerbiũ aliquod ex his,quę ſuprà diximus,quod omnẽ excludat dilationẽ,ſemper intelligendũ ſit id,quod per tale verbum præcipitur,faciendum eſſe poſt cauſæ cognitionem, & poſt ſententiam à iudice datam. Et hoc bene aduertit Felinus in dicto cap.Rodulphus.numero
B 33.in fine,vbi ait,quòd licet verbũ ſit executiuum,ſi tamen indiget hominis miniſterio ad executionem faciẽdam, dicet ſententiam ferendã, & non latam. Nam per alium hominem & non per legem eſt homo ſpoliandus, priuandus, remouendus,abiiciendus,& expellendus. Ideo omnes illas dictiones ego enumerare nolui inter illas, quæ latam ſententiam indicant.

Tiraquellus.

Sed circa omnes dictiones,quæ latam ſententiã demonſtrant (vt nihil, quod ad rem faciat, intactum relinquam) duo mihi videntur generaliter annotanda. Primum eſt, quòd licet omnes illæ dictiones ex ſua propria & natiua ſignificatione habeant ſignificare latam ſententiam, ſæpe tamen accidenti cauſa impediuntur à ſua propria ſignificatione,& ſic vertuntur in aliam,vt ferendam ſignificent ſententiam. De qua re nihil nunc dicam, propterea quòd primo capite huis ſecundi libri iam de hac re diſſerui. Alterum eſt, quòd licet conſtet legem aliquam pœnalem continere ſententiam latam, nunquam aliquis in eam incidet ſententiam, ſi non conſummauerit crimen, pro quo eſt à iure impoſita pœna, quamuis illud inchoauerit,

Nam etſi in grauibus & atrocibus delictis puniatur conatus proximus delicto,ac ſi delictum eſſet cōſummatum, vt gloſſa & doctores dicunt in l.Si quis.C.de epiſcopis & clericis,& l.Is qui cum telo.C.de ſiccariis:hoc tamen non fit in pœnis,quæ ſunt ipſo iure , aut per legis ſententiam impoſitæ.Quoniam etſi quis vehementer conaretur committere crimen aliquod quamlibet graue & atrox,ſi tamen illud non conſummaret,nunquā (vt dixi) in eas pœnas incideret,quę ſunt per legis ſententiā latam declaratæ.Et ideo nūquā aliquis incidet in excommunicationē à iure latam, quamuis conetur facere id , propter quod eſt impoſita excommunicatio,niſi verè perfecerit illud : id eſt,læſerit,vel præceperit,vel conſuluerit,vel aliud ſimile fecerit,propter quod eſt à iure lata excommunicationis ſententia. Hoc annotauit,& dixit ſemper menti tenendum Abbas in cap. Cùm in cunctis.§.Clerici ſanè,de elect.in ſecūdo notabili: & Philippus Decius in eodem loco in tertio notabili. Sed ante illos prior Ioannes Andræas hoc idem docuit,& dixit eſſe notandū,in cap. Perpetuo,de elect.lib.vj. & in regula, In pœnis,de regulis iuris,eodē libro in mercurialibus ſuis. Et ob hanc cauſam admoneo lectorem , vt quum de lege aliqua pœnali fuerit diſputatio, diligenter aduertat qualis ſit res aut operatio , quæ per talem legem prohibetur , & propter quam imponitur à lege pœna. Quo bene conſiderato,intelligat nunquam aliquam incurrere pœnam à lege ipſo iure impoſitam , niſi rem à lege prohibitam conſummauerit. Licet igitur æquè peccet is, qui ſuo conſilio alterum ad peccandum inducit,ac ipſe delicti patrator:non tamen incidet in pœnam contra delicti patratorem ipſo iure impoſitam , niſi ipſa lex vtrunq; in eadem pœna cōprehenderet,videlicet conſentientē & facientem. Eadem ratione motus Dominicus de ſancto Geminiano in cap. Indemnitatibus.§.Poſtremò,de electione , lib.vj.dicit , quòd pœna impoſita procurantibus ortū diſcordiæ non comprehendit nutrientes iam exortam,niſi aliud exprimatur. Et hoc dicit eſſe annotandum ad intelligentiam ſtatutorum quæ ſimiles pœnas imponunt. Multæ aliæ ſunt conditiones,& (vt noſtri loquuntur) qualitates quæ conueniunt legi pœnali ſententiam latam continenti , de quibus ego nihil dicere ſtatui,ſed hanc prouinciam iuriſperitis committo,ad quos potius

Abbas. Philip. Decius. Ioannes Andr. Dominic.

C D

A potius de illis diſputare ſpectat. Ego enim nolẽs in meſſem alienam falcẽ mittere, de hac ſola legis pœnalis cõditione & poteſtate velut theologus differere decreui, quæ reſpicit obligationem ad culpam. Nam hæc res, cùm à principiis legis naturalis deducenda ſit, potius ad theologos, ni fallor, quàm ad iuris humani peritos pertinet. Theologorum ſiquidem munus eſt, vtrunque ius diuinum, videlicet poſitiuum & naturale, quòd in ſacris literis potiſsimum continetur, interpretari.

Quòd omnis lex pœnalis quæ ſententiam continet à iure latam, obligat in conſcientia ad pœnam in illa ſtatutam, abſq; alia iudicis ſententia.

CAPVT VIII.

POSTQVAM regulas certas & generales propoſui, per quas quiſquis illis bene fuerit vſus, facilè poterit cognoſcere quæ lex pœnalis contineat ſententiam latam, oportuit
B vt de huiuſmodi lege pœnali concluſionem aliam generalem proponerem, quæ illius legis poteſtatem apertè declaret. Sit igitur hæc vniuerſalis & certiſsima concluſio. Omnis lex pœnalis quæ ſententiam continet ab ipſa lege latam, obligat in conſcientia tranſgreſſorem legis ad pœnam in illa ſtatutam. Hæc concluſio probatur euidenter ex his quæ in præcedentibus capitulis proximè dicta & ſufficienter probata ſunt. Nam humana poteſtas ſiue laica illa ſit ſiue eccleſiaſtica, (vt capite quinto huius ſecundi libri dixi) poteſt ſtatuere legem pœnalem obligantem in conſcientia illius tranſgreſſorem ad pœnam reddendã abſq; alia iudicis ſententia. Et capite vj. probauimus humanam poteſtatẽ per legem continentem ſententiam latam declarare ſuam voluntatem, ad inducendum eam obligationem ad pœnam quam per legem inducere poterat. Omnis igitur lex pœnalis continens ſententiam latam obligat in conſcientia abſq; alia iudicis ſententia ad pœnam in illa expreſſam. Præterea, iudex condẽnans reum ad aliquam pœnam ſoluendam, obligat illum in conſcientia ad talem pœnam reddendam: ergo lex continens ſententiam latam cõtra reum, etiam obligabit reum

ad pœnam per legem expreſſam. Aſſumptum probatum C
eſt in tertio capite huius ſecundi libri. Conſequentia verò probatur: quia, (vt capi.v.huius libri diximus) non minus poteſt lex quàm iudex. Nam tantum operatur ſententia ficta à lege, quantum ſententia lata ab homine, vt dicitur in l.Cùm quaſi.§.Si plures.ff.de fideicommiſſariis libertatibus: vbi gloſſa in verbo Iudicati, hæc ait. Vt quod facit ſententia, hoc faciat legis poteſtat. Imò ſi bene quis fuerit leges perſcrutatus inueniet maiorem eſſe aliquãdo in lege poteſtatem, quàm in homine, præſertim circa rerum dominium, & illarum poſſeſsionem. Nam lex vel ſtatutum poteſt transferre dominium & poſſeſsionem ipſo iure, vt conſtat ex l.Raptores.C.de epiſcopis & cleri. & l.vlti.C.de ſacroſanctis eccleſiis: & idem ex legibus regni Caſtellæ, quę Taurenſes dicuntur, lege xlv. vbi præcipitur vt mortuo poſſeſſore alicuius primogenituræ eo ipſo ſine iudicis ſententia aut poſſeſsionis traditione dominium & poſſeſsio ipſius primogenituræ transferantur ad illum, qui ex primæua eiuſdem primogenituræ inſtitutione debet ſuccedere defuncto. Iudex autem hoc facere non poteſt, vt declarat Bald.in l. Ea lege.C.de conditione ob cauſam, & in l. D
Baldus. Traditionibus.C.de pactis. Eſt adhuc aliud in quo apertiſſimè oſtenditur maiorem eſſe legis quàm iudicis poteſtatem. Nam à ſententia iudicis ſæpe appellare licet. A ſententia autem à iure lata, nemo poteſt appellare. Quia & ſi de iudice ſuſpicari liceat illum aliquando erraſſe, nulli tamen permittitur vt legem erraſſe dicat. Et inde conſequens eſt, vt ab illa veluti à certa & infallibili ſententia appellare non liceat. Et certè hoc ſolum argumentum, etiam ſi ad huius rei probationem nullum aliud eſſet, apertiſsimè (vt mihi videtur) conuincit ſententiam à iure latam obligare abſq; aliqua iudicis ſententia ad pœnam in illa contentam. Nam ſi id facit legis ſententia quod iudex facere poſſet, vt nunc proximè apertiſsimo teſtimonio probauimus, inde euidentiſsimè colligitur legem pœnalem quæ ſententiam continet latam obligare ad pœnam in illa declaratam. Quia (vt capite tertio huius ſecundi libri probauimus) iudex condemnans reum ad pœnam, quæ corporalis non eſt, obligat illum in conſcientia ad illius pœnæ ſolutionem. Præterea, hoc argumentum confirmat & illius
vires

A vires auget multitudo exemplorum ex iure canonico & ciuili, in quibus omnibus lex pœnalis ſententiam latam continens eandem obligationem imponit reo circa redditionem pœnæ à lege ſtatutæ, quam imponeret iudex illum damnando ad pœnam minimè in lege expreſſam. Primò quidem conſtat, quòd ſi quis per iudicis ſententiam priuatus eſt dominio bonorum ſuorum, non poteſt aliquid à debitore exigere, nec debitor tenetur illi aliquid reddere, ſed fiſco, aut illi cui iudex decreuit bona illius reddi. Idē prorſus eueniet in illo qui per ſolam legem, & ipſo iure priuatus eſſet dominio bonorum ſuorum. Nam debitor illius ſi illi de crimine conſtat, ob quod eſt ipſo iure priuatus, non tenetur illi debitum ſoluere, ſed illi cui à iure conceſſa ſunt bona illius: nec ipſe reus poterit ſalua conſcientia à debitore exigere. Hoc apertiſsimè definitum eſt in cap. Fœlicis, de pœnis lib. vj. vbi hæc verba habentur. Nullus ei debita reddere teneatur. Is etiam qui ipſo iure ſuis bonis priuatus eſt, quamuis nulla ſequatur iudicis ſententia declaratoria, non poteſt bona, quæ tunc poſsidet, vendere, aut permutare, aut donare: ſicut nec ille qui per iudicis ſententiam

B eſſet bonis ſuis priuatus. Ita docet Bald. in Authentica, Inceſtas. C. de inceſtis nuptiis. Et idem ſentiunt Ioannes Andræas, & Petrus Ancharanus, & Dominicus, & Philippus Francus in cap. Cùm ſecundum leges, de hæreticis lib. vj. Nec poteſt de bonis quæ poſsidet, teſtari, is qui ipſo iure priuatus eſt bonis ſuis, ſicut nec poſſet ſi per iudicis ſententiam priuaretur. Hoc ipſum annotat Baldus in prædicta Authentica, Inceſtas. Ex quibus ſequitur donatarium cui omnia bona aut magna illorum pars fuerint donata, non poſſe, poſtquam donanti fuerint nati filij, rem illam donatam alienare, aut de illa teſtari. Quia per natiuitatem filiorum donantis eſt ipſo iure talis donatio reuocata, vt dicitur in l. Si vnquā. C. de reuocandis donationibus. Deinde, is qui ipſo iure priuatus eſt non poteſt plenè agere in iudicio pro ea re qua eſt ipſo iure priuatus: ſicut nec pro illa agere poſſet in iudicio, ſi fuiſſet priuatus illa per vltimam iudicis ſententiam diffinitiuam. Dixi quòd non poteſt plenè agere in iudicio: quia & ſi agere incipiat ſtatim poterit reiici per exceptionē excluſiuam iuris ipſius agentis. Si autem non eſſet ipſo iure priuatus, ſed commiſiſſet cri-

Baldus. *Anchar.* *Dominic.*

men propter quod eſſet iure priuandus, plenam haberet in iudicio actionem: quia ſemper agere poſſet in iudicio quouſq; à iudice priuaretur. Hoc expreſsè annotauit gloſſa in l. His conſequenter. §. j. in verbo, non pertinere. ff. Familiæ Erciſcũdæ. Rurſum, ſi prælatus aliquis commiſiſſet crimen propter quod eſſet ipſo iure priuatus dignitate ſua, & poſt tale crimen cõmiſſum, quamuis à iudice non declaratum, tentaret aliquid ad dignitatem pertinens facere, vt puta excommunicare, ſuſpendere, interdicere, beneficium conferre, beneficio priuare, nihil horum eſſet validum, ſed omnia eſſent eo ipſo irrita & inania, perinde ac ſi per iudicis ſententiã fuiſſet ſua dignitate priuatus. Hoc manifeſtè probatur per cap. Tanta, extra de exceſsibus prælatorum, vbi Greg. Papa huius nominis nonus cõtra epiſcopum Colimbrienſem, propterea quòd interdictum Eccleſiaſticum ab Apoſtolica ſede poſitum violauerat, ſententiam dedit his verbis, ſic inquiens. Authoritate Dei omnipotentis omnem inſtitutionem, deſtitutionẽ, collationem præbendarum, beneficiorum ac dignitatum, præſumptas per eundem epiſcopum, & excommunicationis ſeu interdicti ſententias in quoſcunq; hac occaſione prolatas ab eo poſt interdicti violationẽ eiuſdem, decernimus irritas & inanes. Hæc Gregorius in illo capitulo. In quibus verbis id potiſſimum annotandum eſt, quod dixit irrita eſſe omnia ab illo epiſcopo geſta poſt violationem interdicti. At, ſi iudicis ſententia requireretur, non omnia quæ geſsit à tempore violationis interdicti, ſed ſolum ea quæ geſta ſunt poſt datam à iudice ſententiam eſſent dicenda irrita & inania. Et in cap. Veritatis, de dolo & contumacia. Innocentius Papa huius nominis tertius ſimilẽ contra alium epiſcopum protulit ſententiam, ſic dicens. In irritum reuocãtes quæcunq; poſt inhibitionẽ Apoſtolicæ ſedis, ſeu factã ſuſpenſionem, & excommunicationẽ, de rebus eccleſiæ alienare præſumſit. Hęc ille. Poteſt adhuc dari aliud exemplũ de infamia iuris quæ omniũ iuriſperitorũ teſtimonio repellit à teſtimonio dicendo: quia inter multa quæ exiguntur à teſte, eſt fama, vt dicitur in cap. Teſtimonium, de teſtibus & atteſtationibus, & in cap. Præterea, de teſtibus cogendis, & in cap. Forus, de verborum ſignifica. Si infamia ipſo iure contracta eſt, eo ipſo ſine vlla iudicis ſentẽtia facit inhabilem ad teſtimo

teſtimo

A teſtimonium reddendum:periode acſi iudicis ſentẽtia fuiſſet iudicatus infamis. Si verò talis infamia non ipſo iure, ſed poſt datam à iudice ſententiam contrahitur,tunc poſſet teſtimonium dicere quouſque à iudice vt infamis damnetur. Ita docet Angelus in l.Athletas.§.Ait prætor.ff.de his qui notantur infamia. Et audio Platum quendam hoc idem annotaſſe in conſilio vltimo inter conſilia Barbatij, libro primo. *Platus. Barbatius.*

Hæc exempla hactenus per me adducta ſatis mihi eſſe videntur ad probandum id, quod à principio aſſumpſi, legem videlicet pœnalem quæ ſententiam continet latam, idem ſemper efficere in reo circa pœnam in l.expreſſam: quòd in eodem reo circa eandem pœnam efficeret ſimilis ſententia à iudice lata,ſi per illam tantum & nõ per legem eſſet reus condemnandus.Sed contra hanc ſentẽtiam video apertè obiici poſſe cap.Cùm ſecũdum leges,in §.Confiſcationis:vbi ſententia à iure contra hæreticum lata non tantum efficit in hæretico,quantum ſententia contra eundem à iudice pronũciata. Quia lex illa priuat hæreticum domi-
B nio bonorum ſuorum , & non permittit fiſco vt ſine iudicis ſententia bona hæretici apprehendat. At poſt datam à iudice ſententiã fiſco permittitur bona hæretici apprehendere.Plus igitur poteſt circa pœnam hæretico irrogandam iudicis quàm legis ſententia. Vt plenè huic obiectioni ſatisfacere poſſem, oportebat integrã & exactam illius capituli , Cùm ſecundum leges , intelligentiam explicare. Sed quia in proximè ſequenti capitulo maior neceſsitas me ad id faciendum coget , ideo vſque ad illum locum, in quo id erit magis neceſſarium & magis oblato negotio conueniens, differo. Interim tamen , ne in vanum ſententiam illius capituli obieciſſe videar, quantũ res ipſa exigit & non amplius,reſpondere decreui. Fateor quidem omnia quæ in argumentatione obiecta ſunt, ſed nihil cõtra id quod dixi, faciunt. Quia ſi plus iudicis quàm legis ſententia operatur circa pœnã hæretici, hinc prouenit quòd ſententia legis eſt ſola:ſentẽtia autem iudicis declarantis aliquem eſſe hæreticum non eſt ſola,ſed adiuuatur à ſententia legis, & addit aliquid vltra illam,videlicet criminis declarationẽ.Nam ſi lex prius per ſententiã ſuam non priuaſſet hæreticũ dominio bonorũ ſuorũ, & illã adiudicaſſet fiſco, quamuis iudex poſtea

poſtea declaraſſet Petrum aut Ioannẽ eſſe hæreticum, nunquam Petrus aut Ioannes propter ſolam iudicis ſentẽtiam eſſet ſuis bonis priuatus:nec fiſcus poſſet bona illius apprehendere.Ego autem non dixi legem pœnalem,quæ ſententiam latam continet, tantum ſe ſola efficere circa reum, quantum efficeret iudicis ſentẽtia, ſi poſt legis ſententiam ſuperueniat.Sed dixi huiuſmodi legem pœnalem, quæ ſententiam continet latam,ſe ſola tantum erga reum operari, quantum iudicis ſententia ſola ſine alia legis ſentẽtia operaretur damnando reum ad eandem pœnam:ita vt reliqua omnia ſint paria, hoc tantum excepto quod vna eſt legis, altera iudicis ſentẽtia.Sic igitur declarato illo meo aſſumpto antecedente conſtat nihil prorſus cõtra illud agere cap. Cùm ſecundum leges.Ego enim dico id omne fieri contra hæreticum per illud capit.Cùm ſecundum leges, quòd ſecluſa omni legis ſententia faceret iudex ſecularis,ſi per ſolam ſuam ſentẽtiam ſolummodo priuaret hæreticum bonis ſuis & illa adiudicaret fiſco, prohibendo fiſcum ne illa apprehenderet, quouſque iudex eccleſiaſticus declararet illum eſſe hæreticum, prout legis ſententia dixerat. Tunc enim ſicut legis & iudicis ſententia ſunt ſimiles in verborum contextu & pronunciatione, ita ſunt pares in efficientia & inflictione pœnarum. Quia ſicut iudicis ſentẽtia priuat hæreticum bonorum ſuorum dominio,ita & lex. Sicut lex prohibet fiſco apprehenſionem bonorum hæretici: ita iudex arcet eundem fiſcum ab eorundem bonorum apprehenſione. Fortè contra eandem ſententiam quis iterum obiiciet de pœnis corporalibus quas iudex poteſt infligere reo,lex autem illas infligere non valet.Quia lex nec poteſt occidere,nec mutilare,nec verberare,nec carcere concludere.Fateor legem nihil horum efficere poſſe:ſed nec iudicis ſententia aliquid horum efficere valet. Nam & ſi iudex damnet reum ad mortem,aut membri mutilationem, aut flagella: non eo ipſo reus moritur, aut mutilatur, aut flagellatur: ſed per ſententiam condemnans reum ad aliquid horum, præcipit apparitoribus atque lictoribus vt id exequantur in reo, ad quod ipſe illum per ſuam ſententiam damnauit. Iudicis itáque ſententia non occìdit, nec verberat,ſicut nec ſententia legis:ſed ſolum condemnat reum vt alterum iſtorum ab alio patiatur: & hoc ipſum faceret lex ſi de

A ſi de reo ſententiam diceret. Nam lex præciperet iudici, quemadmodum iudex apparitoribus atque lictoribus, vt talem reum occidi aut verberari faciat. Et hinc eſt quòd de huiuſmodi pœnis nunquam hactenus data eſt lex quæ ſententiam latam: ſed quæ ſolam ſententiam ferendam contineat. Quia licet lex poſsit præcipere vt tales pœnæ infligantur reo, ipſa tamen ſe ſola illas infligere non valet, ſed ad illarum executionem indiget hominis miniſterio. Lex poteſt excommunicare, ſuſpendere, interdicere, bonis priuare, ad pecuniam reddendam obligare, & ideo de iſtis & aliis ſimilibus pœnis poteſt ſtatui lex, quæ ſententiam contineat latam. Sed quia lex non poteſt occidere, nec mutilare, nec verberare, nec poteſt præcipere reo vt aliquod horum in ſe exequatur: ſed neceſſariò indiget alterius hominis miniſterio ad iſtorum executionem, ideo de nulla iſtarum pœnarum dari poteſt lex quæ latam ſententiam contineat. Manet itáque firmum & immobile noſtrum fundamentum, quod pro principio noſtræ principalis argumentationis poſui dicens, legem pœnalem, quæ ſententiam continet latam, id omne efficere in reo circa pœnarum irroga-
B tionem, quod efficeret ſola iudicis ſententia, ſi de eadem re & eodem modo contra reum daretur. Ex quo firmiſsimo fundamento validiſsimæ argumentationis ſtructura conſurgit, quæ apertiſsimè conuincit verum eſſe id, quod in prima huius capituli concluſione dixi, legem videlicet pœnalem, quæ ſentẽtiam latam continet, obligare in conſcientia reum ad reddendum pœnam, quæ in eadem lege ſtatuta eſt. Nam alioqui fieret neceſſariò, vt maior ſit iudicis quàm legis poteſtas. Quia iudex per ſuam ſententiam condemnans reum (vt cap. iij. huius ſecundi libri probauimus) obligat in conſcientia reum ad ſoluendum pœnam ad quam iudex illum damnauerat. Ne igitur minoris poteſtatis faciamus legis quàm iudicis ſententiam, oportet neceſſariò concedere omnem legem, quæ ſententiam continet latam, obligare in conſcientia illius tranſgreſſorem ad pœnam in illa decretam.

Præter hanc inuincibilem rationẽ confirmat hãc meam concluſionem authoritas multorũ doctiſsimorũ virorum tam theologorum quàm iuriſperitorũ, qui eandem docent & tuentur concluſionem. Non enim ego ſolus (vt quidam mihi

mihi obiiciunt) hanc tueor ſentẽtiam,ſed adeò multi ſunt C qui illi fauent, vt verè dici poſsit hanc eſſe communem opinionem. Et primum omnium profero ex noſtris Theologis beatum Thomam, qui & ſi ex profeſſo nunquam (quod ego ſciam) hanc tractet quæſtionem, de alia tamen

S. Thom. re diſſerens obiter ſuam de hac re profert ſententiam. Nam in ſecunda ſecundæ quæſt.xcviij.artic.iij.in reſponſione ad tertium principale argumentum, dicit illum qui iurat falſum iuramento aſſertorio eſſe infamem quamuis non ipſo iure, ſed poſt ſententiam contra eum latam. Eum autem qui iurat falſum iuramẽto promiſſorio dicit eſſe infamem ipſo iure. In quibus verbis apertè innuit non eſſe opus alia ſententia in illo qui ipſo iure damnatus eſt. Nam ſi etiam requireretur iudicis ſententia ad infamiam periurij ſuſtinendam, in periurio promiſſorio ſicut in aſſertorio, nullam dediſſet inter vtrunque periurium differentiam.

Adrian. Papa. Adrianus Papa in quarto ſententiarum diſſerens, de iis quæ ſunt acquiſita per ludum alearum, poſtquam definierat eum qui in ludo amiſit aliquid,& ſoluit lucranti poſſe ſalua conſciẽtia compenſationem ſibi facere,& tantundem D à lucrante ſurripere, hæc quæ ſequuntur verba ſubiungit. Non obſtant notata doctorum in capit.Fœlicis, de pœnis, libro ſexto,quòd in pœnis ipſo iure inflictis ante executionem requiritur iudicis declaratio, iuxta capit.Cùm ſecundum leges,de hæreticis,cum ſuis ſimilibus, niſi factum ſit notorium, vt limitat Geminianus. Quia procedit in foro exteriori, non in foro conſcientiæ. Hæc Adrianus. Ex quibus verbis apertiſsimè conſtat qualiter ſit intelligendum, quod idem Adrianus in quolibetis quæſtione ſexta dixerat,pœnam à iure impoſitam non obligare ante ſentẽtiam qua crimen declaretur eſſe commiſſum. Nam illud neceſſariò intelligendum eſt de obligatione quæ ſolum forum exterius reſpicit, & non de obligatione quæ reſpicit forum conſcientiæ, in quo (vt modo cenſuit) talis ſententia non eſt neceſſaria. Alioqui niſi illum ita interpreteris, oportet vt neceſſariò fatearis illum minimè ſibi conſtare, ſed potius ſibi ipſi contradicere.

Caietan. Caietanus in commentariis ſuper ſecunda ſecundæ ſancti Thomæ,quæſt.lxij.articul.iij.quærens quare ad aliquas pœnas à lege impoſitas teneatur reus ſine iudicis ſentẽtia, & ad

A & ad aliquas non,duplices (vt aliàs in alio propoſito negotio citauimus) dicit pœnas. Quædã, ad cuius executionem requiritur actio,vt ſunt mors,mutilatio,verbera. &c. Aliæ ſunt ad cuius executionẽ nulla requiritur actio, vt ſunt excommunicatio,ſuſpenſio,interdictũ,irregularitas, & ſi qua eſt alia ſimilis. In his enim (vt ait) nulla requiritur actio ad illarum executionem, ſed ſufficit ſola actus omiſsio , vt puta non cõmunicare cum fidelibus,non immiſcere ſe prohibitis,non exercere actũ ordinis,quæ omnia in ſola negatione ſeu priuatione conſiſtunt. Pœnam,quæ ad ſui executionem indiget aliqua actione, dicit eſſe propriã iudici, & non conuenire legi:& hinc deducit quòd quoties lex aliqua imponit pœnã, quæ ad ſui executionẽ eget aliqua actione, ſemper eſt neceſſaria iudicis ſentẽtia per quam talis pœna mandetur executioni. Et quia putat nunquam per legis ſententiam latam imponi pœnam,quę ad ſui executionẽ indigeat aliqua actione,ideo concluſionẽ hanc ponit his verbis dicentem. Itáque ſola legis lata ſentẽtia obligat reum ad executionem pœnæ. Hæc Caietanus. Ex cuius verbis ea ſolùm quæ meæ ſententiæ ſuffragantur,capiam:reliqua verò

B quæ à me non probantur reiiciam. Id enim ſolùm extenſis (vt aiunt) vlnis amplector,quod ait ſententiam à lege latam obligare reum ad executionem pœnæ. Nam hoc ſolum eſt quod mea concluſio , quam in principio huius capitis propoſui,dicit:& hoc eſt præcipuum quod ego in hoc capite probare ſtatui. Sed quomodo hęc,quæ nũc Caietanus dicit,poſsint cohærere cum illis quæ dicit in ſua ſumma de peccatis,titulo,Pœna,non facilè patet. Nã in illo loco dicit neminẽ teneri ſubire pœnã à lege ſtatutam,niſi poſtquã ad illã fuerit à iudice dãnatus. Hoc tñ in ſolis duobus caſibus fallere dicit, videlicet in cẽſuris, & in pœnis teſtamẽtariis. Has ſolas excepit : quia putauit has ſolas eſſe quæ poſſent per legẽ ſentẽtiã latã cõtinẽtẽ ſtatui. Sed certè hac in parte tota errat via,& ſibi ipſi nõ conſtat. Nam priuatio bonorũ pœna eſt longiſsimè à cenſura eccleſiaſtica diſtãs:& tamen ad illã obligatur aliquãdo reus per ſolam ſententiã latam abſq; alia iudicis ſententia,prout ipſe Caietanus fatetur in fine illius artic. iij. quæſt. lxij.& probatur apertiſsimè per cap.Cùm ſecundũ leges. Quia & ſi textus ille dicat ad apprehenſionem bonorũ hęretici neceſſariã eſſe iudicis eccle-

ſiaſtici

ſiaſtici declarationem, ad hoc tamē vt hæreticus bonorum C
ſuorum dominio priuetur,nihil tale dicit eſſe neceſſarium,
ſed eo ipſo quo factus eſt hæreticus dicit illum eſſe tali dominio priuatum. Sed hac contradictione, quæ ſatis eſt manifeſta, dimiſſa, oportet reliqua quæ Caietanus dixit, diligenter examinare, videlicet an verum ſit quod lex pœnalis, quæ ſententiam latam continet, nunquam ſtatuit pœnam, ad cuius executionem requiratur aliqua actio. Quia talis pœnæ executio (vt ait) ſemper conuenit iudici, & nunquam legi. Hoc tamen an verum ſit, nolo nūc perſcrutari: quia poſtea in alio capitulo commodiorem huic diſputationi dabo locum. Nam quod præſenti diſputationi conuenit, ſatis eſſe arbitror quod oſtēderim Caietanum in hac eſſe ſententia, vt exiſtimet ſententiam à lege latam obligare reum ad executionem pœnæ. Et hoc ſolum eſt, quod ego in hoc capite venari cupiebam.

Ioannes Medina. Ioannes Medina nouiſsimus omnium theologorū, quos de hac re diſſeruiſſe noui, in codice de reſtitutione & contractibus, quamuis in prima quæſtione prope finem dicat illos, qui à iure ſunt priuati dominio bonorum ſuorum, non teneri ad reddendum illa ante iudicis declarationem, D
ſed poſſe interim ſalua conſcientia retinere illa, ibidem tamen docet illos ipſo iure ſine alia iudicis ſententia eſſe priuatos dominio bonorum ſuorum. Ex cuius verbis apertiſsimè conſtat illum in hac eſſe opinione, vt cenſeat legem pœnalem, quæ ſententiam continet latam, obligare reum ad eam pœnam quæ per illam legem expreſſa eſt. Quòd autem doceat eos qui ſic ſunt priuati dominio bonorum ſuorum poſſe illa retinere quouſque condemnentur, & non teneri ante criminis declarationem ad reddendum illa, inde prouenit quia putat legem quæ priuat dominio bonorum hac ſola priuatione eſſe cōtentam, & non ex conſequenti præcipere vt bona reddantur illi cui à lege adiudicata ſunt. Hoc autem an verum ſit nolo impræſentiarum diſcutere, quia poſtea integro aliquo capitulo de hac re prolixius pertractabo, vbi apertè oſtendam eundem Ioannem Medinam, quamuis doctiſsimum, ſibi ipſi in hac parte contradicere. Satis enim nunc me feciſſe exiſtimo quod oſtenderim illum meæ concluſioni, quam in principio huius capitis collocaui, ſubſcribere, &

apertè

A aperte fauere. Reliqua verò quę ab hoc themate diſtát, ſuo loco diſcutientur. Alium ex noſtris theologis non reperi, qui huic meæ ſententiæ apertè faueret: quoniam à paucis theologis hanc quæſtionem tractatam eſſe video: & rariſsimã apud antiquos theologos de hac re inuenio memoriam. Multi tamen ſunt iuriſperiti qui de illa diſſerunt, & bona pars illorum qui in hac facultate cenſentur doctiſsimi, mihi in hac parte ſuffragantur. Ne autem aliquis ſuſpicetur doctores ipſos aliter quàm ego exiſtimo, ſentire illorum ſententiam (vt capite iij. huius ſecundi libri me facturum promiſeram) eiſdem verbis, nec vno mutato, quibus ab illis ſcripta eſt, citabo.

Abbas in cap. j. de conſtitutionibus referens ſententiam gloſſæ in cap. Fraternitas. xij. q. ij. quæ ait, quòd pœna impoſita per legem poſitiuam non obligat in foro conſcientiæ, hæc verba ait. Hoc limitarẽ niſi lex imponeret pœnã ipſo facto, vt quia ipſo facto publicat bona alicuius, quia tunc nõ puto quod ille poſsit retinere bona publicata cum bona conſcientia. Quia ius eſt ſtatim acquiſitum fiſco, vt notatur in. l. Commiſſa, ff. de publicanis, & in capit. *Abbas.*

B ij. de præſcriptionibus, libro vj. Hæc ille. Deinde in capit. Dilecti, de arbitris, de ſententia illius gloſſæ iterum diſſerens largius & expreſsius ſuam aperit ſententiam, ſic dicens. Prædicta ego limito vbi pœna venit imponenda per iudicem: ſecus puto vbi pœna eſſet impoſita ipſo facto. Pone exemplũ in committẽte crimẽ læſæ maieſtatis vel hæreſis. Nam incontiñenti bona confiſcantur, vt in capit. Vergentis, infra, de hæreticis: & in capit. Cùm ſecundum leges, eodem titulo, lib. vj. & in l. Quiſquis. C. ad legem Iuliam maieſtatis. Hæc Abbas. Et eandem ſententiã repetit in cap. Cùm nõ ab homine, de iudiciis, & in cap. Peruenit, quod primum eſt ſub hoc initio, in titulo de appellationibus, & in capit. finali, de hæreticis, & cap. In quibuſdam, de pœnis. Quæ omnia loca ideo citare placuit, vt apertè oſtenderem Abbatem in hac ſentẽtia non fuiſſe dubium aut varium, ſed firmum & ſemper ſibi conſtantem.

Dominicus de ſancto Geminiano in capit. Pro humani, §. Sacri, de homicidio, lib. vj. hæc quæ ſequuntur verba ait. Nota quòd vbi imponitur pœna à iure, ipſo iure non requiritur alia ſententia, ſed ſufficit ſola receptio probatio- *Domini.*

nis ſuper illo facto ſuper quo pœna imponitur. Hæc ille. Et C
in cap. Cùm ſecundum leges. §. Confiſcationis, de hęreticis, eodem lib. hæc ait. Nota quòd quando ipſo facto quis eſt damnatus, non requiritur damnatio ſed executio, & ſuper executione declaratur. Et iterum in tertio notabili ait. Nota quòd ſuper facto in quo imponitur pœna ipſo iure requiritur iudicis declaratio antequam executio fiat. Quod intellige quando factum nō eſt notorium: ſed ſi factum eſſet notorium, & iudex aſsignaret terminum ad excuſandum factum, & non fieret excuſatio, poſſet fieri executio abſque alia declaratione. Hæc Dominicus. In quibus verbis id potiſsimum annotandum eſt, quod ait non eſſe neceſſariam iudicis declarationem quando factum eſt notorium. Factum autem ſemper (vt aliàs dixi) eſt reo notorium, ergo propter ipſum reum non erit, iuxta Dominici ſententiam, neceſſaria iudicis declaratio.

Felinus. Felinus in cap. Rodulphus, de reſcriptis, in §. Sed declaratoria ſentētia, dicit primò ſententiā declaratoriā eſſe neceſſariā, & poſtea hanc concluſionē temperare volens, dicit hęc verba. Limita primò prædicta niſi factū eſſet adeò notoriū, quòd nulla eſſet opus declaratione, quia tunc non habet locū dictū cap. Cùm ſecundū leges. Ita notat dominus Abbas D
in cap. Cùm non ab homine, verſiculo, Sed certè ſi ſubtiliter, de iudiciis, Quia in certis non eſt opus coniecturis, cap. ij. de regularibus, li. vj. Vnde textus in dicto cap. Cùm non ab homine, non dicit aliquid de declaratione præmittenda traditioni curiæ ſeculari: quia videtur notoria incorrigibilitas, quādo pręmiſſo triplici gradu pœnæ ille reperitur inhærere ſuis iniquitatibus. Et aliquibus interpoſitis ſubdit. Et ita intellige tu gloſſam in cap. Commiſſa, in verbo, iuſto impedimento, de electio. lib. vj. dicentē, quòd in caſu capituli, licet canon, eodem titulo poteſt collator cōferre beneficium ipſo iure vacans, abſq; alia pronunciatione ſuper priuatione incurſa. Eſt enim notoriè incurſa illa pœna priuationis. Hæc Felinus in illa prima limitatione. Et poſtea in tertia limitatione eiuſdem concluſionis, iterum ſic ait. Limita tertiò reſpectu fructuum, quoniam ad hoc vt debeantur fiſco non requiritur declaratoria ſuper priuatione iure impoſita, ſed ſtatim à die incurſæ pœnæ debetur fiſco. Ita tenet gloſſa, & Angelus in Authentica, de inceſtis nuptiis

A ptis in principio : & ibi infert, quòd non valet inſtrumentum confectum à tabellione priuato iure tabellionatus, cùm confectio inſtrumentorum ſit fructus officij: niſi fuiſſet occultè toleratus. Hactenus Felinus, qui ſentētiam Abbatis & Dominici in omnibus quæ ad noſtram concluſionem ſpectant, ſequitur.

Barbatius in repetitione cap. Rainaldus, de teſtamentis, folio 11. col. j. hanc eandem ſententiam docet, ſic dicens. Sequar ergo quæſtionem inceptam de foro conſcientiæ. Vtrum hæres non conficiens inuentarium teneatur vltra vires hæreditatis. Et mihi videtur de iure dicendum quòd teneatur: quod ſic demonſtro ad oculum ſupra Hoſtienſem, Bartolum & ſequaces. Vbicunque pœna eſt impoſita à lege ipſo iure, quis non poteſt retinere ius alteri quæſitum cap. ij. de præſcriptionibus, lib. vj. notatur in l. Commiſſa, ff. de publicanis. Et adduco quod voluit dominus Abbas in cap. j. de conſtitu. Sed iſta pœna quòd hæres teneatur vltra vires hæreditatis non conficiendo inuentarium, eſt impoſita à lege ipſo iure, & ex legis diſpoſitione, ergo ſalua conſcientia non poteſt facere hæres, quin ſoluat creditoribus vltra vires hęreditatis, cùm ipſo iure ſit acquiſitum ius creditoribus. Hactenus Barbatius, qui adeò apertè noſtrę patrocinatur opinioni, vt nihil fauorabilius dici poſsit. *Barbatius.*

B

Philippus Decius in cap. Canonū ſtatuta, numero 20. extra de cōſtitutionibus, quāuis impugnat rationes quibus innititur Abbas ad tuendū prædictā ſententiā ipſe tamē aliis rationibus motus eidem ſubſcribit ſententiæ. Et iterum eandem ſententiam docet in l. Quòd à quoque. ff. de regulis iuris. Illius verba nolo impræſentiarū referre, propterea, quòd in cap. ſequenti oportebit me illa citare tanquam illi propoſito etiam deſeruientia. Si quis igitur illa videre optat, in capitulo ſequenti reperiet. *Philippus Decius.*

Paulus de Caſtro in l. j. §. Ad beſtias, ff. de poſtulando, apertiſsimè docet pœnam à lege ipſo iure impoſitam obligare reum in conſcientia etiam ante iudicis ſententiam. Eius verba ſunt hæc. Nota quòd delinquens eo ipſo quòd deliquit, videtur conſentire, vt ſibi imponatur pœna à iure præfixa. Vnde allegatur quòd delinquens naturaliter obligatur ad pœnā delicti, etiam antequā ſit cōdemnatus: poſtea verò eſt obligatus ciuiliter & naturaliter. Hęc Paulus de *Paulus de Caſtro*

Caſtro, vir quidem magnæ apud iuriſperitos authoritatis. C

Ex his Pauli verbis nunc proximè citatis intelligo quæ-
Baldus. dam Baldi verba, & agnoſco illum meæ fauere ſententiæ. Nam in l. Id quod pauperibus. C. de epiſcopis & clericis, quæſtion. ix. hæc quæ ſequuntur verba refert. Nono quæritur an executor conſtitutus ad ſoluendum debita, poſſit ſoluere debita naturaliter tantum? Dic quòd non, vt ff. de ſolutionibus. l. Si is cui. §. Flauius. In contrarium tamen facit ratio naturalis: quia ille §. loquitur in contractibus: ſed nos loquimur in iudicio animæ, vbi debitum naturale vrget, ſicut naturale & ciuile. Et iſtud credo verius, quia eccleſiaſticum forum non curat de obligatione ciuili, vt extra de pactis, capit. j. Hactenus Baldus. In quibus verbis id potiſsimum annotandum eſt, quod dixit in iudicio animæ æquè vrgere debitũ naturale ſolũ, ac debitũ naturale & ciuile ſimul. At debitũ naturale ad pœnã ipſo iure impoſitam (vt ex dictis Pauli de Caſtro cõſtat) habet delinquens antequã ſit condemnatus, poſt condemnationem verò debet pœnam debito naturali & ciuili. Nam debitum naturale eſt illud, quod contrahitur ex virtute & poteſtate legis naturalis aut quæ à lege naturali deducitur: & hoc D debitum reſpicit forum ſecretum, quod conſcientiæ appellari ſolet. Cùm autem legi naturali proximũ ſit vt delicta ſint puniẽda, ideo iſti debitũ naturale ad pœnam dicũt eſſe in eo qui trãſgreditur legẽ pœnalẽ quę ſententiã cõtinet latam. Debitũ ciuile dicunt eſſe ex iudicis ſententia, & hoc reſpicit forum exterius, ob quã cauſam ego ſuſpicor ab iſtis appellatum eſſe ciuile. Ex quorum verborum intelligentia conuincitur, vt in iudicio animæ tantum obligetur reus ad pœnam à lege ipſo iure præfixam abſq; iudicis ſententia, quantum obligaretur poſt datam à iudice ſententiam. Et hinc apparet qualiter intelligendus ſit Bald. ſi quando fortè ait ſententiã iudicis eſſe neceſſariã, vt reus teneatur ad pœnam à lege ſtatutam. Intelligendus eſt enim de obligatione ciuili & quantum ad forum exterius, non autem intelligit talem ſententiam eſſe neceſſariam, quantum ad debitum naturale, & in foro conſcientiæ. Neq; huic ſententiæ obſtat, quod Baldus in eodem loco poſt prædicta verba paucis interpoſitis ſubdit dicens, quòd ſi pœna tranſiuit ad condemnationem contra defunctum, executor poteſt vendere

A dere pro pœna ſoluenda, ſi verò pœna non tranſiuit ad condemnationē cōtra defunctū, non poteſt vendere ad ſoluendū: quia talis (vt ait) non debetur in foro animæ. In his verbis Baldus loquitur de pœna impoſita per legē quę ſententiam cōtinet à iudice ferendā. Et de hac pœna verū eſt quod ad illam non tenetur executor, nec pro illa ſoluenda poteſt aliquid vendere, ſi defunctus non fuerat ad illam damnatus. De pœna autem quæ eſt à lege ipſo iure impoſita, nō loquitur Baldus: quoniam aliàs ſibi ipſi contradiceret, qui prius dixerat executorē eſſe obligatum in iudicio animæ ad ſoluendum ea debita, quæ defunctus naturaliter tantum debebat, & non ciuiliter.

Angelus de Peruſio in Authentica de inceſtis nuptiis, numero 2. apertius quàm Baldus eidem ſententiæ fauet, ſic dicens. Nota doctrinam quòd vbi lex dicit aliquem priuari iure ſuo, intelligitur ipſo iure abſque ſententia. Et per hoc dico, quod licet verbum futuri temporis priuationem inducens intelligatur, vt inducat priuationem demum lata ſententia, vt l. In criminali. C. de iuriſdictione omnium iudicum, & l. Iubemus. §. Sanè. C. de ſacroſanctis eccleſiis, *Angelus de Peruſio.*
B hoc eſt verum niſi ibi ſit dictio, Mox, vel Statim, vel incontinenti: quia tunc intelligitur ipſo iure, non autem per ſententiam, cùm ſententia nō poſſit dari mox, ſtatim, vel incontinenti, vt l. ij. C. de iuriſdictione omnium iudicū. Hæc Angelus de Peruſio. Et aliquibus interpoſitis numero 5. hæc quæ ſequuntur ait. Per iſtam gloſſam, iuncta etiā lege hìc allegata in gloſſa, dic quòd ſi ſtatutum dicit, quòd tabellio falſum committens ſit priuatus ipſo tabellionatus officio, quòd etiam ante latam ſententiam contra eum nō poterit inſtrumenta conficere. Quia conficere inſtrumenta eſt frui tabellionatus officio. Sed ex quo ſtatutum priuauit ipſum officio, iure priuauit eum fructu ipſius officij, qui conſiſtit in inſtrumentorū confectione. Et ideo inſtrumenta per eum facta, poſt eius falſitatem commiſſam non valent, niſi fortè tenerent propter publicam vtilitatem, & communem errorem, vt fuit in Barbario, vt l. Barbarius, ff. de officio prætoris. Hactenus Angelus de Peruſio.

Iaſo in tertio libro Conſiliorum ſuorum conſi. xxj. diſſerens de quodā decreto proclamato Mediolani anno domini 1446. hæc quæ ſequuntur verba ait. Cùm decretū dicat *Iaſo.*

ipſo iure & facto, ergo ſine miniſterio iudicis, & ſic abſque alia ſententia declaratoria, ſecundum Baldum in l.j. C. de ſecundis nuptiis, & Bartolum in l. prima. ff. de infamibus. Vnde dicit ad propoſitum Baldus in l.j. col. iiij. in fine, C. Ne ex delictis defunctorum, in verſiculo, ſed dubitatur eo caſu. &c. quòd lex qui delatorem, procedit quādo ficta confeſsio ſtabat in ſuis finibus, ſecus ſi tranſit in cōdemnationem iudicis, vel legis, vel ſtatuti, vt in caſu præſenti. Secundò reſpondetur, quòd etiam ſi executio ſit facta ſine aliqua declaratione, tamen valet & tenet, vt no. Inn. in c. Ex ratione, de appellationibus, quem refert & ſequitur Bal. reputās eius dictum tenendum menti, in c.j. de feudo ſine culpa nō amittendo. Hæc Iaſo, qui non ſolùm meæ patrocinatur opinioni, ſed refert Barto. & Bald. in eadem eſſe ſententia. C

Anton. Corſetus. Antonius Corſetus in ſingularibus ſuis in titulo, Pœna, verſiculo, Vbicunq; pœna. &c. apertiſsimè huic meę opinioni ſuffragatur, ſic inquiens. Vbicunq; pœna apponitur ipſo iure à lege, debetur non ſolū in foro iudiciali, ſed etiam in foro conſcientiæ ſeu pœnitentiæ. Iſtud aſſumptū probatur in cap. ij. de præſcriptionibus libr. vj. Hoc voluit dominus Abbas in cap. j. de conſti. Refert & ſequitur dominus meus in repetitione c. Rainaldus, de teſtamētis, circa fi. Hęc Antonius Corſetus, qui tam apertè huic meæ opinioni fauet, vt nihil ſit quod ab illo in hac parte deſiderari poſsit. Vt autem verba illius vltima declarē, credo illum ſub nomine domini ſui intellexiſſe Barbatium, propterea quòd ille ſuper prædictum capitulū, Rainaldus, repetitionē edidit, in qua (vt ex verbis ſuprà citatis conſtat) hanc ſententiam docet, probans illam eodem textu quo Antonius Corſetus. D

Andr. Tiraquellus Andræas Tiraquellus in cōmētariis quę nuper ædidit ſuper l. Si vnquam, in verbo, Reuertatur. C. de reuocādis donationibus, recenſet multa diſcrimina quibus ſentētia lata à ſentētia ferēda diſcernitur, & in ſecūdo diſcrimine hęc verba refert. Quū quid ſit ipſo iure, ſtatim ad id tenetur in foro quod cōſcientiæ appellāt, etiā ſi pœna ſit, quę quidē aliâs ex ſentētia gloſſę in c. Fraternitas. xij. q. ij. cū ſimil. nō debetur in eo foro. Ita voluit Panor. in c. j. de conſtitut. Hæc ille.

Gloſſæ multorū textuum. Prēter hos tam multos & tā illuſtres doctores qui huic meæ ſentētiæ patrocinātur, extant multæ ordinariæ gloſſæ textuum ex iure canonico, quæ hanc laudant & tuentur

A opinionem.in cap.Quàm ſit,in verbo,Eo ipſo,de electione lib.vj.hæc verba dicit gloſſa. Nec requiritur alia priuationis ſententia,licet vbi dubium eſſet,declarari poſſet ſententialiter illum eſſe priuatum. Et in eodem cap.in vlti.gloſſ. quæ eſt ſuper hoc verbo, Vacuetur, ſic ait. Dixit Gar.per ſententiam, & ideo aliud in iſto caſu quàm in ſuperiori: quia maius vinculum cōtractum eſt poſt conſenſum quàm ante,& ideo difficilius rumpitur. Gulielmus contra: quod verius puto,cùm hîc dicat litera, eo ipſo viribus vacuetur. Per quod ſatis patet quod eſt canon latæ ſententiæ non ferendæ. Hæc ibi gloſſa. Et in cap. Commiſſa, in verbo, iuſto impedimento, eodem titulo & libro, dicit quòd ſi quis electus ad parrochialem eccleſiam neglexerit infra annum ad ſacerdotium promoueri,ſtatim illo non vocato poſsit eccleſia alteri conferri,iuxta cap.Licet canon,eodem titulo & libro.In Clemētina, Quoniam,in verbo, Eo ipſo, de vita & honeſtate clericorum,dicit gloſſa hæc verba.Hîc ergo non eſt neceſſaria monitio, nec ſententia. Et in Clementina,Multorum,de pœnis,gloſſa vltima,hęc ait verba. Non requiritur ſententia quam incurrunt ipſo facto, ſed B ſufficit publicatio. Hæc in gloſſa.Cuius gloſſæ ſententiam laudat & tuetur Ioannes de Imola in eodem loco.

Ecce vides cādide lector,quot & quales habeo patronos qui meæ adſtipulantur opinioni,& illam pro viribus tuentur. Multi fortè alij ſunt iuriſperiti huius ſententiæ patroni,quos fateor me ignorare. Sed ſatis eſt homini theologo tot à mea profeſsione extraneos non ex aliorum relatu ſed ex facie noſſe, & illorum ſcripta inueſtigaſſe, vt tandem inuenirem patronos qui meæ fauerēt opinioni.Nam multi ex meis theologis qui mecū de hac re colloquebantur,& me in hac ſentētia ſemper conſtantē videbant,obiiciebant mihi omnē iuriſperitorū cateruam, quos omnes dicebant contrariam mihi tenere opinionem.Et ex ipſis iuriſperitis quidam,vt viderunt opus quod de iuſta hęreticorum punitione ædidi,in quo aliquid ad hanc rem pertinens dixi, exprobrabant mihi quòd in hac ſententia eſſem ſingularis,& nullum aliū præter Abbatem haberē meæ opinionis fautorem atq; tutorē.Væ itaq;,iuxta Salomonem,mihi minabantur:quia ſi cadere cōtingeret,non haberē ſubleuantem. *Eccle.4.* Ego verò qui de huius opinionis veritate nimium ſecurus

eram, & illi vehementer fidebam, quaſi impoſsibile arbi- C
trabar illam fuiſſe hactenus tam ſolam, & tam deſertam, vt nullum alium præter Abbatem habuerit tutorem. Hac igitur cauſa vehementer vrgente coactus fui quotquot potui perquirere doctores, qui huic tam apertæ veritati fauerent, & inueni hos quos hactenus recenſui.

Sed circa hanc noſtram primam huius capitis concluſionem, quam à tot tantiſq; doctis viris laudatam atq; probatam eſſe diximus, admonere lectorem decreui, vt intelligat hanc noſtram concluſionem non eſſe tam vniuerſaliter veram, quin aliquã patiatur exceptionem. Nam ſi ſemel lege aliqua vniuerſali decretum fuiſſet nullam legem pœnalem obligare ad pœnam ante iudicis declarationem, & ſi mille poſt illam datam extarent leges pœnales quæ ſententiam continerent à iure latam, nulla tamen earum obligaret ad pœnam ſine ſententia criminis declaratiua à iudice lata. Et certè ſi aliqua talis lex, qua admonerentur omnes nullam legem pœnalem obligare ad pœnam ſine iudicis ſententia, ſemel in iure communi poſita fuiſſet, libentiſsimè manibus (vt dicitur) & pedibus ad illorum tranſirem ſententiam, qui docent nullam talem legem obligare ad pœ- D
nam ante iudicis ſententiam. At, cùm nulla talis (vt capite ſequenti oſtendã) in toto iure communi habeatur, coactus fui ſentire eas cõmunis iuris leges, quæ ſentẽtias continent à ſe latas, obligare ad pœnã abſq; aliqua iudicis ſententia. Verùm & ſi talis vniuerſalis lex in nullo iure cõmuni ſiue canonico ſiue ciuili habeatur, aliquæ tamẽ reſpublicæ, quæ leges aliquas ſpeciales ad ſuam iuſtã & honeſtam conuerſationem condiderunt, conſcientiis ſuorũ ſubditorum conſulere volentes vniuerſali lege admonuerunt ſuos ſubditos ſe per nullam legem à ſe conditam aut poſtea condendam, etiam ſi ſententiam contineat à ſe latam, obligare ad pœnam niſi prius ſentẽtia accedat, quæ declaret crimen fuiſſe perpetratum. Talis lex fuit à fratribus ordinis Minorum regularis obſeruantię pro ſe ipſis condita in capitulo generali anno domini 1526. Aſsiſsij celebrato, cui capitulo ego interfui cuſtos cuſtodum prouinciæ ſancti Iacobi. Vt autẽ quod dico clarius elucefcat, verba ipſius legis aut ſtatuti hic inſerere decreui, & ſunt quæ ſequuntur. Declaratur quòd vbicunq; in noſtris ſtatutis generalibus vel particularibus

Statutũ fratrum minorũ.

A tibus taxatur aliqua pœna incurrenda ipſo facto, in talem pœnam non incurritur, niſi poſt declarationem factam à prælato. Prælatus autem non declaret delinquentem commiſiſſe factũ,pro quo pœna erat impoſita ipſo iure,niſi per rei euidentiam vel legitimè de crimine cõſtiterit. Poſt declarationem tamen huiuſmodi,ipſo facto reus in pœnã venit impoſitam,ſine noua impoſitione. Hactenus verba ſtatuti. In quibus verbis potiſsimũ annotandum eſt, quòd ait non eſſe neceſſariam nouam condemnationem, ſed ſatis eſſe ſolam criminis declarationem. In hoc capitulo generali vbi hoc ſtatutum conditum fuit, multi fuerunt viri religioſi in theologia & iure canonico doctiſsimi,è quibus aliqui in ſchola Pariſienſi doctoratus inſignia ſuſceperant. Inter hos omnes re hac plenè prius (vt oportebat) diſcuſſa, tandem ab omnibus decretum eſt, vt tale generale ſtatutum conderetur. Hoc autem fieri non videretur illis neceſſarium, ſi viri illi doctiſsimi intellexiſſent, ex ipſa rei natura aut ex iure cõmuni oriri,vt nullus poſsit in pœnam à iure latam incurrere, niſi prius accedat iudicis ſententia qua declaretur crimen eſſe perpetratum. Sed quia optimè B aduerterunt non eſſe neceſſariam iudicis ſententiam, ad hoc vt reus incidat in pœnam, quæ per legis ſententiam ipſo iure præfixa eſt, ideo ad ſedandas fratrum conſcientias,& tollendos ſcrupulos,qui ſępe ex talibus pœnis à iure latis oriri poterant,decreuerunt hoc ſtatutum condere, per quod facilè omnes ſcrupuli tolluntur. Et certè niſi fratres minores per tale ſtatutũ prudenter ſibi ipſis prouidiſſent, ego non dubitarem aſſerere fratres eiuſdem ordinis, qui contra ſui ordinis ſtatuta deliquiſſent eſſe obligatos in conſcientia ante omnem prælati condemnationem ad ſuſtinendas pœnas in ſuis ſtatutis ipſo facto aut ipſo iure impoſitas. Neque ab hac obligatione ego excuſarem illos, propterea quòd alio generali ſtatuto declaratum ante fuerat nullum ſuorum ſtatutorum obligare ad culpam aliquam. Nam illi generali ſtatuto potuit per aliud particulare derogari. Et ideo niſi declaratio ſupradicti ſtatuti addita fuiſſet, meritò credi potuiſſet in omnibus ſtatutis pœnalibus, quæ pœnam ipſo iure imponunt, eſſe derogatum illi priori ſtatuto,quo cauetur nullum ſtatutum obligare ad culpam. Non enim poſſunt hæc duo ſtatuta ſimul

ſtare,primum videlicet,quod ait,nullum ſtatutum obliga- C
re ad culpam: & alterum,quod obligat ad pœnam in foro conſcientiæ ſoluendam. Et ideo vt omnis tollatur contradictio,& abſurditas,oportet illud generale ſtatutum ſic interpretari, vt ab illo intelligatur excipi aliud particulare, quod de obligatione ad pœnam poſtea conditum eſt. Nam (vt dicitur de regulis iuris lib. vj.) generi per ſpeciem derogatur. Quæ regula adeò vera eſt, vt non ſolùm pro iuris humani, ſed etiam pro ſacræ ſcripturæ vera intelligentia ſit ſummè neceſſaria. Quoniam per hanc regulam multa, quæ in ſacra ſcriptura velut ex diametro pugnare videntur, facilè cõciliantur. Ex his tam multis aliqua ſubiiciam, vt ex illis agnoſcat lector, quàm neceſſaria ſit etiam in ſacris literis, nedum in ſtatutis humanis, hac regula iuris vti.
In Leuitico de animalibus, quæ comedi poſſunt, dominus
Leuit.11. differens, hanc generalem ſtatuit legem. Omne (inquit) de volucribus, quod graditur ſuper quatuor pedes, abominabile erit domino. Et tamen poſtea adhuc de volucribus loquens, ait. Quidquid autem ambulat quidem ſuper quatuor pedes, ſed habet longiora retrò crura, per quæ ſalit ſuper terram, comedere debetis. Si omne, quod graditur D
ſuper terrã, erat abominabile, quomodo poſtea permittit, vt id, quod longiora habet retrò crura, comedatur? Apertiſsima certè erit in his contradictio, niſi in illa priori lege generali intelligatur exceptum id, quod poſtea conceditur.
Iob 25. In libro Iob, iuxta ſeptuaginta interpretũ tranſlationem,
iuxta 70. generali elocutione dicitur. Nemo mundus à ſorde, nec infans, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram. Tamen de
1. Petr. 2. Chriſto dicit beatus Petrus, quòd peccatum non fecit, & idem de beata virgine omnis fatetur Eccleſia. Nam licet aliqui cenſeant eam in peccato originali fuiſſe conceptam, omnes tamẽ fatentur illam fuiſſe in gratia, quum ex vtero matris exiit, & ſine vllo peccato mortali aut veniali perpetuam vitam duxiſſe. Qui fieri poteſt, vt beata virgo ab introitu vſq; ad exitum vitæ ſine peccato fuerit, & nemo ſit mundus à ſorde, nec infans, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram? Tertium profero exemplum de illa vniuerſali elocutione, quam ſaluator protulit, dicens. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei. Ex qua ſententia colligi poſſet, martyrium

A tyrium pro Chriſto conſummatum non eſſe ſatis ſine baptiſmo aquæ ad vitam æternã aſſequendam: ſed quia alibi baptiſmus ſanguinis commendatur à Chriſto, ideo oportet intelligere illum in illa priori vniuerſali propoſitione fuiſſe exceptum, quamuis illic non fuerit expreſſus. Et hoc ipſum apertè docet Hugo de ſancto Victore, ſic dicẽs. Qui enim dixit, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei: idem ipſe alibi dixit. Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo. Quod ergo ibi dictum non eſt, ſubintelligendum tamen eſt, quamuis dictum non eſt; quoniam alibi dictum eſt. Hæc Hugo. Potuiſſem multò plura proferre ſimilia exempla, quæ omnia cauſa prolixitatis vitandæ omitto, propterea quòd iſta impræſentiarum ſufficere mihi videntur. Sed hæ & aliæ huiuſmodi vniuerſales elocutiones ſic accipiendæ ſunt, vt in illis ſemper intelligantur excepta ea, quæ alibi particulari elocutione contrarium dicunt, etiam ſi illic expreſſè non excipiantur. Illa ergo generalis elocutio, quæ habetur in Leuitico, hunc debet habere ſenſum. Omne volucre, quod graditur ſuper

Hugo lib. 2. par. 6. capit. 7.

B pedes, abominabile erit vobis, præter illud, quod longiora habet retro crura, per quæ ſalit ſuper terram. Et quod Iob dixit, ſic debet intelligi. Nemo mundus à ſorde, nec infans, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram, præter Chriſtum & virginem eius matrem, qui perpetuò ſine peccato vixerunt. Iuxta hunc modum exponit beatus Paulus verſum illum ex Pſalmo octauo. Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius. Nam in priore ad Corinthios epiſtola de Chriſto ſaluatore noſtro loquens, ait. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius. Nouiſsimè autem inimica deſtruetur mors. Omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius. Cùm autem dicat, omnia ſubiecta ſunt ei, ſine dubio præter eum, qui ſubiecit ei omnia. Ecce qualiter beatus Paulus docet in illa vniuerſali prophetæ elocutione debere intelligi, quamuis illic non exprimatur, eſſe exceptum id, quod alibi particulari elocutione conſtat fuiſſe exceptum. Ad hunc igitur modum intelligere oportebit ſtatutum illud, quod generali elocutione ſic ait. Nolumus per aliquod noſtrum ſtatutum aliquem obligare ad culpam. Ab hac enim

Pſalm. 8. 1. corin. 15

enim generali elocutione intelligere oportet eo ipſo eſſe exceptum ſtatutum illud particulare, quod clariſsimis verbis oſtendit ſe obligare ad pœnam in foro conſcientię reddendam. Et ita, iuxta regulam iuris ſuprà citatam, generi per ſpeciem derogatur. Alioqui aperta eſſet inter generale & ſpeciale ſtatutum diſſonantia. Nam ſi ſtatutum particulare dicit ſe velle, vt in foro conſcientiæ ſint eo ipſo obligati ad pœnam, aut dicat, eo ipſo ſine alia ſententia eſſe obligatos, tunc verum non erit, quod in generali ſtatuto dicebatur, nullum videlicet ſtatutum obligare, niſi ab hac generali elocutione intelligatur tunc excipi illud particulare, quod de obligatione ad pœnam poſtea conditum eſt. C

Caietan. Et hinc clarè conuincitur deceptum fuiſſe Caietanum in commentariis ſuper 2.2. ſancti Thomæ, quæſtio. clxxxvj. *Thomas.* art.ix. Illo enim loco beatus Thomas diſſerens de obedientia religioſorum, quantæ ſit virtutis & poteſtatis ad obligandum ſubditos, tandem in reſponſione ad primum principale argumentum, hæc verba ait. In aliqua tamen religione, ſcilicet ordinis prædicatorum, tranſgreſsio talis vel omiſsio ex ſuo genere non obligat ad culpam mortalem neq; venialem, ſed ſolùm ad pœnã taxatam ſuſtinendam: D quia per hunc modum ad talia obſeruãda obligantur. Hæc *Caietan.* ſanctus Thomas. Circa hæc verba Caietanus mouet aliqua dubia, quorum tertiùm eſt. An reus tranſgrediens ſtatutum incurrat culpam ſi non ſuſtinet pœnam. Et reſpondet, quòd vbi tale ſtatutum vniuerſale eſt de non obligando ad culpam, ſicut eſſe dicit in ſtatutis fratrum prædicatorum, ibi dicit nullam eſſe culpam, quamuis non ſuſtineat reus pœnam, quæ per ſtatuta fuerat illi præcepta. Sicut non peccat (inquit ille) violando ſilentium, ita etiam non peccat omittendo pœnam, quæ propter violatum ſilentium eſt in ſtatutis expreſſa. Hanc tamen illius ſententiam ego probare non poſſum. Nam in ordine fratrum minorum (vt aliàs me dixiſſe memini) habetur tale ſtatutum generale, quo admonentur ſubditi, vt intelligant, nullum ſui ordinis ſtatutum obligare ad culpam aliquam mortalem vel venialem. Hoc tamen ſtatuto non obſtante, re ipſa intelligimus, aliquam eſſe in aliquibus ſtatutis pœnalibus obligationem ad culpam ſaltem venialem, ſi reus omittat eam ſubire pœnam, quæ eſt illi per ſtatutum præcepta.

Hæc

A Hæc autem obligatio inde nobis datur intelligi, quòd ſi reus omittat eam ſuſtinere pœnam, quæ eſt per ſtatutum decreta, reprehenditur à prælato, & alia inſuper grauior illi propter talem pœnæ omiſsionem, infligitur à prælato pœna. Et credo idem contingere in ordine fratrum prædicatorum, & in quocunque alio ordine, qui bonis moribus, vt ille, regitur & gubernatur. Hoc autē iuſtè fieri non poſſet, ſi nullam crederent eſſe in tali omiſsione culpam, ſaltem venialem. Non eſt enim æquum, vt quis ſine culpa ſua vel aliena reprehendatur, & pœnam inſuper ſuſtineat. Culpam igitur aliquam hoc ipſo oſtenditur eſſe in omiſſione pœnæ, quòd qui illam omittit, reprehenditur & punitur. Fortè hic aliquis reſpondebit, negando quòd nō poſſit aliquis ſine culpa iuſtè reprehendi & puniri, & dabit exemplum in eodem monacho ordinis minorum aut prædicatorum, qui tranſgrediens ſtatutum ſui ordinis (vt diximus) non peccat, & tamen illi infligitur pœna per ſtatutum ſui ordinis decreta. Fateor ita eſſe, ſed hoc ideo ſuſtinet, quia ipſe per ſtatuta ſui ordinis ſe obligauit ad pœnā, & ideo quamuis culpa non præceſſerit, tenetur pœnam B ſubire. Et hinc eſt, quòd omittens pœnam peccet, quamuis tranſgrediendo alia, quæ in ſtatutis decreta ſunt, non peccet: quia ad pœnam ſe voluntariè per ſtatutū obligauit, ad alia autem in ſtatutis contenta noluit ſic ſe obligare. Præterea, hæc Caietani ſententia ex diametro pugnat cum litera ſui ſtatuti, quæ talis eſt. Vt vnitati & paci totius ordinis prouideamus, volumus & declaramus, vt conſtitutiones noſtræ non obligent nos ad culpam, ſed ad pœnam. Hactenus verba ſtatuti. Ex horum tenore verborum conſtat, ſtatuta ordinis prædicatorum obligare ad pœnam. Sed ſi nullam incurrit culpam, qui ex deliberatione omittit pœnam, quomodo eſt poſsibile, vt ad illam fuerit obligatus? Qualem, quæſo, habet vim & poteſtatē talis obligatio, ſi abſq; culpa poteſt quis cōtra talem obligationem omittere pœnam? Nam quiſquis omittit quod eſt obligatus facere, peccat iuxta qualitatem obligationis. Et certè (vt ingenuè fatear) ego non poſſum intelligere, quomodo hæc duo cohærere poſsint, vt quis ſit ad aliquid obligatus, & illud omittens nullo modo peccet. Nam communis eſt omnium Theologorum ſententia, in peccatis, quæ ſola omiſsione

Statutū ordinis prædicatorum.

comm

committuntur, grauitatem culpæ æſtimandam eſſe per quantitatem obligationis, vt quantò maior fuerit obligatio ad faciendum aliquid, tantò grauius peccet, qui omittit illud. Ex quo neceſſariò ſequitur, vt monachus ordinis prædicatorum, qui ex vi & poteſtate ſui ſtatuti obligatur ad pœnam, peccet ſi omittat eandem. Et huic meæ ſententiæ fauet Vincentius Bandellus, magiſter generalis ordinis prædicatorum, in commentariis, quæ ædidit ſuper ſtatuta generalia ſui ordinis. Nam interpretans illud eiuſdem ordinis ſtatutum à nobis nunc proximè citatum, hæc ait. Idcirco tranſgreſſores noſtrarũ conſtitutionum, quando ſunt puræ conſtitutiones, & non habent præceptum annexum, & id, quod eſt in eis, non eſt aliâs lege diuina prohibitum vel mandatum, non obligantur ad aliquam culpam, ſed tantum ad pœnam in conſtitutionibus taxatam, vel per prælatos imponendam, & taxandam, quam ſi facere recuſauerint, non euadent culpam. Et quamuis pœna non debeat infligi nolenti ſine culpa, ei tamen, qui ſe voluntariè obligauit ad aliquam pœnã, poteſt talis pœna infligi ſine culpa. Hæc Bandellus. Quæ verba apertiſsimè fauent mihi, & pugnant cum Caietano. Rurſum, opinio & ſententia Caietani apertè contradicit literæ beati Thomæ. Nam beatus Thomas reddens rationem, quare fratres ſui ordinis obligantur ad pœnam taxatam ſuſtinendam, ait. Quia per hunc modum ad talia obſeruanda obligantur. Hæc ille. Si monachus omittens ſuſtinere pœnam, ad quam per ſtatutum obligatur, nullam culpam incurrit, nullo modo per obligationem ad pœnã ſuſtinendam obligabuntur fratres ad ſeruãda ſtatuta. Si verò dicamus, prout dicere cogimur, eum, qui pœnam omittit, peccare, facile eſt cognoſcere, quomodo per obligationem ad pœnam obligabuntur fratres ad ſeruanda ſtatuta. Quia ne in talem obligationem ad pœnam incidant, conabuntur ſeruare ſtatuta. Nec eſt quod de hac re miretur aliquis, vt quis omittens rem per legem decretã non peccet, & omittens ſubire pœnam propter tranſgreſsionem legis ab eadem lege impoſitam, peccet. Nam aliqua fuerunt olim in lege Moſaica præcepta his prorſus ſimilia, vt docet Scotus in vlti. quæſt. tertij ſent. vbi de oneribus veteris legis loquens, hæc ait. Licet poſſent tangere morticinium & huiuſmodi, incurrebant

Vincẽtius Bãdellus · *S. Thom.* · *Scotus.* · C · D

A bant tamen ex hoc multas immundicias, ad quorum purgationem ſi non faciebant, quæ in lege mandabantur, peccabant mortaliter, ſicut explicatur ibi. Anima quæ fecerit, vel nō fecerit ſic & ſic, morte moriatur, & peribit de populo meo. Quæ eſt comminatio damnationis æternæ. Hæc Scotus. Ad hunc modum videtur mihi ſentire beatus Thomas de ſtatutis ſui ordinis, ita vt fratres ſui ordinis licet non obligentur per ſua ſtatuta ad culpam aliquā, obligentur tamen ad pœnam in illis taxatam ſuſtinendam, ita vt pœnā illam ſubire omittens, aliquo modo peccet. Sed opus eſt vt videamus, quo argumento ſuam nobis nititur perſuadere opinionem Caietanus, & quum illi facilè reſponderimus, actum erit de ſua opinione. Sic enim argumentatur. Lex iſta vniuerſalis eſt, & non particularis, quum dicimus. Nolumus quòd ſtatuta noſtra obligent ad culpam, ſed ſolùm ad pœnam. Conſtat autem, quòd ſi tranſgreſsio in operando excuſaretur à culpa, & omiſsio pœnæ non excuſaretur à culpa, iam particularis eſſet lex iſta. Hæc ille. Quàm parum valeat hoc argumētum, ex iis, quæ diximus, clariſsimè conſtat. Lex illa, quæ dicit ſtatuta non obligare

B ad culpam, generalis eſt & vniuerſalis, quo ad omnia, quæ fieri præcipiuntur, aut prohibentur, præter quàm ad ſuſtinendam pœnam. Hæc enim lex particularis de obligatione ad pœnam, etiam ſi in loco remotiſsimo ab illo priori ſtatuto fuiſſet collocata, ſemper (vt ſuprà diximus) intelligeretur excepta in illa lege vniuerſali, quæ tollit ab omnibus ſtatutis obligationem ad culpam, nec ideo prior illa lex deſineret propter talem exceptionem dici vniuerſalis. Et inde conuincitur, vt lex illa non deſinat etiam eſſe vniuerſalis, propterea quòd ſtatim ab illa excipitur obligatio ad pœnam. Exceptio ſiquidem aut tacita aut expreſſa, non tollit quin elocutio ſit vniuerſalis reſpectu aliorum, quæ non excipiuntur. Si quis enim ſic loquatur. Nullum animal præter hominem eſt riſibile. Quia homo eſt ab illa vniuerſitate exceptus, non obſtat, quin talis elocutio non ſit meritò dicenda vniuerſalis ad reliqua omnia præter hominem. Et ſi fortè Caietanus contendat, non eſſe dicendam propoſitionem aut legem vniuerſalem, vbi eſt aliqua exceptio, contentio erit de ſola vocis ſignificatione: ſed tunc negabo id,

quod in ſuo argumento aſſumpſit, ſic dicens. Lex illa vniuerſalis eſt & non particularis, quum dicimus: Nolumus quòd ſtatuta noſtra obligent ad culpam, ſed ſolùm ad pœnam. Nam per hoc, quod ſtatim excipitur obligatio ad pœnam, iam non erit, iuxta ſuppoſitum, lex vniuerſalis. Cùm igitur iam apertè oſtenderim argumentum Caietani nullius eſſe roboris, cogor in mea ſententia perſiſtere, vt dicam fratres ordinis prædicatorum, licet non obligentur ad culpam, ex vi ſuorum ſtatutorum propter illa, quæ in illis aut mandantur, aut prohibentur: tamen ex vi ſui ſtatuti ſic obligantur ad pœnam, quòd ſi illam ex deliberatione omiſerint, culpam (vt Bandellus dixit) incurrent. Quia etſi non ſtatim, vt factum eſt, ſed poſt multa alia verba ſtatutum conderetur de obligatione ad pœnam, eſſet neceſſariò intelligendum, legiſlatorem per illam particularem legem voluiſſe in illo caſu derogare priori legi vniuerſali. Quo fit, vt (iuxta ea quæ diximus) illa particulari lege data, ſit ſtatim in lege priori vniuerſali neceſſariò intelligenda exceptio poſterioris particularis legis, quamuis talis exceptio non exprimatur apertè in priori lege vniuerſali. Huic ſententiæ conſonat, & vehementer fauet, quod lege communi definitum eſt, clauſulam generalem non eſſe referendam ad negotia, quæ ſpeciales clauſulas habẽt, vt dicitur in l. Doli clauſula. ff. de verborum obligationibus. Et iuxta hunc modum ſunt neceſſariò intelligenda multa ſtatuta, quæ in diuerſis collegiis vniuerſitatis Salmanticenſis habẽtur, niſi quis velit dicere, alicuius collegij fundatorem, aut ſtatutorum illius conditorem, adeò ignorantem & ſtupidum fuiſſe, vt ſecum pugnantia ſtatuta condiderit. Sunt in vniuerſitate Salmanticenſi, in qua hæc ſcribo, multa & varia ſtudentium collegia à diuerſis perſonis condita, & propriis redditibus dotata, in quorum quolibet certus ſtudentium numerus alitur ex propriis collegij redditibus. Quodlibet iſtorum collegiorum, præter generalia ſtatuta, quæ omnibus ſtudentibus Salmanticenſis vniuerſitatis à ſummo pontifice data ſunt, propria habet ſtatuta, apoſtolica authoritate condita, quæ illi ad bonum eiuſdem collegij regimen illius fundator reliquit. In aliquibus iſtorum collegiorum ſtatutis, à principio per generale ſtatutum admonet fundator ſtudentes ſuos, nullum ſuorum

C D

A ſuorum ſtatutorum obligare eos ad culpam, niſi illi aliunde fuerint lege diuina aut canonica obligati ad aliquid illorum, quæ in ſuis ſtatutis continentur. Poſt hoc generale ſtatutum, continentur aliquæ particulares conſtitutiones, in quibus idem legiſlator ſtatuit, vt qui hoc aut illud fecerit, ſit obligatus in foro conſcientiæ ad hanc aut illam pœnam. Vbi huiuſmodi ſtatuta habentur, certum eſt peccare, qui illam pœnam omiſerit ſoluere, nec liberari illum à peccato, quouſq; pœnã reddat. Quia licet generali ſtatuto dicatur, nullum illorum obligare ad culpam, tamen particulare illud, quod poſtea conditum eſt de obligatione ad pœnam in foro conſcientiæ ſoluendam, facit exceptionem ab illo vniuerſali ſtatuto prius poſito. Et eo ipſo, quòd tale particulare ſtatutum cõditum eſt, cogimur, vt in priori illo vniuerſali intelligatur hoc particulare eſſe exceptum, ita vt hic ſit ſenſus illius prioris vniuerſalis ſtatuti. Nullum noſtrum ſtatutum obligat ad culpam, præter illud, in quo ponitur obligatio in foro conſcientiæ ad pœnam. Nam niſi ita illud ſtatutũ interpretemur, neceſſariò erit dicẽdum, illa duo ſtatuta, generale videlicet & ſpeB ciale, pugnare inter ſe, & ſe inuicem deſtruere. Et ſi quis adeò effrons eſt, & ſuo patrono adeò ingratus, vt non vereatur fateri illum pugnantia ſtatuta cõdidiſſe, cogetur neceſſariò dicere, nullum illorum duorũ ſtatutorum aliquid valere. Quoniam ſicut vniuerſale ſtatutũ deſtruit particulare, ita è cõtrario particulare deſtruit vniuerſale. Qua igitur ratione tollitur vnũ, tolletur & reliquũ. Ne igitur vtrunq; tollamus, oportet vt vtrũq; ſuſcipiamus, & in concordiã ea redigamus. Hoc autẽ aliter fieri nequit, niſi illlud vniuerſale ſtatutũ interpretando cum exceptione alterius particularis ſtatuti ſubſequentis. Quoniam niſi ita fiat, oportebit dicere legislatorẽ fuiſſe mendacẽ, quum illud particulare ſtatutum condidit. Dicit enim ſe obligare per illud in foro conſcientiæ ad pœnam. Neceſſarium igitur eſt ſtatutum illud obligare (vt ait) in foro conſcientiæ ad pœnã, aut illius conditorem tunc fuiſſe mentitũ. Et idem prorſus apud fratres minores eueniret, ſtante illo priori generali ſtatuto, quo admonetur nullum eorũ incurrere pœnam per ſua ſtatuta ipſo facto impoſitam, niſi poſt declarationem à prælato factã, ſi poſt hoc ſtatutũ ſtatueretur aliquod particulare, quo

decerneretur,vt faciens hoc aut illud, incidat in talem pœ- C
nam,ad quam in foro conſcientiæ ſit ipſo facto obligatus, non eſt dubium quin illud particulare ſtatutum obligaret fratrem reum iuxta iſtorum verborum tenorē. Nam poſtquam fratres illi, ad quos ſpectat, condiderunt illud prius vniuerſale ſtatutum, per quod tollitur omnis obligatio ad culpam,non ſe ſic ligauerunt, aut ſuam poteſtatem ſic minuerunt,vt non poſsint in aliquo particulari caſu derogare illi vniuerſali ſtatuto. Certum eſt autē illos non poſſe clarioribus & apertioribus verbis id, quod poſſunt, exprimere,quàm dicendo ſe in caſu illius particularis ſtatuti velle obligare ſubditos ad pœnam in foro conſcientiæ ſtatim ſoluendam.Ergo tunc non obſtante priori vniuerſali ſtatuto, erit reus obligatus in foro conſcientiæ ad pœnam ante iudicis declarationem. Alioqui,ſi iudicis declaratio eſſet adhuc neceſſaria, prout in priori illo vniuerſali ſtatuto dicitur,non eſſet reus in foro conſcientiæ ligatus, prout decernit poſterius particulare ſtatutum. Quia iudicis ſententia, quę,iuxta iuris ordinem, proceſſum ad cauſæ cognitionem requirit,non pertinet ad forum conſcientię,quòd in occulto & ſine teſtibus fit. D

Reſpondetur rationibus & argumentis, quæ pro illis, qui contrariam tuentur opinionem, poſſunt afferri.

CAPVT IX.

QVamuis ſententia, quam in præcedenti capitulo aſſeruimus, fuerit manifeſtis (vt ego cenſeo) argumentis, & multiplici doctiſsimorum virorum teſtimonio comprobata, ſunt tamen multi alij non infimæ authoritatis viri,tam Theologi,quàm iuris humani periti, qui conſtanter docent, nullam legem pœnalem obligare reum ad aliquam pœnam ante ſententiam iudicis, qua declaretur crimen illud eſſe perpetratum, propter quod fuerat à lege impoſita

A impoſita pœna. Iſtorum ſententias non eſt opus impræſentiarum eodem verborum tenore, quo ab illis dicũtur, citare, prout hactenus feci. Quia etſi illorum verba non referam, nulla poterit iuſta oriri ſuſpitio, me illorũ dicta falſò citaſſe. Nam cùm ego dicam illos eſſe mihi contrarios, iuſtum eſt, vt omnes mihi præbeant fidem, niſi fortè aliquis me adeò ſtupidum aut hebetem putat, vt fautores & patronos meos dicam eſſe aduerſæ partis aduocatos, & eos, qui pro me militant, dicam contra me aperto marte pugnare. Ne igitur cartas in vanum implere videar, ſatis me lectori facturum exiſtimaui, ſi ſola doctorum, qui mihi contrariam tuentur opinionem, nomina recenſeam, & loca, in quibus illorum ſententias inuenire poſsit, velut digito oſtendam.

Bartolus in l. Eius qui delatorem, ff. de iure fiſci. Archidiaconus in cap. Cùm ſecundũ leges, de hereticis, lib. vj. Petrus Ancharanus in eodem capitulo. Philippus Francus in eodẽ cap. Alexander in l. Si quis maior. C. de trãſactionibus. Gulielmus Benedictus in magno illo opere, quod fecit ſuper cap. Rainutius, de teſtamẽtis, parte ij. numero 32. B Hippolitus Marſilienſis in ſua practica cauſarum criminalium, in §. Aggredior. numero 105. & in rubrica. ff. ad legem Corneliam de falſis, numero 24. Alciatus in l. Cùm poſteaquam. C. de pact. & in lege, Si quis maior. C. de tranſactionibus. Ex noſtris theologis Caietanus, qui in cõmentariis ſuper ij. ij. (vt præcedenti capitulo citauimus) dixerat legis ſententiã latã obligare in cõſcientia ad pœnam in ea decretam, tamen in ſua ſumma de peccatis, in titulo, Pœna, dicit eſſe ſemper neceſſariam iudicis ſententiam, non ſolùm eam, quę declaret crimen eſſe cõmiſſum, ſed quæ reum damnet ad pœnam: quod à nemine alio dictum eſſe ſcio. Syluester de Prierio in ſua ſumma, in titulo, hæreſis. j. quæſtione viij. & in titulo. Pœna, quæſt. xxv. Nouiſsimus omnium theologorũ, quos ſcripſiſſe nouerim, iſtorũ omnium ſequitur ſententiam Ioannes Medina in illo ſuo opere de contractibus, ſiue de reſtitutione, in quęſtione xxij. vdi diſſerit de iis, quæ acquiſita ſunt in ludo alearum. Hi ſunt, quos noui contrariam meæ opinioni tenere ſententiam, quanquã magna illorum pars non de ſententia legis pœnalis, ſed de illius executione loquuntur: ita vt ad ſolam exe-

Bartol. Archid. Anchar. Philipp. Francus. Alexan. Gulielm. Benedic. Hippoli. Alciatus Caietanus. Syluester. Ioannes Medina.

cutionem ſententiæ, quæ miniſterium hominis requirit, C
dicant ſententiam iudicis eſſe neceſſariam. Sed hæc res, quæ eſt de executione ſententię, longè aliam petit diſputationem, de qua in capitulo proximè ſequenti diſſerã, quoniam impræſentiarum non de executione ſententię, ſed ſolùm de obligatione ipſius ſententiæ diſſero. Noſtri theologi (vt quod de illis ſentio candidè loquar) iuriſperitorum in hac parte ſententiam legentes, illam ſine vlla diſcuſsione (vt ego ſuſpicor) ſunt ſequuti. Nam ſi rem hanc, quæ ad illos tanquã ad legis naturalis & diuinæ peritos, optimo iure ſpectabat, diligẽter inueſtigaſſent, & illius origines optimè fuiſſent perſcrutati, non dubito quin aliter ſenſiſſent: quoniam nulla eſt ratio, quæ theologos aut iuris peritos cogere potuit, vt hanc tuerentur ſententiam. In omnibus enim theologis, qui hanc tuentur opinionem, nullum reperi argumentum, quo oſtendant ſe fuiſſe perſuaſos ad talem opinionem ſuſcipiendam, ſed ſola quorũdam iuriſperitorum authoritate perſuaſi, illorũ ſubſcripſere ſententiæ. Nec ſi illã quęſiuiſſent, potuiſſent (vt ego cenſeo) talẽ inuenire, qualem viros theologos decebat. Nam illa ſumenda erat ab illis ex lege naturali aut diuina, circa cuius intelligentiam potiſsimum theologi verſantur. At nulla eſt lex D
diuina, quæ doceat non poſſe legem aliquam ſtatui, quæ obliget reum ad pœnam ſubeundam abſq; aliqua iudicis ſentẽtia. Quoniã ſi aliqua talis eſſet, aut naturalis eſſet, aut ab eodem Deo poſt conditam naturã poſita. Naturalis lex eſſe non poteſt, vt ex his, quæ capite iiij. huius ſecundi libri diximus, apertiſsimè cõuincitur. Nam ibidem oſtendimus multas in veteri teſtamento eſſe leges, quæ peccatorum cõſcientias olim obligabãt ſine aliqua iudicis ſententia ad reddendum pœnas, quæ in illis erant decretæ. Et, quod magis vrget, ex nouo teſtamento apertiſsimam protulimus legem hoc idem efficientem. Deus autem, vt illic dixi, nunquam illas ſtatuiſſet, ſi legi naturæ vel tantillum aduerſarentur. De lege poſitiua diuina non eſt opus contendere, cùm luce clarius ſit, nullam talem legem diuinam eſſe, quæ aliquid ſimile ſtatuat. Omiſsis igitur in hac parte theologis, veniamus ad iuris humani peritos, qui meæ opinioni aduerſam tuentur ſententiam, & petamus ab eis alicuius canonis aut legis textum apertum,

A tum, vt oſtendant nobis ſe ab illo conuictos, aut ſaltem perſuaſos fuiſſe, vt talem conſtanti animo meritò tenuerint ſententiam. Et firmiſsimè credo, quòd licet hoc ab illis inſtanter petamus, & ad hoc faciendum vehementer illos vrgeamus, nunquam nobis talem canonem aut legem ex iure pontificio aut Cæſareo proferent. Sed ne quis me in hac parte velut temerarium & arrogantem accuſet, quòd homo theologus, & qui omnia iura non potuerim euoluere, audeam dicere, nihil tale in iure reperiri, profero in huius rei teſtimonium Ioannem Ferrarium, virum in vtroque iure doctiſsimum, qui in l. Quod à quoquam. ff. de regulis iuris, hæc verba ait. Nuſquam enim inuenio etiam ſacris canonibus expreſſum, quòd pœna non debeatur, tantum abeſt, vt exacta repeti poſsit. Hæc ille. Deinde, auſus ſum dicere, nullam talem legem inueniri: quia ſi aliqua talis eſſet lex, non dubito quin illam ſæpiſsimè vſque ad faſtidium citaſſent iuris periti, qui de hac re diſſerunt, præſertim cùm in aliis rebus leges & iura vſque ad nauſeam citare ſoleant, etiam in rebus, quæ per ſe notiſsimæ ſunt, & ad quarum probationem non B erat opus legem aliquam citare. Hoc autem faciunt tam frequenter, & tam abundè atque tediosè, vt multò plures cartas impleant citationibus ſuis, quàm in proferendis ſententiis ſuis: adeò, vt ſi à quouis magno aliquo illorum opere teſtimonia legum & canonum, & aliorum authorum illic citata ſubtraxeris, & ſolam rerum ſententiam reliqueris, ingens & immenſum illud opus in paruum aliquod opuſculum rediges. Si, noſtris theologis, qui hactenus res theologas tractarunt, ad hunc modum ſcribere placuiſſet, tot & tam immenſa fuiſſent illorum volumina, vt vnius ſolùm aut alterius opera ſufficerent ad magnam aliquam bibliothecam implendam. Nam omnia omnium opera, nec maximũ aliquod ædificium capere potuiſſet. Subinde tamen in excuſationem tam frequentis & tam prolixæ citationis occinunt nobis illud. Erubeſcimus ſine lege loqui. Quam ſententiam iam illis in prouerbium verſam, perperam (vt ego exiſtimo) illi vſurpant & intelligunt. Nam ſi per hoc, quod dicunt, ſine lege loqui, idem intelligunt ac ſi dicerent, ſine citatione alicuius legis, nihil certè dici poteſt imperitius, nihil etiam abſurdius, quàm

Ioannes Ferrar.

non eſſe ſine tali lege loquendum. Quia talis legum citatio nō eſt facienda in re clariſsima,& de qua nulla eſt controuerſia,ſed in ſola re dubia, & de qua non inter omnes cõuenit,aut ſaltem in re tali,quæ nō ſit omnibus manifeſta,& de qua meritò quis dubitare poſſet. Alioqui certè iniuriam faciet rei,quam aſſerit: quoniā per hoc ſolùm,quod leges ad illius probationē citat,videtur illā ſuſpectam, aut dubiam,aut ſaltē non manifeſtam facere. Sine lege loqui, mihi idem videtur,ac loqui ſine ratione,& ſine iudicio, & ſine modo: & qui ſic loquitur,meritò erubeſcere debet. Plus ergo erubeſcere deberēt,quū tot leges ſine lege profundūt etiā ad rei per ſe notiſsimę probationē. Nam tam frequens & tā prolixa legum,& canonū,& doctorū citatio ad ſolam proficit memoriæ oſtentationē, non autē ad meliorē interpretationem,aut maiorē confirmationē rei,de qua tractāt. Quæ res non paruum ſolet audientibus aut legentibus generare faſtidium,& ſæpe illorum perturbare memoriam. Quis nō faſtidiret hiſtoriographum, aut hominē in communi colloquio aliquid enarrantem, qui pro qualibet re, quam profert, multitudinem teſtimoniorum citaret? Ob quam cauſam videtur mihi optimè dici poſſe iuriſperitis, cùm tam prolixa legum & canonum citatione loquētibus id,quod Samiorum legatis olim Lacedęmones dixiſſe Plutarchus memorat. Nā cùm illi apud Lacedæmones nimiū prolixam orationem habuiſſent,illi tantam prolixitatem faſtidientes,reſponderunt. Priora quidem obliti ſumus, & poſteriora non intelleximus, propterea quòd priora, ex quibus illa pendebant,iam exciderunt memoria.

Plutarchus.

Sed his omiſsis,quę oblata occaſio me obiter dicere coegit,opus eſt vt ad id,quod primò dicebā,meam reducā orationē. Dico igitur me firmiſsimè credere,nullā eſſe in iure, ſiue pontificio,ſiue Cæſareo, legem, quæ apertè decernat aut declaret,nullā legē pœnalē obligare in foro conſciētię reum ad pœnā ſubeundam ſine alia iudicis ſententia. Quia ſi aliqua talis eſſet,illam pro ſe citaſſent iuriſperiti,qui de hac re differentes,contrariam nobis tuentur ſententiam. At nullum talem legis aut canonis textū expreſſum pro hac re citatum apud aliquem illorum inueni, etiam ſi hoc diligētiſsimè ab illis quæſiuerim. Sed ne gratis & ſine vllo teſtimonio ſuā opinionē tā Theologi quàm iuris humani

A manî periti tueri videantur, proferunt pro ſe cap. Cùm ſecundum leges, de hæreticis, libro ſexto, vbi papa poſtquam in principio capituli priuauit hæreticum dominio bonorum ſuorum, tandẽ in §. Confiſcationis, prohibet ne fiſcus bona illius apprehendere poſsit, antequam iudex eccleſiaſticus declarauerit illum in crimen hæreſis incidiſſe. Et inde videtur illis colligi, vt in omni lege pœnali, quæ pœnam aliam à cenſuris ſtatuit per ſententiam latam, ſit ſemper expectanda ſententia iudicis, qua declaret crimen eſſe commiſſum antequam legis tranſgreſſor teneatur ſubire pœnam à lege ſtatutam. Sed qui ſic ex textu illius capi. argumentantur, bis per omnia peccant: quoniam falſum aſſumunt, & peſsime inferunt. Primò quidem falſum eſt id, quod dicunt in illo §. Confiſcationis, præcipi, vt prius iudex eccleſiaſticus declaret aliquem eſſe hæreticum, antequam ſententia illius capit. Cùm ſecundum leges, mandetur executioni. Et vt falſitatem huius dicti apertius declarare valeamus, oportet primùm præſupponere vnùm, quod eſt ab omnibus conceſſum, videlicet quòd dominium alicuius rei, & illius poſſeſsio, ſunt duo inter
B ſe diuerſa, quorum vtrunque ab altero ſeparari poteſt. Hoc autem re ipſa comprobatur euenire, quando quis factus eſt hæreticus, & nondum eſt de ſuo crimine damnatus. Tunc enim hæreticus habet poſſeſsionem ſine dominio, & fiſcus è contrario habet dominium ſine poſſeſsione. In prima parte illius cap. Cùm ſecundum leges, papa priuat per illum canonem hęreticum dominio bonorum ſuorum: & nihil prorſus in illa parte loquitur de priuatione poſſeſsionis: Tandem in illos §. Confiſcationis, agit de poſſeſsione, & pręcipit papa, vt quãuis hæreticus ſit à tempore commiſsi criminis priuatus dominio bonorum ſuorum, fiſcus tamen non poſsit tollere poſſeſsionẽ bonorum illorum ab hæretico, niſi prius iudex eccleſiaſticus declaret illum eſſe aut fuiſſe hæreticũ. Et vt melius & facilius lector agnoſcat verũ eſſe id, quod dico, decreui verba illius paragraphi illi ob oculos proponere, quæ talia ſunt. Confiſcationis tamen huiuſmodi executio, vel bonorum ipſorum occupatio fieri non debet per principes, aut alios dominos tẽporales, iuxta Gregorij papæ prædeceſſoris noſtri declarationem, antequã per epiſcopum loci vel aliam perſonam

eccleſiaſticam, quæ ſuper hoc habeat poteſtatem, ſententia ſuper eodem crimine fuerit promulgata. Hactenus verba textus. Ex his omnibus apertiſsimè conſtat, duas res valde diuerſas tractari in illo capitulo, Cùm ſecundum leges. In prima parte papa diſſerit de dominio bonorum hæretici, in ſecunda verò de poſſeſsione eorundem bonorum. Et inde euidenter conuincitur, falſum eſſe antecedens, quod in illa argumentatione aſſumebatur, papam videlicet illic præcipere, vt ſententia ab illo contra hæreticum in priore parte capituli data non mandaretur executioni, antequam iudex eccleſiaſticus proferret ſententiam criminis declaratiuam. Nam cùm ſententia in illa priore parte capituli contra hæreticum data (vt iam diximus, & ex ipſa litera conſtat) non ſit priuatio poſſeſsionis, ſed priuatio dominij: & hæc dominij priuatio iam eſt poſita in executione ante ſententiam iudicis: quia licet ante illius ſententiam non ſit priuatus poſſeſsione, eſt tamen iam priuatus dominio: conuincitur inde euidenter, etiam in caſu illius cap. Cùm ſecundum leges, nõ eſſe neceſſariam iudicis ſententiam declarantem crimen eſſe commiſſum, vt hęreticus incidat in pœnam illius capituli. Quoniam (vt nunc dixi, & omnes iuriſperiti præter Archidiaconum fatentur) hæreticus à tempore commiſsi criminis etiam ante iudicis ſententiam amiſit dominium bonorum ſuorum. Angelus de Peruſio in Authentica de inceſtis nuptiis, apertè innuit ſe ad hunc modum intellexiſſe textũ illum. Nam poſtquam nu. 2. dixerat quòd vbi lex dicit aliquẽ priuari iure ſuo, quod intelligitur ipſo iure abſq; ſententia, tandem nu. 4. hęc, quę ſequuntur, ait. Ex prædictis dico, quòd ſi ſtatutũ dicat, quòd quicunq; commiſerit homicidium, ſit ſuis bonis ipſo iure priuatus, vel quòd notarius ſit ipſo iure priuatus notaria pro commiſſo homicidio, licet homicida priuatus ſit ipſo facto, tamen bona non poſſunt auferri ſibi, niſi prius condemnetur de homicidio. Quia oportet prius conſtare per ſententiam, quàm bona auferantur ei, vt dicta l. Eius qui delatorem. ff. de iure fiſci. Hæc Angelus, qui ſatis apertè dicit ſententiam non eſſe neceſſariam ad priuationem bonorum, ſed ad apprehenſionem illorum: quia ſolùm illud primum erat pœna legis. Sed apertius huic meæ ſententiæ, qua textum illum ſic intelligendum eſſe cenſeo, fauet

Angel. de Peruſio.

C D

A fauet Felinus, vir in iure pontificio illuſtris, & vnus ex optimis eiuſdem iuris interpretibus, qui in cap. Canonum ſtatuta, de conſtitutionibus, numero 44. poſtquam dixerat pœnam ipſo iure impoſitam deberi in foro conſcientiæ, hæc quæ ſequuntur, nec vno mutato verbo ſubiungit. Non etiam obſtat huic limitationi, quòd in pœnis impoſitis ipſo iure requiratur declaratio, vt dicitur in cap. Cùm ſecundum leges, de hæreticis, libro ſexto. Quia non requiritur declaratio, ad hoc, vt pœna incurratur, eſt enim iam incurſa: ſed ad hoc, vt bona poſsint apprehendi per fiſcum, cùm non conſtet de delicto incurſo, ſecundum Bartolum in l. Eius qui delatorem. ff. de iure fiſci. Nec in declaratis imponitur pœna, nec de ea fit mentio, ſed dicitur delictum commiſſum eſſe. Quo declarato, ſtatim pœna iam incurſa exigitur, ſecundum dominum Abbatem in cap. Peruenit, el primo, de appellatio. Et prius non debuit apprehendi, quia fortè non conſtabat, ſecundum dominum Abbatem in cap. Verum, in vltima columna, de foro competenti. Hactenus Felinus. Cuius verba ideo *Felinus.*

B ad integrum citare decreui, vt ex re ipſa lectori conſtet Felinum meę fauere ſententiæ. Nam ita me ſemper in hoc opere facturum ſpopondi, vt hac via omnem falſæ citationis ſuſpitionem, quam lector concipere potuiſſet, ab illo propulſarem. Et eodem modo intellexiſſe videntur textum illum omnes illi doctores, quos in præcedenti capitulo in meæ opinionis patrocinium citaui. Nam omnes illi etſi dicant legem pœnalem, quæ ſententiam continet à iure latam, ſtatim ſine vlla alia ſententia obligare reum in conſcientia ad pœnam, ad executionẽ tamen pœnæ ab alio faciendam, dicunt ſemper eſſe neceſſariam ſententiam criminis declaratiuam, vt per illam conſtet de crimine commiſſo. Et ob hanc cauſam, quando crimen ſine ſententia eſt notum, multi ex illis (vt illic diximus) ſentiunt talem ſententiam non eſſe neceſſariam. Peccat ſecundò illa prædicta argumentatio ex mala cõſequentię illatione. Quoniam etſi gratis concedamus, quòd in caſu illius cap. Cùm ſecundum leges, ſit ſtatutum vt iudicis ſententia expectetur, antequam legis tranſgreſſor teneatur ſubire pœnam in illo cap. ſtatutã, non ideo conſequens eſt, vt in omni alia pœna ipſo iure impoſita, ſit idem neceſſa-

riò faciendum. Nam ex ſingulari inferre vniuerſalem (vt eſt euidens apud dialecticos) peſsima eſt conſequentia. Quòd ſi quis fortè ad huius conſequentiæ probationem adducat argumentum ex rerum ſimilitudine, ex qua euenire ſolet, vt, quod in vno aliquo ex ſimilibus ſtatutum eſt, idem in omnibus aliis ſimilibus ſtatutũ eſſe intelligatur. Hoc argumentum facilè eneruatur per hoc, quòd licet talis ſimilitudo hanc habeat in aliis negotiis poteſtatem, circa inflictionem tamen pœnarum ea regula fallit. Nam (vt capite ſeptimo libri primi apertè probaui) argumentum à ſimili circa pœnas inferendas non valet, vt docet gloſſa in capitulo, In pœnis, de regulis iuris, libro ſexto. Et ſi fortè daremus argumentum tale valere in pœnis à iudice inferendis, nunquam tamen hoc concedendum eſt in pœnis, quæ ſunt ipſo iure impoſitæ. Nam licet gloſſa in Clementina prima in verbo, præſidenti, de reſcriptis, & Philippus Francus in capitulo primo de temporibus ordinationum, libro ſexto, dicant conſtitutionem pœnalem, quæ continet ſententiam ferendam propter identitatem rationis poſſe extendi ad caſum in conſtitutione non expreſſum, hoc tamen non eſſe admittendum in lege pœnali, quæ ſententiam continet latam, docet Ioannes Andræas in cap. Odia, de regulis iuris libro ſexto. Deinde, etſi gratis & liberè illis concedere vellem, conſtitutionem pœnalem, quæ ſententiam continet latam, poſſe extendi propter eandem cauſam ad alios caſus ſimiles illi, de quo agitur in conſtitutione, hoc tamen tunc ſolùm verum eſſet, quando res eſſent verè ſimiles, ita vt nulla poſsit inter eas reperiri notabilis diſsimilitudo, quæ illas circa negotiũ, de quo agitur, meritò diſtinguere & ſeparare valeat. At crimẽ hęreſis, de quo agitur in cap. Cùm ſecundũ leges, eſt valde diſsimile aliis criminibus. Nam de crimine hæreſis non poteſt iudicare laicus, ad quem ſpectat confiſcationẽ vel bonorum apprehenſionem facere. In aliis autem criminibus, propter quæ eſt ipſo iure priuatio bonorum impoſita, laicus poteſt de crimine cenſere, & bonorum apprehenſionem facere. Et hæc diſsimilitudo ſatis eſt, vt quod de vno dicitur, non ſit de alio intelligendum. In crimine hæreſis, quia de illo laicus iudicare non poteſt, meritò conſtitutum eſt, vt antequam fiſcus bona apprehendere poſsit, iudex eccleſiaſticus

Philippus Francus.

Ioannes Andr.

C

D

A ſticus declaret verum eſſe crimen hæreſis, propter quòd meritò ſint bona confiſcanda. Quia niſi id ita fieri oporteret, ſæpe contingeret bona ſua pro libito capi ab eo, qui hæreticus non eſſet, dicente fiſco hæreticum eſſe eum, qui verè catholicus eſſet. Et hinc apertè deducitur, vt licet argumentum à ſimilibus valeret in legibus pœnalibus ſicut in aliis, non liceret ex illo cap. Cùm ſecundum leges, inferre, niſi quòd vbicunq; perſona, quæ debet exequi ſententiam à iure latam, non poteſt iudicare de crimine, propter quod imponitur pœna, ibi ſemper ſit neceſſariũ, quòd præcedat ſentẽtia criminis declaratoria data à iudice competente, antequam perſona illa exequatur ſententiam à iure latam. Sed crimen, de quo agitur in cap. Pro humani, de homicidio, libro ſexto, tale eſt, quòd is, qui poteſt executionem ſententiæ contra illud datæ facere, poteſt etiam de eodem crimine iudicare. Et ob hanc cauſam in capitulo papa non præcipit, ſicut in capitulo, Cùm ſecundum leges, vt ante ſententiæ executionem præcedat ſententia criminis declaratoria, imò potius apertè dicit illam non eſſe neceſſariam. Nam poſtquam dicit Aſſaſinos, & illorum B fautores, atq; receptatores, incurrere ipſo facto depoſitionem à dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio, ſtatim hæc verba ſubdit. Et illa liberè aliis, per illos, ad quos eorum collatio pertinet, conferantur. Vbi gloſſa in verbo, liberè, dicit, Etiam illo non vocato. Ex quibus verbis apertiſsimè conſtat, non eſſe neceſſariam iudicis ſententiam. Quia ſi illa requireretur, non liberè, vt dicit textus, illi, ad quos ſpectat, poſſent talia conferre. Quoniam poſſet reus multa opponere, per quæ talis libertas impediretur. Sicut igitur ex cap. Cùm ſecundum leges, intulimus propter identitatem rationis, regulam generalem, qua dicitur ſemper eſſe neceſſariã iudicis ſententiam ad executionem ſentẽtiæ à lege latæ, quando is, cui competit ſententiæ executio, non poteſt iudicare aut cognoſcere de crimine: ita etiam eodem argumento oportebit ex prædicto cap. Pro humani, propter ſimilitudinem rationis elicere aliam regulam generalem è contrario vniuerſaliter dicentem, quod ad executionẽ ſententiæ à lege latæ, nunquàm requiritur iudicis ſententia, quando is, qui poteſt ſententiã exequi, poteſt etiam de crimine cognoſcere, & iudicare. Et ita

ex his omnibus conuincitur illud capit. Cùm ſecundum leges, peſsimè à multis citari, qui paſsim ſine vllo delectu illud afferunt ad probandum id, quod ex illo capit. minimè probari poteſt, cùm longè aliud in illo capitulo definiatur, quàm ipſi putant. Hîc res ipſa me cogit exorare candidum lectorem, vt omni humano affectu ſecluſo, & reiecto omni contentionis amore, ſed ſolo inueſtigādæ veritatis deſiderio diligenter conſideret ea omnia, quæ circa intelligentiam illius capit. Cùm ſecundum leges, diximus, & apertè cognoſcet nihil tale in illo haberi, quale à multis putatur: & deinde facilè perſpiciet ex mala illius intelligentia peſſimum aſſumi argumentum. C

Secundò, pro confirmatione ſuæ ſententiæ argumentantur authoritate gloſſæ in capitulo, Fraternitas. xij. quæſt. ij. quæ (vt illi aiunt) cenſet nunquam legem pœnalem obligare reum ad pœnam in foro conſcientiæ ſoluendam. Sed re vera non poſſum non mirari, quòd tot tantique viri huius gloſſæ authoritate moueantur ad dicendum, nullam legem pœnalem ante iudicis ſententiam obligare reum in conſcientia ad pœnam, quæ eſt per legem ſtatuta. Nam in hoc argumento multò magis falluntur, quàm in priori argumento ex cap. Cùm ſecūdum leges. Primò quidem conſtat, gloſſatorem illum non eſſe tantæ poteſtatis, vt poſsit nobis leges dare. Poſſunt quidem huiuſmodi doctores leges & iura interpretari, ſed non leges aut iura condere. Id enim neceſſariò cenſendum eſt de interpretibus iuris humani, quod de ſacræ ſcripturæ interpretibus cenſet Auguſtinus in epiſtola decima nona, quæ eſt ad Hieronymum, ſic inquiens. Ego ſolis eis ſcripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honorémque deferre, vt nullum eorum ſcribendo erraſſe audeam credere. Et aliquibus interpoſitis ſubdit. Alios autem ita lego, vt quantalibet ſanctitate, quantáue doctrina polleant, nō ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt: ſed quia mihi per alios authores, vel canonicas, vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreat perſuadere potuerunt. Hæc Auguſtinus. Et in epiſtola ad Fortunatum iterum ait. Neque quorumlibet diſputationes, quamuis catholicorum & laudatorum hominum veluti ſcripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, ſalua honorificentia quæ illis debetur

D

Auguſt.

A debetur hominibus, aliquid in eorum ſcripturis improbare atque reſpuere, ſi fortè inueniremus quòd aliter ſenſerint quàm veritas habet, diuino adiutorio ab aliis intellecta vel à nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, quales volo eſſe intellectores meorum. Hæc Auguſtinus. Si ſacræ ſcripturæ & iuris diuini interpretes, quamuis ſanctiſsimi viri ſint, non poſſunt (vt Auguſtinus ait) nos cogere vt ſuam ſententiam tanquam pro lege recipiamus, multò minus iuris humani interpretes qui non tanta ſanctitate pollent, poterunt nobis præfigere leges, aut latas abrogare. Poſſunt quidem illi (vt dixi) iura interpretari, ſed illorum interpretatio eatenus recipienda eſt, quatenus illa textui conſentire videtur. Si autem cum litera, quam interpretantur, velut ex diametro pugnat, aut à ſententia literæ longè diſtat, non ſolùm non eſt recipienda, ſed multis ſibilis explodenda. Et fortè talis eſt hæc gloſſa ſuper capit. Fraternitas, niſi illam velimus benignè & piè interpretari.

Secundò, peccat hoc argumentum quod ex ſententia illius gloſſæ factum eſt, quia etiam arguit ex particulare ad vniuerſale, prout in priori argumento ex capitulo, Cùm
B ſecundum leges, quod argumentationis genus eſt apertè vitioſum. Nam gloſſa in illo capit. Fraternitas, non loquitur de omni lege pœnali, ſed ſolùm de illa lege quæ propter furtum iubet, vt non ſolùm rem furto ſublatam, ſed aliquid vltra exigatur ab eo qui furtum fecerat. Et hanc legem dicit non obligare in foro conſcientiæ ad pœnam in illa ſtatutam. Vt autem omnibus conſtet, verum eſſe quod dico, verba eiuſdem gloſſæ hìc inſerere ſtatui. Poſtquam gloſſator ille varias circa literam illius capituli, Fraternitas, dedit interpretationes, tandem ad vltimam quæ illi magis placuit, deueniens hæc verba dicit. Vel ponas caſum ſic. Quæſitum fuit ſi aliquis confeſſus fuit ſacerdoti ſuo ſe furtum feciſſe, an pœnitentia debet ei iniungi, vt illam rem reſtituat cum pœna. Reſpondeo quòd non, & ſic contraria non tangunt caſum. Hæc gloſſator. Contratraria quæ obiecerat dicit pertinere ad forum exterius, literam verò illius capituli ad forum cõſcientiæ. Quam ſententiam ego libẽtiſsimè ſuſcipio, tantũ abeſt, vt ego illam oppugnare velim. Omnis enim lex humana quæ ſtatuit vt fur in pœnam ſui delicti reddat aliquid vltra id quod furto

surrip

ſurripuit, ſolam ſententiam ferendam continet, & non latam, & proinde (vt cap. ij. huius libri diximus) non obligat in conſcientia furem antequam ſit à iudice condemnatus ad pœnam. Ex hac autem particulari gloſſæ ſententia inferre regulam generalem ad omnes leges pœnales, vt nulla illarum poſsit in conſciētia obligare ad pœnam, eſt peſſima conſequentia & inualidum argumentum. Et certè gloſſa illa non potuit amplius, imò nec tantum quantum ipſa dicit, colligere ex litera illius textus quem interpretatur. Nam beatus Gregorius cuius eſt ille textus non de omni furto loquitur, ſed ſolùm de illo quo aliquid ab eccleſia ablatum eſt: in quo iuſta illum cauſa vrgente malluit pater ille ſanctus manſuetudinem & rerum humanarum contemptum oſtendere, quàm ſeueritatem & cupiditatis ardorem: & ideo monet Auguſtinū Anglorum epiſcopum, vt furta illa ſine augmento pœnæ recipiat. Neque hoc Gregorij dictum eſt vbique tenendum, ſed ſolùm in Anglia, in qua Auguſtinus ille erat, & in qua quæſtio, cui beatus Gregorius reſpondet, mota fuit. Et vt quod dico clarius eluceſcat, oportet antiquam hiſtoriam repetere, ex qua huius rei cognitio pendet. Beatus Gregorius miſit Auguſtinū illum epiſcopum ad gentem Anglorum, quæ illo tempore adhuc erat idolorū culturæ dedita, vt illam ad Chriſti fidem conuerteret, & in illa inſtrueret. Qua in re fideliter & ſtrenuè Auguſtinus laborauit, prout beatus Gregorius libro nono, ſui regiſtri. Epiſtola lviij. teſtatur, & tot Anglos ad fidem Chriſti conuertit, vt ob hanc cauſam dictus fuerit Anglorum epiſcopus. Hic ex Anglia vndecim quæſtiones miſit ad beatum Gregorium obſecrans illum, vt pro meliori & certiori Anglorum doctrina, illis omnibus reſpondere dignaretur. Inter illas vndecim interrogationes, quæ quarto loco collocata eſt, his verbis continetur. Obſecro quid pati debeat, ſi quis aliquid de eccleſia furto extulerit. Huic interrogationi reſpondet beatus Gregorius ea quæ in illo capit. Fraternitas, citantur à Gratiano, quamuis non integrè ibidem citentur ab illo, ſed truncata (vt ferè ſemper facere ſolet) & mutilata. Si quis ea integra videre deſiderat, inueniet in fine regiſtri beati Gregorij. Verba quæ potiſsimum ad interrogationem Auguſtini reſpondent, ſunt illa quæ in fine illius capituli habētur, & ſunt quæ ſequuntur.

Gregor.

C

D

A tur. Addis etiam quo modo ea quæ furto de eccleſiis abſtulerunt, reddere debeant. Sed abſit quòd eccleſia cũ augmento recipiat, quòd de terrenis videtur amittere, & lucra damnis quærat. Hæc Gregorius. Quibus verbis beatus Gregorius noluit reuocare in vniuerſum antiqua eccleſiæ ſtatuta, quibus præceptum erat cum augmento reddere, quæ ab eccleſia fuiſſent furto ſublata. Nam Euſebius Papa qui *Euſebius.* per aliquot ſecula Gregorium præceſsit, fuit enim ſub magno Conſtantino & Maxentio, hoc quod ſequitur decretum ſtatuit. Si quis eccleſiaſticas oblationes, & quod Deo conſecratum eſt, rapuerit, vel conſenſerit facientibus, vt ſacrilegus diiudicetur, & damnum in quadruplum reſtituat, & canonicè pœniteat. Hæc Euſebius Papa, & citantur ab eodem Gratiano in capit. In legibus. xij. quæſt. ij. Et Ioannes Papa huius nominis tertius, qui etiam Gregorium præceſsit, hæc ait. In antiquis eccleſiæ ſtatutis decretum eſt, vt qui aliena inuadit, non exeat impunitus, ſed cum multiplicatione omnia reſtituat. Hæc Ioannes Papa, & citantur etiam à Gratiano in capit. In antiquis, eadem cauſa & quæſtione. Hæc antiqua eccleſiæ ſtatuta non reuocauit
B vniuerſaliter beatus Gregorius ſcribens Auguſtino Anglorum epiſcopo, ſed diſpenſauit cum eccleſia Anglorum, vt quia tunc noua erat, non exerceret antiquam eccleſiæ ſeueritatem cum illis qui res eccleſiaſticas rapuiſſent, ne Angli iudicaſſent viros eccleſiaſticos rerum terrenarum cupidos, & hac occaſione horruiſſent illos, & receſsiſſent ab eis, quod maximum eſſet damnum. Et hoc eſt quod dicere voluit beatus Gregorius, quum dixit. Sed abſit vt eccleſia cum augmento recipiat, quod de terrenis rebus videtur amittere, & lucra damnis quærat. Nam damnum exiſtimabat Gregorius illud ſcandalum quod Angli paſsi fuiſſent, ex ampliatione & augmẽto rerum furtiuarum, & cum tali damno non vult eccleſia tale lucrum. Et ideo dixit. Abſit vt eccleſia lucra damnis quærat. Circa alias tamen prouincias in quibus iam fides Chriſti creuerat, & firmiter fundata erat, quia hoc ſcandalum non timebatur, ideo hoc apud illas noluit valere quòd ſoli Anglorum epiſcopo ſcripſerat. Alioqui ſibi ipſi contradiceret, qui (vt Gratianus illum citat in cap. Si ſeculi, duodecima quęſtione ſecunda,) dicit illum qui alium defraudauit, debere in quadruplum

reſtit

reſtituere. Nec opus eſt multis argumẽtis vt probem hanc C
eſſe beati Gregorij intentionem, cùm ipſe illam apertiſsimè
expreſſerit in ſui regiſtri lib.xij. Epiſtola 31. Nam in ea
epiſtola reſpondens Felici epiſcopo Siciliæ, qui interrogauerat
illum aliqua ſimilia iis quæ antè interrogauerat Au-
Gregor. guſtinus Anglorũ epiſcopus, hæc quæ ſequuntur ait. Quòd
ſcripſi Auguſtino Anglorum gentis epiſcopo, alumno videlicet,
vt recordatus es, tuo, de conſanguinitatis coniunctione,
ipſi & Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat,
ne à bono quod cœperat, metuendo auſteriora recederet,
ſpecialiter & non generaliter cæteris me ſcripſiſſe cognoſcas.
Et paucis interpoſitis ſubdit. Nam iuxta apoſto-
1.Corin.3. lum qui ait: Lac vobis potum dedi non eſcam, iſta illis modo
non poſteris (vt præfixum eſt) temporibus tenenda indulſimus,
ne bonum, quod firma adhuc radice plantatum
eſt, erueretur: ſed cœptum firmaretur, & vſq; ad perfectionem
cuſtodiretur. Sanè ſi in his ſecus quàm debuimus, aliquid
egimus, non propter ipſam ſed commiſerando actum
eſſe cognoſcas. Vnde teſtem inuoco Deum, qui cogitationes
omnium hominum nouit, cuius etiam oculis omnia
nuda ſunt & aperta. Nam ſi ea deſtruerem quæ anteceſſo- D
res noſtri ſtatuerunt, non conſtructor ſed euerſor eſſe com-
Lucæ 11. probarer, teſtante veritatis voce quæ ait. Omne regnum in
ſe ipſum diuiſum nõ ſtabit, & omnis ſcientia & lex aduerſum
ſe diuiſa deſtruetur. Ideóque neceſſe eſt, vt omnes concorditer
ſtatuta ſanctorum patrum noſtrorum teneamus.
Hactenus Gregorius, qui apertiſsimè declarat ſe nolle ſtatuta
anteceſſorũ ſuorũ deſtruere, ac proinde ſi quid Auguſtino
Anglorũ epiſcopo reſpõdit, quod videatur eſſe ſanctorum
patrum ſtatutis contrariũ, id non pro omnibus debere
intelligi dicit, ſed ſolis Anglis ex quadam commiſeratione
fuiſſe conceſſum. Ex quibus apertè conuincitur
Gratianum malè conciliaſſe dictum Gregorij in capit. Fraternitas,
quòd in faciem pugnare videbatur cum ſententia
Euſebij Papæ, quæ poſita erat in capit. In legibus, eadem
cauſa & quæſtione. Nam poſt verba illorum duorum
Gratian. pontificum, hæc quæ ſequuntur ſubiungit Gratianus. Verum
illud Euſebij de legum ſeueritate, iſtud Gregórij de
eccleſiaſtica manſuetudine dictum intelligitur. Hæc ille.
Melius certè (vt ex iis verbis Gregorij quæ vltimo citauimus,

A mus, conſtat) illa duorum pontificum decreta conciliaſſet, ſi ſic dixiſſet. Illud Euſebij vniuerſale eſt, quæ ab omnibus & circa omnes obſeruari debet: iſtud Gregorij particulare eſt priuilegium ſolis Anglis ex quadam miſeratione pro eo tempore conceſſum. Quæ omnia ſi bene & diligenter fuiſſet perſcrutatus gloſſator, non fuiſſet tot anguſtiis pro intelligentia illius textus præpeditus, vt modo in hanc modo in illam ſe verteret ſententiã. Nam apertè intellexiſſet illa non pro omnibus, ſed pro ſolis Anglis fuiſſe decreta, ac proinde non eſſe inde deducendam regulam ad omnes generalem. Sed licet daremus illa quæ conſtat eſſe in particulari dicta, debere de omnibus intelligi, nihil ex verbis beati Gregorij colligi poterat, niſi quod ab eo qui res eccleſiaſticas furto ſurripuit, non eſt aliquid vltra rem furtiuam loco pœnæ recipiendum: quia de ſolis illis rebus Gregoriis, & non de aliis locutus eſt.

Tertiò, peccat illud argumentum quod ex authoritate illius prædictæ gloſſæ in cap. Fraternitas, adductum eſt: quia & ſi gratis concedere velimus, ex illo particulari quod beatus Gregorius definit circa res eccleſiaſticas poſſe colligi re-B gulam generalem circa alia, hoc ſolum verum eſſet circa illa omnia in quibus inueniretur ſimilis cauſa, & eadem rationis ſimilitudo, & non circa illa inter quæ eſt maxima diſsimilitudo. Inter leges pœnales, quæ ſententiam à iudice ferendam continent, & alias quæ latam continent ſententiam, tanta eſt diſsimilitudo, vt Andræas Tiraquellus in commentariis ſuper l. Si vnquam. C. de reuocandis donationibus, enumeret quinquaginta & ſex diſcrimina inter illas. Quãuis igitur illud Gregorij dictum de pœna propter furtum non recipienda, poſſet propter ſimilitudinem ad alias pœnas extendi, ad ſolas illas eſſet dilatandum, quæ ſunt ſtatutæ per legem pœnalem quæ ſententiam ſolùm à iudice ferendam continet. Nam hæ ſolæ ſunt quæ habent ſimilitudinem cum lege, quæ propter furtum pœnam ſtatuit: quia hæc etiam decernit pœnam quæ eſt à iudice infligenda. Ad alias autem leges pœnales quæ continent ſententias latas, dictum Gregorij non poteſt applicari, propterea quòd pœna furti de qua loquitur Gregorius longiſsimè diſtat ab illis. Et quantum ad gloſſam in hac parte ſpectat, bene ſe res habet, quòd

Tiraquellus.

illa non excedit dictum Gregorij, nec ad plura ſe extendit quàm ad illa de quibus loquitur Gregorius, vt puta de pœna furti. Quanquam aliquid in hac parte videtur augere illius ſententiã, cùm gloſſator abſolutè & vniuerſaliter de omni furto loquatur, quod Gregorius de ſolo furto rerum eccleſiaſticarum dixerat. Malè igitur multi theologi & iuriſperiti faciunt, qui plus prædictam gloſſam dicere referunt quàm illa dicat. Nam illa literæ illius textus adhærens de ſola pœna, propter furtum ſtatuta loquitur, vt ex verbis illius quæ ſuprà citauimus apertiſsimè conſtat. At multi theologi & iuriſperiti citant illam pro ſe ac ſi generaliter de omni pœna loqueretur. Et ideo melius alij iuriſperiti illius ſenſum animaduerterunt, qui dicunt gloſſam illam eſſe, intelligendam de ſola lege pœnali quæ ſententiam à iudice ferendam continet, & ad ſolam illam dicunt ſententiam gloſſæ eſſe limitandam. Sed certè (vt ingenuè loquar) non erat opus gloſſatoris ſententiam temperare, vel (vt illi loquuntur) limitare, quia ille tam temperatè loquutus eſt, vt de ſola pœna furti ſuam protulerit ſententiam. Et inde conſtat illos potius gloſſatoris ſententiam dilatare quàm limitare, cùm ad omnem ſententiam à iudice ferendam extendant, quod de ſola pœna furti gloſſator dixerat. Sed qui ſic gloſſatoris ſententiam interpretantur, & (vt ipſi aiunt) limitant, quia in ea cauſa, de qua potiſsimum inquirimus, nobis fauent, ideo illorum ſententias in noſtrum fauorem citare decreui. Abbas in capitulo primo, de conſtitutionibus, poſtquam iuxta ſententiam prædictæ gloſſæ in capitul. Fraternitas, dixerat pœnam impoſitam per legem poſitiuam non obligare in foro pœnitentiæ, hæc quæ ſequuntur ait. Hoc limitarem niſi lex imponeret pœnam ipſo facto, vt quia ipſo facto publicat bona alicuius, quia tunc non puto quòd ille poſsit retinere bona publicata cum bona conſcientia. Hæc ille. Sed quia fortè aliquis malè ſententiam Abbatis intelligens, propterea quòd ille dixit ſe putare, opinabitur Abbatem in hac ſententia fuiſſe dubium, prout quidam iuriſperitus ſe ſentire mihi oſtendit volens hac ratione hoc dictũ Abbatis reiicere: ideo in cap. Dilecti, de arbitris, iterum de prædicta gloſſa diſſerens, priorem ſuam ſententiam firmo animo repetit, ſic dicens,

Abbas. C D

A cens. Prædicta ego limito, vbi pœna venit imponenda per iudicem, ſecus puto vbi pœna eſſet impoſita ipſo facto. Hęc ille. Felinus in eodem capitulo, canonum ſtatuta, numero 43. de conſtitutionibus, citat hanc Abbatis ſententiam & laudat eam, & pro viribus tuetur illam ab eis, quæ ſuo iudicio poterant contra illam proferri. Nam differens illic de ſententia huius ſæpe dictæ gloſſæ hæc quæ ſequuntur verba refert. Recipit tamen gloſſa dicti capit. Fraternitas, quinq; limitationes. Et primò limitatur ſecundum dominum Abbatem hîc niſi lex imponeret pœnam ipſo facto: quia tunc non putat ipſe quòd poſsint retineri bona publicata cum bona conſcientia, quia ius eſt ſtatim quæſitum fiſco. Et paucis interpoſitis ſubdit. Nec obſtat huic limitationi, licet ipſe non dicat, quòd quis in conſcientia retinet bona ipſo iure amiſſa vtendo præſcriptione, cap. iij. de præſcriptionibus, lib. vj. quia ibi erat ignorantia pœnæ, vt patet ex textu in verbo, bona fide. Nec etiam obſtat quòd pœna non conficientis inuentarium ſit impoſita ipſo iure. l. fi. §. Si verò C. de iure deliberandi, & tamen non incurrit in foro conſcientiæ, vt dictum eſt, quia lex imponit il-
B lam pœnam propter præſumptionem fraudis: ideo ſi veritas eſt in contrarium non ligat in foro conſcientiæ, ſecus ſi verè interueniſſet fraus. Ex quibus habes duas nouas reſtrictiones ad hanc limitationem domini Abbatis. Hactenus Felinus, qui apertiſsimè Abbatis ſententiam tuetur. Eidem ſententiæ ſubſcribit Andræas Tiraquellus in illis iam ſæpe citatis commentariis ſuper l. Si vnquam, in verbo, Reuertatur. C. de reuocandis donatio. Huius verba, ne ſemel dicta repetam, nolui hîc citare: quia in præcedenti capitulo fuerunt iam per me citata. Limitat adhuc ſecundò illam ſæpe dictam gloſſam Felinus, niſi reus eſſet iam condemnatus ad pœnam: quia tunc obligaret pœna (vt ipſe ait) in foro conſcientiæ. Et pro hac citat Baldum in l. Id quod pauperibus, in quæſt. ix. in fine. C. de epiſcopis & clericis, & Petrum de Ancharano, in regula, Poſſeſſor, de regulis iuris. lib. vj. Neceſſaria quidē erat hæc limitatio, quia ſi gloſſa illa ita vniuerſaliter accipienda eſſet, vt multi illam accipiunt, ſequeretur inde quòd ille qui condemnatus eſt à iudice ad pœnam, non teneretur ad illam in foro conſcientiæ, quod conſtat eſſe falſum ex iis quæ ſuprà

Felinus.

Tiraquellus.

diximus capite ſecundo huius libri ſecundi. Quòd autem hoc ſequatur ex illa gloſſa, ex eo conuincitur quòd illa indiſtinctè loquitur de pœna furti dicens, quòd in pœnitentia non debet illi injungi, vt rem furtiuam reſtituat cum pœna. Nec vllum poſuit diſcrimen inter ipſam pœnam, an eſſet jam ad illam damnatus fur an non. C

Philippus Decius. Philippus Decius in illo cap. Canonum ſtatuta, de conſtitutionibus, numero 20. licet non probet ſententiam Abbatis de illa gloſſa ſæpe dicta, alia tamen via illam gloſſam defendens noſtræ principali ſententiæ fauet, qua in præcedēti capitulo diximus legem pœnalē, quę ſententiam à iure latam continet, obligare reum in conſcientia ad pœnam in lege decretam. Nam poſtquam Abbatis opinionem retulit, & illam vtcumque reiecit, hæc quæ ſequuntur ait. Modò his relatis circa concluſionem ſuprà factam de gloſſa in dicto capitulo, Fraternitas, aduertendum eſt, quòd ſi pœna commenſurata ſit ad delictū, videtur quòd non ſit vera. Nam pœna debet cōmenſurari delicto: cap. Quæſiuit, de his quæ fiunt à maiore parte capituli: & in cap. Fœlicis. §. Illud, de pœnis, in vj. & xxxiiij. q. j. cap. Afferamus ſtateras. Et ſi pœna ſit conueniens, lex videtur juſta, quæ fundata eſt in publica vtilitate, quæ eſt vt delicta puniantur, cap. Vt famæ, de ſententia excommunicationis. ergo etiam in foro conſcientiæ obligare videtur. Facit gloſſa in cap. Ius gentium. in verbo, ſeruitutes, diſtinct. j. quæ dicit quòd iuſtè captus peccat, ſi aufugit. Et idem gloſſa in Clement. Paſtoralis, in verbo, per violentiam, de re iudicata. Et quia obligatio ex delicto reſpectu pœnæ eſt de iure naturali, vt notat Bartolus in l. Ex hoc iure, col. fin, ff. de iuſtitia & jure: gloſſa in l. Seruus, ff. de his qui notantur infamia, Textus in l. finali, vbi Angelus, C. de collatione fundorum patrimonialium, lib. xj. Et bonus textus, in l. Eius qui delatorem, ff. de jure fiſci, Ergo etiam in foro conſcientiæ obligare videtur: quia forus conſcientię ſecundum ius naturale iudicatur. Gloſſa in dicto capit. Fraternitas, ſaluari poteſt, quando pœna delicti exceſsiua eſt. Tali caſu eſſet lex iniuſta, quę in foro cōſcientiæ non obligaret, vt ſuprà dictum eſt in ſecunda cōcluſione. Ex quo infertur quòd lex, quæ pœnam imponit, ratione pœnæ non plus vel minus conſcientiam aſtringit: ſed ſolùm vis tota in hoc D

A conſiſtit, an lex ſit iuſta vel iniuſta, licet doctores communiter aliter loquantur, & gloſſa in dicto capit. Fraternitas: Hactenus Philippus Decius, cuius omnia verba nolo diſcutere an vera ſint, ſed ſatis mihi eſt oſtendiſſe illum in hac eſſe ſententia, vt putet legem pœnalē perinde obligare ad pœnam in foro conſcientiæ, ac poſſet obligare ad alia quæ per legem ſtatuerentur. Huius ſententiam tam prolixè, nec vllo illius verbo mutato, citaui, quia propter illa quæ ante duos annos in opere illo de iuſta hæreticorum punitione ſcripſeram, quidam iuriſperitus obiiciens mihi omnium iuriſperitorum præter Abbatem ſententiam, inter illos recenſuit Philippum Decium tanquam mecum velut ex diametro pugnantem. Ex verbis tamen illius quę nunc proximè citaui, apertiſsimè cōſtat illum mihi fauere, tātum abeſt vt mecum pugnet. Et ne videatur ille in hac ſententia fuiſſe dubius aut parum conſtans, eandem ſententiam, & ferè ſub eiſdem verbis repetit, in l. Quòd à quoquam, ff. de regulis iuris. Hanc Philippi Decij ſententiam ſequitur Ioannes Ferrarius Montanus, in prædicta l. Quòd à quoquam. ff. de regulis iuris. *Ioannes Ferrarius.*

B Nam poſtquam aliquibus argumentis probauit iuſtè poſſe pœnam cum augmento recipi, hæc quæ ſequuntur ait. Quare non valde ſuſpitio quòd gloſſematarius in citato capit. Fraternitas, agmentum illud pœnæ, quod recipi non queat, innaturale eſſe ſomniat. Philippus Decius maius delicto, eique minus commenſuratum, quaſi tunc pœna etiam in conſcientię foro poſsit recipi, ſi delicto habeatur æqualis, aut ſi iuſta lex ſit, quæ ipſam ſtatuat. Neq; in pręſentia Caius aliquid diſcriminat, ſed vult quòd pœnæ nomine ſit expenſum repeti non ſolere: vſq; adeò neque de pœna in obſcuris ambigimus, quin ſit ad delicti menſuram exacta, nec de lege eam ſtatuente quin ſit iuſta. Hactenus Ioannes Ferrarius Montanus, qui Philippo Decio ſubſcribit. Sed iſtorum duorum ſententiam quamuis ea parte qua mihi fauet circa legē quæ ſententiam continet à iure latam, libenter amplectar, alia tamen parte qua dicit omnem legem pœnalē ſiue ſentētiam contineat latam ſiue ferendam, ſemper obligare in cōſcientia, ſi iuſta ſit & pœnam delicto commenſuratam ſtatuat, ego nullatenus recipere poſſum, ſed illam toto animo reiicio, quia longiſsimè diſtat à recta ratione. Nam ſi lex illa

continet ſententiam à iudice ferēdam, quantumlibet iuſta C
ſit,& pœnam delicto commenſuratā ſtatuat, nunquam obligabit in conſcientia reum ad pœnam (vt capite ij. huius ſecundi libri probaui) niſi prius fuerit à iudice damnatus ad illam. Argumentum autē quo motus eſt Philippus Decius vt tam irrationabilem ſententiam teneret, tam debile eſt, vt vehemēter admirer hominem tam doctum, vt ille erat, fuiſſe ſic victum ab illo vt reſpondere neſciret. Sic enim arguit. Omnis lex iuſta obligat in conſcientia: omnis autem lex pœnalis, ſiue ſententiam continet latam ſiue à iudice ferendam, eſt iuſta ſi pœnam delicto commenſuratam ſtatuat, ergo omnis talis lex obligat in conſciētia. Conſequentia eſt notiſsima ſimul cum duabus antecedentis partibus. Hoc argumentū eſt quod cōtinetur in illo prolixo ſuorum verborum diſcurſu quæ ſuprà citauimus, quod ego in his breuibus verbis comprehendi, vt melius poſsit intelligi. Fateor omnem legem pœnalem ſiue ſententiam contineat latam ſiue à iudice ferendam, obligare in cōſcientia, prout argumentum probat: ſed non eandem perſonam obligat vtraq; lex. Nam lex pœnalis quæ ſententiam à iure latam continet, obligat reum ad pœnam. At lex pœnalis quę ſententiam à iudice ferēdam continet, quāuis obliget in conſcientia, non tamē reum, ſed iudicē cui illa lex cōmittit, vt D
pœna illa reū puniat. Omnis itaq; lex pœnalis, ſi iuſta eſt, obligat in conſcientia, ſed nō omnis idem genus perſonæ: quoniam altera (vt dixi) obligat reum, altera iudicem. De hac tamen obligatione quæ reſpicit iudicem & non reum non diſputamus nunc, nec de illa mota fuit impræſentiarum quæſtio. Illa enim eſt quæſtio longè diſtantiſsima ab iſta quam nunc diſcutimus, in qua ſolùm inquirimus de obligatione legis pœnalis, quatenus illa reſpicit criminis reum qui pœnam pati debet, & nō iudicem cuius mandato pœna eſt infligenda reo. Nam de hac obligatione legis pœnalis erga iudicem inferius vno integro capitulo Deo fauente diſſeremus. Itaq; Philippus Decius dicens omnem legem pœnalem iuſtam obligare in conſcientia, ſi intelligit omnem talem obligare in conſcientia reū contra quem lex pœnā ſtatuerat, peſsimè errat: quia apertiſsimè conſtat eam legem pœnalem, quę ſententiam continet à iudice ferendam, non obligare reum ad pœnam antequam ad illam

C A ſit à iudice damnatus. Si verò intelligit omnem talem legem pœnalem obligare in conſciẽtia, quanquam non ſemper idem genus perſonæ, ſed nunc reum, nunc iudicem, in hoc ſenſu verum eſt quod ait. Sed iuxta illum ſenſum non contradicit communi omnium doctorum ſententiæ, prout ſe facere gloriatur: imò potius communi omnium doctorum fauet ſententiæ. Nam etſi aliqui doctores dicant neceſſariam eſſe iudicis ſententiam vt lex pœnalis, quæ ſententiam cõtinet à iure latam, obligare poſsit, nullus tamen præter Caietanum dicit oportere illam eſſe condemnatiuam, ſed ſatis eſſe dicũt eſſe criminis declaratiuam. Et inde apertiſsimè conuincitur, vt data à iudice tali ſententia, quæ declaret crimẽ fuiſſe perpetratum, ſola lex pœnalis ſit quæ obliget reum ad pœnam: quia ſententia à iudice lata nihil circa pœnam, ſed ſolùm circa crimen, propter quod eſt pœna infligẽda, agit. Omnes igitur iuxta hunc ſenſum in hac ſunt ſentẽtia, vt dicant omnẽ legem pœnalem iuſtam obligare in conſcientia, quãuis non omnis talis lex idem genus perſonę obliget, ſed aliqua reum, aliqua iudicẽ. Iniuſtè igitur Philippus Decius reprehẽdit Abbatem qui hanc omni-

D B bus communem tenet ſententiam. Nam Abbas hac ſolùm parte ſeparatur ab aliorum opinione quòd ille non putet ſententiam iudicis eſſe neceſſariam, quam alij multi neceſſariam eſſe cenſent, vt reus ſit in conſcientia obligatus ad pœnam ipſo iure impoſitam. Philippus Decius putat quòd eadem ratione qua dicitur legẽ, quæ continet ſententiam à iudice ferendam non obligare in conſcientia, eadẽ ratione ſit dicendum idem de lege quæ ſententiã continet latam, etiam ſi reus ſit dãnatus. Qua in re apertiſsimè deceptus eſt Philippus Decius, prout clarius oſtendam in quarto principali argumẽto vbi de hoc errore aliquid dicere oportebit. Et quia viſum eſt illi idem per omnia eſſe de omni lege pœnali dicendum, ne diceret nullam legem pœnalem obligare in conſcientia, in aliam extremam tranſiit ſententiam, quæ cũ iſta velut ex diametro pugnat, dicens omnem legem pœnalem, ſi iuſta ſit, obligare in conſcientia. Sed re vera non miror quòd ſic errauerit, quia non fuit ille ita ſapiens, in his quę ad forũ conſciẽtię ſpectant, ſicut in his quæ ſpectant ad forum contentioſum. Nam illa, quæ ad ſolũ forum conſciẽtiæ ſpectant, melius à theologis intelliguntur, *Abbas.*

quàm à iuris humani peritis, quibus potiſsimum conuenit de his quę ad forum contentioſum pertinet diſſerere. Dicit adhuc aliam ſententiam Philippus Decius in vltimis verbis quæ ſuprà citaui, in qua miſerrimè errat, & non aduertens quid loquatur ſibi ipſi contradicit. Dicit enim quòd lex quæ pœnam imponit, ratione pœnæ non plus vel minus conſcientiam aſtringit. Vt apertè oſtendam Philippum Decium in hac ſententia errare & ſibi ipſi cōtradicere, ponamus ob oculos legem vltimam. C. Locati, per quam prohibetur militibus res alienas conducere, quod ſi fecerint, ipſo facto ſine alia ſententia cadant à militia. Hæc lex ſecluſa pœna obligat milites ſolùm ad non conducendum res alienas, pœna autē poſita obligat ad cadendum à militia: ergo ratione pœnæ plus conſcientiam aſtringit. Et idem poteſt probari de quacunq; lege pœnali miſta, quæ vltra id quod primo ſtatuit, ad meliorem illius obſeruationem, pœnam aliquam cōtra illius tranſgreſſores decernit. Sed Philippus Decius ideo in hac ſententia deceptus eſt, quia non conſiderauit legem pœnalem, niſi circa id quod potiſsimū ab illa ſtatuitur, pro cuius meliori obſeruatione imponitur pœna: & reſpectu illius verum eſt, quòd lex pœnalis (vt ipſe ait) ratione pœnæ nō plus vel minus obligat. Sed de tali obligatione non erat quæſtio apud Abbatem in cap. Canonum, de conſtitutionibus, nec nos etiam de tali obligatione nunc diſſerimus: quia de illa ſatis abundè in primo huius operis libro diſputauimus. Nunc de ea poteſtate & obligatione legis pœnalis diſſerimus, quæ ſolam reſpicit pœnā, & de illa loquitur gloſſa in cap. Fraternitas, & Abbas in prædicto cap. Canonum. Et de tali obligatione falſum eſt (vt iam probaui) quod dicit Philippus Decius legem pœnalē non plus vel minus obligare ratione pœnæ.

Obſecro te hic iterum candide lector, vt omnem humanum à te ſecludas affectum, vt ex iis quæ diximus liberè cenſere valeas de intelligentia illius tam celebratæ gloſſæ in capitulo Fraternitas. Nam ſi abſq; contentionis deſiderio ſed ſolo ſtudio veritatis cognoſcendæ hæc legiſti, non dubito quin facile agnoſcas famoſam illam gloſſam, & à multis iuriſperitis valde celebratam tam vulneratam ab illis eſſe, vt iuxta illorum intelligentiam multis medelis fuerit illi opus, vt ſalua conſiſtere poſſet. Nullum autem

remed

C A remedium ad illius protectionem fuiſſet opus inquirere, ſi illā nō dilaceraſſent, nec à ſuo ſenſu deflexiſſent, plus illam dicere cogentes quàm illa dicere voluit.

Tertio contra meam concluſionem quam in præcedenti capitulo aſſerui, argui poteſt quod ex illa ſequeretur quòd reus teneretur ad bibendum venenum, aut ad mortem ſibi inferendam, aut ad manendum in carcere poſtea damnandus ad mortem, ſi lex aliqua latam ſententiam continens aliquam iſtarum pœnarum ſtatueret contra reum. Hoc autem eſt falſum, quia nemo vnquam ſe ipſum niſi Deo præcipiēte occidere debet, aut facere aliquid, vnde via naturali neceſſarium ſit ſequi mortem. Quòd autem hoc ex mea concluſione neceſſariò ſequatur, ex eo fortè aliquis probare contendet, quòd ego vniuerſaliter & ſine vlla reſtrictione dixi in mea concluſione, omnem legem pœnalem quę ſententiam cōtinet à iure latam, obligare reum in conſcientia ad pœnam in illa ſtatutam, quamuis non ſit à iudice condemnatus ad illam. Ex qua vniuerſalis ſentētia apertè colligi videtur, quòd ſi aliqua talis lex ſtatueretur, quæ ipſo iure obligaret reum ad bibendū venenum, ille teneretur ad

D B bibendum illud. Hoc argumentū minimum mihi tribuit laborem, quoniam ex illis, quæ capi.iij. huius ſecundi libri dixi, facillimè illi reſponderi poteſt. Nulla lex humana, nullúſq; humanus iudex poteſt præcipere homini quamuis morte digniſsimo, vt ſe ipſum quouis modo perimat. Solus Deus qui eſt dominus vitę & mortis, & qui poteſt occidere & viuificare, poteſt etiam præcipere homini quamlibet iuſto, vt ſe ipſum interimat. Nam Auguſtinus (vt ſuprà retulimus) dicit Sanſonē diuino ſpiritu ſuggerente ſe ipſum ſimul cum aliis intereniſſe. Homo autem quia non tantam ſuper alium hominem habet poteſtatem, ideo nullo modo poteſt hoc alij homini verbo aut lege ab eo ſtatuta præcipere. Et ſi hoc verbo aut lege ſcripta præcepiſſet, peccaret, & præcepto illius, quia iniuſtiſsimū eſſet, nullus deberet obedire, imò peccaret obediendo, & coram Deo reus mortis iudicaretur. Et ideo nunquam hactenus, niſi fortè apud barbaras & indomitas gentes quæ Deum non nouerunt, data eſt lex, quæ reū ad ſimiles pœnas obligaret: neq; vnquā lege decretū eſt, vt reus quāuis ſceleratiſsimus, & mille mortibus dignus, ſi ipſo iure ad ſimiles pœnas dāna- *Auguſti.*

tus, ſed ſemper committitur iudici, vt tale pœnas ſceleratis hominibus, quos iuxta legũ decreta dignos illis eſſe nouerint, inferre procurent. Turcis hunc eſſe morẽ ferunt, vt is cui eorũ Imperator ſupremus præceperit ſe ipſum interficere, ſtatim obtẽperet putans ſe, niſi id fecerit, Imperialem maieſtatẽ grauiſsimè læſurũ. Sed hoc fortè ideo faciũt, quia regem ſuũ, prout Perſæ faciunt, tanquã Deũ adorãt, & ideo illius tanquã Dei præcepto cõtradicere nefas eſſe putãt. De his tamen & aliis ſimilibus gentiũ moribus, quoniã à lege diuina & naturali ratione lõgiſsimè abſunt, dicit dominus per Hieremiã prophetã. Iuxta vias gentium nolite diſcere. *Hiere. 10*

Quartò, contra noſtram principalem concluſionẽ arguitur, per hoc quòd pœna imponitur ad terrorẽ aliorum, vt dicitur in l. Aut facta. ff. de pœnis, ergo non ſtatuitur propter ipſum delinquentem, & per conſequens non obligat illum in foro conſcientiæ. Hoc argumento probare nititur Abbas in illo ſæpe dicto cap. Canonum, de conſtitutionibus, legem pœnalem, quæ ſententiam à iudice ferendam continet, non obligare in conſcientiã. Et quia optimè intellexi illud argumentum, ſi aliquid efficere valet, æquè probare de lege quæ ſententiam cõtinet latam, ac de illa quæ ſolam ſententiam continet à iudice ferendam, ideo decreui illud mihi ipſi obiicere, præſertim cùm videam Philippum Decium propter hoc argumentum dicere reum, licet iam ſit condemnatus, non magis eſſe obligatum ad pœnam ipſo iure impoſitam, quàm ad pœnam à iudice ferendam. Nam in illo cap. Canonum, nume. 20. ponit quintam concluſionem dicentem, quòd pœna quæ imponitur à lege pro delicto in foro conſcientiæ non debetur, iuxta ſententiã gloſſæ in cap. Fraternitas. xij. quæſt. ij. Et ab hac generali concluſione refert Abbatem excipere illam pœnam, quæ imponitur ipſo iure, aut ipſo facto. Quibus omnibus peractis, ſuam aperit ſententiam his verbis dicens. Sed iſta dicta non videntur procedere ſine dubio ſtante concluſione ſuprà dicta pro vera. Quia ſi non tenetur ad pœnam, quæ ratione delicti imponitur, pariter non debet teneri, licet pœna ipſo iure ſit impoſita, vel condemnatus ſit: quia ratio quæ poteſt conſiderari in concluſione, vt quis in conſcientia ad pœnam non obligetur, vtiq; etiam militare videtur in prędictis caſibus. Hęc Philippus Decius. Ex quibus verbis

Abbas. *Philippus Decius.*

A verbis apertiſsimè conſtat illum ſentire omnes leges pœnales pares eſſe in poteſtate obligandi ad pœnam. Et quod magis miror, nullum poſuit in ipſo reo diſcrimen, ſiue ille damnatus eſſet ſiue non. Itáq; iam ſibi perſuaſerat nullum eſſe inter leges pœnales, quantum ad obligationẽ ad pœnam, diſcrimen. Et quia non auſus eſt dicere nullam legem pœnalem obligare in conſcientia ad pœnam, ideo coactus fuit (vt iam in ſecundo argumẽto dixi) ſentire omnem legem pœnalem æquè obligare ad pœnam in foro conſcientiæ. De hoc vltimo non eſt opus nunc repetere aliquid: quia iam in fine ſecundi argumẽti principalis apertè oſtendi huius dicti falſitatẽ. De primo autem quod ait non eſſe maiorem poteſtatem ad obligandum ad pœnam in ſentẽtia lata quàm in ſententia ferenda, nunc differere oportet, & rationem qua ad id dicendũ motus eſt, examinare. Quia, inquit, ratio quæ poteſt conſiderari in concluſione, vt quis in conſcientia ad pœnam non obligetur, vtiq; etiam militare videtur in prędictis caſibus. Philippus Decius aliorũ omnium ingenia ad ſolam ſuam menſuram metiri volens, quod ſe aſſequi non poſſe perſpexit, aliis eſſe prorſus impoſsibile B dixit. Ille fortè nullam aliam pręter illam quam Abbas adduxit, rationem agnouit, ad probandum legem pœnalem, quæ ſententiam à iudice ferendam continet, non obligare in conſcientia ad pœnam. Et quia hanc vidit æquè probare de vna lege, ac de alia, ideo auſus eſt dicere nullam eſſe rationem, quæ probare valeat de vna & nõ de alia. Ob quam cauſam optimè (vt cenſeo) aptari poteſt illi id quod quidã alteri negotio ſeruiens elegantiſsimè his verbis dixit. *Baptiſta Mantuanus.*

Noctua Phœbeum viſu non ſuſtinet orbem.
Hoc Iouis armigero putat eſſe negatum.
Sic genus exangue ſuis quod viribus impar
Autumat, Herculeos excellere deputat auſus.

Sed opus eſt aliam rationem offerre, vt vel ſic oſtendamus aliquid ab aliis poſſe inueniri quod ille non inuenit, & ſic conuincamus illum iniuſtè egiſſe, quum ex ſola ſui ingenij menſura omniũ aliorũ ingenia dimenſus eſt. Capite ſecundo huius ſecundi libri ego obtuli rationem qua euidenter probaui legẽ pœnalem, quæ ſolam ſententiã à iudice ferendam continet, non obligare in conſcientia ad pœnam ante iudicis ſententiam. Illa autem ratio non idem probat de lege

lege pœnali, quæ ſententiam à iure latam continet, & inde C cõuincitur magnum eſſe reſpectu obligationis ad pœnam inter duas illas leges diſcrimen. Eſt autẽ hæc ratio. Omnis lex pœnalis obligans reum ad pœnam explicat ſuis verbis reum eſſe obligatum ad illam. Nulla lex quæ ſtatuit pœnam ſolùm à iudice inferendam, exprimit reum eſſe obligatum ad pœnam: Ergo nulla lex quæ ſtatuit pœnam à iudice inferendam, obligat reum ad talem pœnam. Conſequentiæ bonitas eſt notiſsima illi qui vel mediocriter dialecticam nouit: quia eſt in ſecunda figura in modo notiſsimo, videlicet Cameſtres. Maior etiam eſt nota ex his quæ in primo totius operis capite diximus, vbi oſtendimus neceſſariam eſſe legis publicationem, vt illa obligare poſsit. At, quod illa ſuis verbis non exprimit, idẽ eſt ac ſi in mente legiſlatoris manſiſſet, & non fuiſſet verbo aut ſcripto publicatum. Minor etiam eſt nota ex contextu verborum: quia ſi lex illa aliquod in ſe verbũ haberet, per quod oſtenderet ſe obligare reum ad pœnã ſine iudicis ſententia, tunc illa lex ſententiam latam contineret, & non ſententiam ſolùm à iudice ferendam. Nullum enim eſt verbum in tali D lege, per quod lex indicet ſe infligere pœnam reo, aut præcipere illi, vt ipſe illam pœnam reddat. Et inde conuincitur vt reus non ſit in conſcientia obligatus ad illam: quia non tenetur niſi ad id, quod ſibi pręcipitur aut prohibetur. Et certè hæc duo pugnant inter ſe, quòd lex ſtatuat pœnam ſolùm à iudice ferendam, & quòd eadem lex obliget reum ad illam pœnam. Hæc autem tam euidens ratio nihil agere poteſt contra legem quæ ſentẽtiam à ſe latam continet. Nam huiuſmodi lex ſemper aliqua verba cõtinet, per quæ apertè exprimit ſe infligere pœnam reo, aut præcipere illi vt ipſe illam reddat. Primum fit in omnibus legibus quæ pœnam excommunicationis, aut ſuſpenſionis, aut irregularitatis ipſo iure aut ipſo facto imponunt. Nam huiuſmodi cenſuræ ſecum trahunt executionem, prout ſpecialiter definitum eſt de excommunicatione in cap. Paſtoralis, de appellationibus. Et idem etiam contingit in priuationibus bonorum, quæ ipſo iure ſunt per legem impoſitæ: vt in crimine hæreſis, aut læſæ maieſtatis. Quia in huiuſmodi criminibus lex non expectat iudicem vt priuet reum bonis illius, ſed ipſamet lex priuat illum. Aliquando contingit vt

lex

A lex ipſa non infligat pœnã.ſed diſtrictiſsimè præcipit reo, vt ipſemet reddat illã:& tunc ſic præcipiendo apertè oſtendit ſe imponere obligationem ad pœnam. De hac re ſunt plurima exempla, quæ ſi quis videre optat, legat caput ſextum huius ſecundi libri,præſertim in tribus primis paragraphis,in quibus multa huiuſmodi exempla proponuntur. Nunquam aliquod horũ contingit in lege pœnali quæ ſententiam non latam ſed ſolùm à iudice ferendam continet. Et hinc ſumitur euidens argumentum ad probandum non eſſe parem poteſtatẽ reſpectu obligationis ad pœnam (vt Philippus Decius putauit) in vtraque lege pœnali.Alia ratio quam Abbas protulit ad probandum de vna lege pœnali quòd non obliget in conſcientia, & quòd altera obliget,nullius prorſus eſt valoris:& ideo ingenuè fateor illam iuſtè à Philippo Decio reprehendi.Quia ſi illa aliquid efficere valet, perinde probat de vna lege ac de altera. Et ob hanc cauſam cogor illi reſpondere quatenus me impetere videtur qui poteſtatem legis pœnalis quæ ſententiam continet latam, tueor. Sic enim arguit Abbas. Pœna imponitur ad terrorem aliorum,vt dicitur.l. Aut facta.ff.de pœnis, *Abbas.*
B ſed ſi in foro conſcientiæ, quod eſt ſecretum & occultum, obligaret, alios terrere non poſſet:ergo pœna non obligat in foro conſcientiæ.Conſequentia iſta inde videtur probari,quòd ceſſante ratione legis ipſa lex pariter ceſſare debet. Huic argumento reſpondet Philippus Decius in illo ſæpe citato,cap.Canonum,nume.20.quòd pœna non ſolùm imponitur ad terrorem aliorum, ſed etiã vt delictum puniatur:Et ego inſuper addo quod neque ob illud ſolum imponitur pœna,ſed etiam vt delicta euitentur,& vt delinquens vrgente pœna reſipiſcat, & vitæ conditionem commutet. Quæ omnia vt melius intelligantur, oportet aduertere quòd pœna diuerſo modo reſpicit delictum, iuxta diuerſa tempora in quibus delictum poteſt cõſiderari. Nam poteſt conſiderari delictũ antequam perpetretur, & poſtquam eſt iam perpetratũ. Si conſideretur delictum antequam ſit patratum,tunc pœna ſtatuitur vt timore illius delicta euitentur. Et tunc pœna omnes qui delinquere poſſunt, ſine vllo diſcrimine reſpicit, & omnes ex æquo terret, nec tunc eſt vnus qui punitur, & alius qui terretur. Quia cùm crimen nondum ſit cõmiſſum,nullus tunc puniri debet, vt ex illis *Philipp. Decius,*

illius punitione alij terreantur. Tunc enim hoc ſolum intendit lex,vt omnibus pœnæ timorẽ incutiat, & ſic omnes à delicti perpetratione deterreat. Si verò delictum conſideretur poſtquam iam eſt commiſſum,tunc pœna non ſtatuitur, ſed pœna per legem decreta infligitur reo aut virtute legis ipſius,aut per mandatum iudicis.Tunc pœna diuerſis rationibus reſpicit ipſum delinquentem, & alios. Propter ipſum delinquentem infligitur illi pœna, vt pœna docente diſcat malũ eſſe quod fecit. Quia niſi malum eſſet, nõ puniretur tali pœna.Vexatio ſiquidem (vt Eſaias ait)ſæpe dat intellectum. Et Salomon in Prouerbiis hoc ipſum expreſſius docet.Virga,inquit ille,atque correctio tribuit ſapientiam. Et ob hanc cauſam Dauid bonas cenſebat pœnas à Deo illi propter ſuum peccatum inflictas, quia illis docentibus didicit malum fuiſſe peccatum quod cõmiſerat. Bonum mihi,ait ille, quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas.Poſtquam iam peccator didicit malũ eſſe quod fecerat,aliud adhuc illi præſtat commodum : quia vrget illum vt recedat à malo,& emendet malũ quod fecit.Quum hæc pœna infligitur reo,alij ex illa terrentur ne ſimile crimen committant : quia timore pœnæ quam vehementer horrent,& quam certò credunt ſibi infligẽdam fore, ſi crimen ſimile commiſerint, reuocantur à perpetratione delicti. Peſtilente flagellato, inquit Salomon, ſtultus ſapientior fit. Hanc pœnæ virtutem conſiderans Paulus Timothæum admonet,vt peccantes coram omnibus arguat,quatenus cæteri timorem habeant.Ecce quàm multæ,& quàm iuſtæ ſunt rationes, propter quas pœnæ ſtatuuntur à legibus, & poſtea ab ipſiſmet, aut à iudicibus infliguntur illis qui meruerunt illas. Et inde cõuincitur nullius prorſus roboris eſſe argumentum illud quod contra nos ipſos obiecimus. Si nulla alia ratione pœna ſtatueretur, niſi ad aliorum terrorem, vt in argumento aſſumitur, bene inde probaretur pœnam non obligare in foro conſciẽtiæ:quia cùm id quod in foro illo agitur, ſit ſecretum & non publicum, non poteſt alios terrere pœna, quæ in tali foro imponitur. Sed cùm ſint aliæ rationes ab iſta propter quas pœna imponitur,quæ in foro ſecreto perinde, ac in publico poteſtatem ſuam exercere poſſunt, conſtat inde nullas eſſe illius argumenti vires.

Eſai.28. *Prou.19.* *Pſal.118.* *Prou.19.* *1.Timo.5.*

C D

Quòd

A. *Quòd is qui ipſo iure priuatus eſt bonis ſuis, tenetur in conſcientia ſine alia iudicis ſententia reddere bona ſua, illi cui ab ipſo iure ſunt adiudicata.*

CAPVT X.

FORTE aliquis huius capitis titulum & ſolam ſuperſcriptionem legens & parum aduertens, putabit idem eſſe hoc quod impræſentiarum tractandum promittitur, & illud quod in duobus proximè capitulis pertractatum eſt. Sed ſi bene aduerterit, intelliget quæſtionem iſtam eſſe valde diuerſam ab illa, de qua in duobus vltimis capitulis diſputaui. In illis enim capitulis ad hunc ſolum ſcopum totam illam diſputationem direxi, vt probarem omnem legem pœnalem quæ ſententiã continet, ab ipſa latam obligare in conſcientia illius tranſgreſſorẽ ad pœnam in illa ſtatutam, abſq; aliqua alia iudicis ſententia. Quam aſſertionem ita vniuerſaliter prolatã ſi ad particularia negotia applicare voluerimus, deducemus inde eũ, qui com-
B miſit crimen aliquod propter quod lex ipſo facto imponit priuationem bonorũ, eſſe ſine alia iudicis ſententia eo ipſo priuatum dominio bonorum ſuorum. At cùm nulla ſit huiuſmodi lex, quæ priuans aliquem dominio bonorum ſuorum priuet etiã illum ipſo facto poſſeſsione bonorum ſuorum, aut præcipiat illi quod ipſo facto illa reddat, conſtat quòd ex illa vniuerſali aſſertione prius poſita, niſi alia media illi addantur quæ illam adiuuent, nõ protinus ſequitur illum, qui ipſo iure priuatus eſt dominio bonorũ ſuorum, teneri ad reddendũ bona ſua illi, cui adiudicata ſunt. Quia (vt dixi) nulla lex hoc ita faciendum eſſe præcipit. Nunc igitur hoc inquirendum eſt, an ex illa priuatione dominij, quæ ſine vllo iudicis miniſterio eſt ab ipſo iure reo inflicta, neceſſariò oriatur redditio eorundem bonorum, ita vt is, qui ſic à lege priuatus eſt dominio, non poſsit ſalua conſcientia retinere bona illa, ſed teneatur ea reddere illi, cui per legem adiudicata ſunt. In illo opere, quod de iuſta hæreticorũ punitione inſcripſi, & anno 47, ſupra milleſimum quingenteſimum ædidi, libro ij. cap. vj. poſtquam iuxta omnium ferè iuriſperitorũ ſententiã dixi, hæreticum ab ipſa

hora, qua verus eſt conſtitutus hæreticus, priuatum eſſe do- C minio bonorum ſuorum, inde tanquam corollarium neceſſariò conſequens deduxi, illum ipſo facto teneri ad reddendum bona ſua fiſco, cui ab ipſa lege ſunt adiudicata. Sed hæc mea ſententia multis viſa eſt noua & aſpera, & credo illam magis ſuo rigore & aſperitate, quàm nouitate illis diſplicuiſſe. Quapropter ego, qui illam tueor, de illis, qui propter ſolam illius auſteritatem illam relinquũt, optimè dicere poſſum id, quod in perſona Chriſti ſaluatoris noſtri
Pſal.30 regius propheta dixit. Qui videbant me foris, fugerunt à me. Et certè ſola illius ſententiæ aſperitas non erat ſatis vt illa relinqueretur: quoniam ſæpe aſperiores ſententiæ ſunt multò ſaniores aliis, quæ magis blandiuntur. Et quia rem hanc diligentius & perſpicatius conſiderans, illa ſententia quantumlibet aſpera, propter maiorem, quàm de illa notitiam habui, multò magis mihi placuit: ideo quod tunc de ſolo hæretico dixeram, nunc de omni illo, qui ipſo iure priuatus eſt bonis ſuis, eandem ſententiam dicere ſtatui. Firmiſsimè enim credo, omnem illum non poſſe ſalua conſcientia retinere bona, quibus eſt priuatus, ſed obligari in conſcientia eo ipſo, quòd illis priuatus eſt, ad reddendum D ea illi, cui legis decreto adiudicata ſunt. Quam ſententiam prius euidentibus (vt Deo adiutore me facturum confido) argumentis probabo, & deinde alios in mei fauorem citabo, ne quis tam nouam & à patronis deſertam putet eſſe hanc ſententiam, vt ego ſim dicendus primus illius inuentor: ſed intelligat multos illam habuiſſe fautores, & antiquam eſſe illius originem. Quæ autem contra hanc noſtram ſententiam obiici poſſe intellexero, in proximè ſequenti capitulo fideliter proferam, vt illis facilè reiectis, & minimo illorum robore detecto, clarius noſtræ ſententiæ veritas omnibus innoteſcat: & ſic quiſque illam eò libentius tueatur, quò facilius id ſe efficere poſſe cognoſcat. Sed antequam diſputationem hanc aggrediar, ne poſtea illam fortè à principio repetere oporteat, peto dari vnam ſententiam mihi & illis communem, quam omnes, præter vnum Archidiaconum, fatentur, contra quem non eſt mihi nunc animus pugnare, propterea quòd in ſecundo libro de iuſta hæreticorum punitione capite ſexto iam ſatis contra illum pugnaui, & (vt multorum iudicia ferunt) non ſolùm pugnaui,

gnaui,

A gnaui,ſed apertè vici. Sententia, quam mihi & aduerſariis communem dari peto, hoc verborum cõtextu exprimitur. Hæreticus ab ea hora,qua factus eſt verus hæreticus, ipſo iure priuatus eſt dominio bonorum ſuorum, quamuis extunc non ſit priuatus poſſeſsione illorum bonorum. Et idem prorſus dicendum erit de omni alio, qui commiſit quoduis aliud crimen, propter quod lex ſtatuit priuationem bonorum ipſo iure infligi; quia eadem eſt in omnibus illis criminibus conditio. Nihil aliud ad hanc diſputationem puto eſſe nunc mihi neceſſarium,neq; de hoc oportet nunc diſputare: quia inter me & omnes aduerſarios, prçter vnum Archidiaconum(vt dixi)de illa ſententia conuenit. Hoc itaque iacto fundamento, opus eſt vt ad argumenta procedam.

Primò igitur argumentor, vt probem eum, qui iam à iure priuatus eſt dominio bonorum ſuorum, teneri ad reddendum illa, quia nulla eſt lex, quæ illi ſic bonis ſuis priuato concedat illorum bonorum poſſeſsionem: & inde conuincitur, vt ſic retinens peccet, & per conſequens teneatur illa reddere vero illorum domino, contra cuius B voluntatem illa retinet. Conſequentia iſta probatur per regulam illam iuris, quæ ponitur in Clementina, Exiui de paradyſo. §. Deinde cum duobus, ſic dicens. Vbi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expreſsè non conceditur, intelligitur denegatum. Iſta iuris regula præmiſſa, ſic argumentor. Generaliter per legem diuinam, quæ ait, Non furtum facies, prohibitum eſt omnibus retinere alienum domino inuito, ergo cui hoc non eſt expreſsè conceſſum, intelligitur denegatum. Antecedens huius argumentationis eſt notiſsimum ex recta legis diuinæ intelligentia, & probatur etiam per illam regulam, quæ habetur de regulis iuris libro vj. Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo. Quam regulam interpretans gloſſa, inter multa, quæ ad illius declarationem profert exempla: vnum eſt id, quod declarat hoc diuinum præceptum, de quo nunc agimus. Furto enim prohibito, ait gloſſa, prohibetur omnis rei alienæ illicita vſurpatio. Conſequentia eſt etiam nota per regulam iuris, quam proximè citauimus. At illi, qui eſt à iure ſuis bonis priuatus, non eſt expreſsè conceſſum

illa bona retinere, ergo neceſſariò oportet intelligere hoc C
eſſe illi denegatum. Si eſt illi denegatum tenere bona, quæ non ſunt ſua, ſed fiſci: ergo in conſcientia tenetur illa reddere fiſco. In illo opere, quod de iuſta hæreticorum punitione ædidi, libro ij. capite vj. vſus ſum hoc argumento, quamuis non tam clarè illius robur expreſsi, vt probarem hæreticum eſſe in conſcientia obligatum ad reddendum fiſco bona, quibus eſt ipſo iure priuatus. Hoc argumento non obſtante, aliqui docti viri in variis Hiſpaniæ ſcholis theologiam publicè profitentes (vt ab iis, qui audierũt, mihi relatum eſt) hanc meam ſententiam publicè reiecerunt, & illi non eſſe vllatenus acquieſcendum auditores ſuos docuerunt. Hos auditores ego interrogans, quo modo huic meæ argumentationi illi reſpondiſſent, dixerunt nec vllam de hoc argumento habitam eſſe memoriam. Qua in re illos minimè fideliter ſe habuiſſe conſtat: quia cùm meam ſententiam referebant, ne auditores ſui gratis & ſine cauſa me illam aſſeruiſſe intelligerent, dignum erat illis referre, quo argumento ad id dicendum fuiſſem perſuaſus. Non poſſum certè non mirari, cur tam iniquè & tam indecorè mecum agere voluerint, vt viri fortes D
& ad paleſtram docti, quales ego illos eſſe cenſeo, armati me inermem in campum citauerint, contra me pugnaturi. Nec fidelius aut æquius erga diſcipulos ſuos ſe geſſerunt, quia ſi viros ludi magiſtros imitari voluiſſent, ſicut diſcipulos docebant oppugnare aduerſarium, ita etiam docere oportebat, quo pacto ab aduerſarij telis ſe tueri deberẽt. Ego verò ne in id, quod damno & deteſtor crimen incidã, fidelius rem agere ſtatui, & æquiorem me illis præbere decreui, quã illi ſe exhibuerunt mihi, Nam ea, quæ illi contra me obiecerunt, diligenter hoc animo inquiſiui, vt ſi talia eſſent, quæ me ad mutandum ſententiam cogerent, ſtatim id, quod prius dixeram, libentiſsimè recantarem, tantum abeſt, vt ſententiam meam obſtinato animo tueri velim. Teſtis enim mihi eſt Deus, qui cor meum velut reliquorum omnium nouit, quòd non ſuſcepi hanc diſputationem hoc animo, vt popularem inde gloriam captarem, ſed vt veritatẽ, quæ in tenebris latere mihi videbatur, producerem in lucem. Et ideo ſemper paratus fui ab incœpta via pedẽ referre, ſi talia mihi oſtenderẽtur argumenta, quæ

A me cogerent in aliam tranſire ſententiam. At cùm nullum tale eſſe apertiſsimè intelligerem, in priore ſententia firmior permanſi. Illa ergo omnia, quæ vt mihi dictum eſt fuiſſe ab illis contra meam ſententiam obiecta, fideliſsimè poſtea in proximè ſequenti capitulo referam, & alia inſuper ego contra me ipſum obiiciam, quæ illi non protulerunt. Aduerſarios meos nolo inermes ſed armatos oſtendere, vt glorioſior mihi ſit de hoſte triũphus. Sed his omnibus omiſsis, opus eſt vt ad argumentum, vnde digreſſus ſum, regrediar, & petam ab aduerſariis meis, vt proferant legem aliquã, quæ iis, qui ſunt ſuis bonis à iure priuati, expreſsè concedat illorum bonorum retentionem, quouſque fuerint de ſuo crimine dãnati. Quam legem ſi mihi oſtenderint, ſtatim illis tanquam victoribus herbam porrigam, & pallinodiam ex animo cantabo. Sed certò ſcio illos talem legem, quæ id expreſsè concedat, nunquam inuenturos: & inde neceſſariũ eſt vt apertè fateantur illis, qui ſunt à iure ſuis bonis priuati, denegatam eſſe ſuorum bonorum retentionem, & per conſequens illos eſſe in conſcientia obligatos ad reddendum bona illa fiſco, cui ſunt ipſo iure adiudicata. Sed huic argumento quidam reſpondent dicentes, illi qui ſuis bonis eſt ipſo iure priuatus, eſſe hanc bonorum retentionem conceſſam in capit. Cùm ſecundum leges. Confiſcationis, de hæreticis, lib. vj. vbi papa prohibet fiſcum accipere bona hæretici, antequam ille ſit per iudicem competentem de crimine hæreſis damnatus. Ego tamen euidenter, Deo fauente, probabo nihil tale, quale iſti dicunt, per illud capitulum concedi. Et ſi nullum alium apertiorem textum pro hac re protulerint, inde conuincetur apertè illam bonorũ retentionẽ non eſſe lege aliqua conceſſam illi, qui eſt à iure ſuis bonis priuatus. Primò quidem, etſi gratis vellem dare aduerſariis hanc bonorum retentionem eſſe in illo capitulo conceſſam hæretico, non tamen inde ſequitur eſſe etiam conceſſam omnibus aliis, qui propter ſua delicta ſunt ipſo iure ſuis bonis priuati. Nam textus ille de ſolo hæretico loquitur, & non de aliis criminibus. Quomodo ergo oſtendent hanc bonorum retentionem eſſe aliis conceſſam? Si quis dicat ex ſimilitudine rationis eſſe hãc legem ad omnia alia crimina extendendam, propter quæ priuatio bonorũ eſt ipſo iure in-

flicta, licet hoc in aliis caſibus fieri poſſe concederem, nulla tamen ratio patitur, vt hoc impræſentiarum fiat. Quia etſi lex propter identitatem rationis poſsit extendi ad caſum in lege non expreſſum, hoc tamen in illis ſolis caſibus verum eſſe poteſt, qui poterant per conditorem illius definiri. Abſurdum enim eſſet dicere legem aliquam poſſe extendi ad caſum, in quo legiſlator nullam prorſus habet poteſtatem. At capitulum, Cùm ſecundum leges, conditum fuit, papa Bonifacio huius nominis octauo, qui etſi circa res ſpirituales aut merè eccleſiaſticas potuit leges ſtatuere, quæ omnes Chriſtianos obligarent: tamen circa alias res merè laicas & merè ſeculares, quæ nullum ad rem eccleſiaſticam reſpectum habent, papa non poteſt condere leges, quæ omnes obligent, ſed illos ſolùm, qui in oppidis aut villis eiuſdem ſummi pontificis viuunt. Poteſt quidem papa prohibere Hiſpanorum aut Gallorum reges, ne aliqua ciuili lege vtantur, propterea quòd conſtat illam legi naturali aut diuinæ contradicere, ſed non poteſt illos ad aliquam ciuilem legem cogere, quæ non neceſſariò ex lege diuina, aut naturali deducatur. Sunt enim hæ duæ poteſtates, pontificalis videlicet, & regalis, hac ratione diuiſæ, quòd altera in ſpiritualibus, altera in corporalibus præeſt, vt dicit ipſe ſummus pontifex Innocentius tertius in capit. Solitæ, de maioritate & obedientia. Ex his omnibus apertiſsimè conuincitur, quòd licet Capitulum, Cùm ſecundum leges, in §. Confiſcationis, poſſet ex identitate rationis ad omnia alia crimina extendi, propter quæ eſt omnium bonorum priuatio ipſo iure impoſita, hoc ſolum eſſet verum in terris, quæ ſunt, quoad temporalium adminiſtrationem ſummo pontifici ſubiectæ, tanquam proprium illius patrimonium. In Hiſpania autem, & Gallia, & Germania, & in aliis prouinciis, in quibus papa non habet temporale dominium, ſi quis committeret crimen læſæ maieſtatis, aut falſam cuderet monetam, aut aliud ſimile committeret crimen, propter quod eſſet ipſo iure bonis ſuis priuatus, qua lege poſſet ille retinere bona ſua? Non quidem authoritate illius capit. Cùm ſecundum leges, in §. Confiſcationis: quia licet ex paritate rationis poſſet ad illa crimina extendi, non tamen in illis prouinciis prædictis. Quia in illis prouin-

ciis

V ciis circa prædicta crimina, eò quòd non ſunt eccleſiaſtica, ſed merè ſecularia, papa (vt dixi) nullam prorſus habet poteſtatem. Cùm igitur pro talibus prouinciis nulla ſit hactenus data lex, quæ illorum criminum patratoribus expreſsè concedat licentiam retinendi ea bona, quibus ſunt propter ſua crimina ipſo iure priuati, conuincitur inde, vt ſaltem in illis prouinciis, qui talia crimina commiſerunt, teneantur in conſcientia reddere illa fiſco, cui ipſo iure eſt illorum bonorum dominium adiudicatum. Quia quum in illis prouinciis non ſit expreſsè conceſſa retentio illorum bonorum, oportet neceſſariò, iuxta regulã iuris ſuperius citatã, vt talis retẽtio bonorũ intelligatur eſſe illis denegata. Non poſſum igitur non admirari, quũ video tot illuſtres viros iuris ciuilis interpretes ſic fuiſſe in hac parte hallucinatos, vt ſæpe teſtimonio huius capituli, Cùm ſecũdum leges, vſi ſint ad probãdum eos, qui propter alia crimina laica priuati ſunt à iure ſuis bonis, non teneri ad reddendũ illa, antequam ſint de ſuis criminibus per iudicem condemnati.

Sed vt fortius contra aduerſarios agam, & acrius eos vrgeam, id, quod de hæretico ſola diſputationis cauſa gratis B conceſsi, nunc iam vt apertè oſtendam illud ſæpe citatum capitulum, Cùm ſecundum leges, eſſe malè ab aduerſariis intellectum, volo probare non concedi per illud capitulum hæretico bonorum ſuorum retentionem, quouſq; ſit à competenti iudice de crimine hæreſis dãnatus. Quia in illo §. Confiſcationis, nihil apertè hæretico conceditur, ſed ſolùm prohibetur fiſcus, ne bona hæritici capiat, antequam ille ſit de crimine hæreſis per competẽtem iudicẽ damnatus. Hoc ſolum eſt, quod in illo loco ad mitigandũ hæreticorũ pœnam definitum eſt: quo dato, eo ipſo cõceditur ſolum illud quod ex illa cõceſsione ſequitur in bona conſcientia & neceſſaria. Nam, ſicut dicitur in cap. Cùm quid, de regulis iuris, libro ſexto. Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia quę ſequũtur ex illo: ita ex oppoſito, cùm quid diſpenſatiuè cõceditur, concedũtur omnia quæ ſequuntur ex illo. Sed in prohibitione alicuius non prohibetur ea, quæ aliquam habent vicinitatem cum re prohibita, ſed illa ſolùm, quæ ſunt media ad aſſecutionẽ illius, aut quæ neceſſaria cõſequentia ſequũtur ex illa: vt illic bene annotat gloſſa. Ergo à cõtrario ſenſu in conceſsione alicuius rei illa ſolùm intelliguntur

conceſſa, quæ ex primo conceſſo ſequuntur conſequentia C
neceſſaria, aut illa, quæ ſunt media neceſſaria ad aſſecutionem illius. Videamus ergo an ex hac conceſsione, quòd videlicet fiſcus non poſsit capere bona hæretici, antequam ille ſit de crimine hæreſis per competentem iudicem damnatus, ſequatur neceſſariò, quòd hæreticus non tenetur bona ſua reddere fiſco. Si conſtiterit talem conſequẽtiam eſſe neceſſariam, ſtatim cedam arenæ, & planè & candidè me victum fatebor. Si verò è contrario euidenter oſtendero non eſſe talem, æquum eſſet, vt aduerſarij ſe victos faterentur, aut proferrent aliam legem, quæ apertius & expreſsius conceſſerit bonorum ſuorum retentionem iis, qui ipſo iure priuati ſunt illis, quouſque de ſuo crimine damnentur. Conſequentiam autem illam non eſſe bonam & neceſſariam tunc apertiſsimè conſtabit, quando multas contra illam (vt verbis modernorũ dialecticorum loquar) dedero inſtantias, vel (vt iuris periti loquuntur) fallentias.

Fallentia prima. Primò quidem fallit apertè illa conſequentia in illo, qui furto ſubtraxit aliquid ab eo, apud quem ludus alearum exercetur, ſi eo tempore, quo luſores incumbebant ludo, ſurripuit. Nam is, à quo res ſubtracta eſt, non poteſt D
ab ipſo fure capere rem furtiuã, imò nec agere poteſt pro huiuſmodi cauſa contra illum in iudicio, vt dicitur in l.j. §.j.ff.de aleæ luſu & aleatoribus. Neque hoc ſolum verum eſt ex iure communi, ſed etiam ex particulari iure Hiſpaniarum, præſertim regni Caſtellæ. Nam hoc idem ſtatutum eſt apud Hiſpanos in partita ſeptima, titulo xiiij. lege vj. Ex hoc tamen, quòd dominus rei furtiuæ non poteſt pro illa contra furem in iudicio agere, non ſequitur, quòd fur non teneatur reddere rem furtiuam domino illius. Quia quamdiu rem illam furto ſublatam retinet, fur eſt cenſendus: nec abſolui poteſt donec illam reſtituat, vt dicitur in capit. Si res. xiiij. q. vj. & in regula, Peccatum, de regulis iuris libro ſexto.

Sylueſter. Sylueſter de Prierio in ſua ſumma de caſibus conſcientiæ, in titulo, Ludus, quæſt. ix. fatetur illum, apud quem ludus exercebatur quando res aliqua ab illo ſubtracta eſt, non poſſe repetere à fure, nec habere rei proſecutionem, nec actionem pœnalem furti, & furem retinere non poſſe in conſcientia rem ſic furto ſublatã: ſed dicit non teneri ad reſtituendum illi, à quo ſurripuit, ſed ad

dandum

A dandum pauperibus. Quia lex(vt ille ait)in pœnam ſui delicti priuat illũ tali re. Sed in hoc vltimo maximè fallitur, quia lex nõ priuat illũ dominio rei furtiuę,ſed ſola actione ad petendum eã. Quod,vt legenti clarius pateat,verba legis citare decreui,quæ talia ſunt. Prætor ait. Si quis eum, apud quẽ in alea luſum eſſe dicetur, verberauerit,damnum vt ei dederit, ſiue quid eo tempore dolo eius ſubtractum eſt,iudicium non dabo. Hactenus verba legis, in quibus apertè conſtat ſolam actionem tolli,& non dominium: & inde ſequitur,quòd talis fur tenetur illi reſtituere.

Secundò deficit illius conſequentiæ virtus in caſu illius legis, Si quis ad ſe fundum.C. Ad legem Iuliam de vi publica atque priuata. Nam licet Petrus agrum aliquem à Ioanne poſſeſſum verè agnoſcat eſſe ſuum (vt eſt caſus illius legis) non poterit authoritate ſua talem agrum capere, antequam ſit per iudicem declaratum talem agrum ad illum pertinere. Verùm etſi Petrus per ſe capere non poſſit agrum iniuſtè poſſeſſum à Ioanne, inde tamen non ſequitur, quòd Ioannes non tenetur reddere agrum Petro, ſi illi conſtat agrum illum eſſe Petri. Quidam iuriſperitus, *Fallentia secunda.*

B cum quo rem hanc conferebam, reſpondit mihi caſum hunc eſſe valde diſsimilem illi rei, de qua eſt noſtra principalis diſputatio. Quia in caſu iſto Ioannes, qui agrum Petri tenet,fuit ſemper malæ fidei poſſeſſor,& ideo quamuis Petrus non capiat, Ioannes obligatur in conſcientia ad reddendum Petro. Hæreticus autem, aut quiuis alius ſuis bonis ipſo iure priuatus, antequam commiſiſſet crimen,verè & iuſtè poſsidebat bona illa,& ideo poſt crimen commiſſum poteſt retinere illorum bonorum poſſeſsionem,quouſq; à iudice ſit illa priuatus. Sed hanc euaſionem nullius eſſe momenti apertiſsimè oſtendero, ſi ponam Ioannem fuiſſe illius agri dominum, & vendidiſſe illum iuſto pretio Petro,integrámq; pretij pecuniam recepiſſe à Petro, ſed poſt receptum pretiũ Ioannem noluiſſe tradere agri poſſeſsionẽ Petro. Ecce omnia ſimilia inter Ioannem retinentem agrum,& hæreticũ retinentẽ bona. Nam ſicut hæreticus, aut is qui commiſit crimen læſæ maieſtatis, erat dominus bonorum ſuorũ ante crimen commiſſum,& iuſtè poſsidebat illa: ita Ioannes ante venditionẽ agri erat dominus illius,& iuſtè illũ poſsidebat. Sicut hæreticus poſt

crimen commiſſum amiſit dominium bonorum ſuorum, C ita Ioannes poſt factam venditionem agri, reliquit dominium illius. Sicut ab hæretico nõ poteſt capere fiſcus bona illius antequam ſit illius crimen declaratum, per dicta in §. Confiſcationis: ita à Ioanne non poteſt Petrus capere agrum, donec iudex declarauerit Ioannem vendidiſſe Petro agrum, recepiſſéq; ab eo integrũ illius pretium, prout definitur in dicta l. Si quis ad ſe fundum. His tamen omnibus ſic ex æquo diſpoſitis, conſtat Ioannem obligari in conſcientia ad reddendum Petro agri poſſeſsionem, pro quo integrum pretium recepit. Ergo eodem modo hæreticus, & quiuis alius ſuis bonis ipſo iure priuatus tenetur bona ſua reddere fiſco, cui per legem adiudicata ſunt, quamuis fiſcus non poſsit ſine iudicis ſententia illa capere. Quia (vt iam aperte probaui) ex hoc quod fiſcus non poteſt capere, non ſequitur neceſſariò, quòd alius non tenetur reddere illi, qui iam aſſecutus eſt illorum bonorum dominium. Et idem poſſet eſſe exemplum, ſi Franciſcus habens in toto ſuo patrimonio mille aureos ducatos & non amplius, reliquiſſet hæredem ſuum Ioannem legaſſétque Petro in teſtamento decem aureos ducatos. Ioannes tunc omnes D mille ducatos poſsidebit poſt mortem Franciſci, & (quod multò magis eſt) omnium illorum ſtatim habebit dominium, quamuis ſub hoc onere, quod obligatur decem reddere Petro. Quia etſi teneatur reddere decem, non tamen hos aut illos decem, ſed quos ipſe mallueri: etſi ex aliis mutuò acceptis ducatis ille ſoluere vellet Petro decem ducatos, Ioannes liberabitur illo modo ab illa obligatione legati, niſi teſtator aliqua ratione motus, apertè expreſsiſſet dari Petro decem ducatos ex illis, quos ille reliquit, & non de aliis. Quia igitur Ioannes hæres ex illis mille ducatis ſibi relictis, non tenetur magis dare Petro hos decem ducatos quàm alios decem, conuincitur inde Ioannem eſſe verum dominum illorum omnium mille ducatorum: quamuis hanc ſuper ſe habeat obligationem, quod tenetur (vt dixi) dare ex illis decem, quos ille malluerit. In hoc caſu Petrus propria authoritate non poteſt capere à Ioanne decem ducatos ſibi in teſtamento legatos, nec tamen inde ſequitur, quòd Ioannes non tenetur reddere illos Petro. Quia etſi Petrus nõ capiat illos nec petat,

A tenetur tamen Ioannes reddere illi: quia tenetur ſatisfacere teſtatoris voluntati, qui abſolutè præcepit heredi, vt redderet decē ducatos Petro, & nō ſub cōditione ſi ille petierit.

Tertiò conſtat illam prædictam conſequentiam non valere in caſu quo Petrus emiſſet à Ioanne aliquam rem minus iuſto pretio, nō tamen infra dimidium iuſti pretij, ſed vltra: ita tamen quòd non parū fuerit Ioannes ex tali venditione læſus. Petrus autem qui emit, etſi à principio bonam fidem habuerit, putans ſe iuſto pretio emiſſe & in nihilo nocuiſſe Ioanni, poſtea tamen apertè cognouit ſe non parum fraudaſſe Ioannē in pretio. Si hæc accidiſſent, prout frequenter accidere ſolent, Ioannes non poſſet propria authoritate capere, imò nec coram iudice petere vt Petrus illi ſatisfaciat de damno: quia hoc eſt illi prohibitum in l. In cauſæ. §. Idem Pomponius. ff. de minoribus, & l. ſecunda. C. de reſcindenda venditione. Ex hoc tamen quod Ioannes capere aut petere nō poteſt, non ſequitur quòd Petrus non teneatur reddere Ioanni omne illud, in quo fuit fraudatus. Quoniam lex diuina omnem talem fraudem per quam à iuſto pretio receditur, prohibet & damnat. Nam Paulus *Fallentia tertia.*

B Theſſalonicenſibus ſcribens, ait. Ne quis ſupergrediatur, neque circūueniat in negotio fratrem ſuum: quoniam vindex eſt dominus de his omnibus, ſicut prædiximus vobis, & teſtificati ſumus. Ex quibus Pauli verbis clariſsimè conuincitur, omnes illas leges, quæ contrahentibus permittunt ſe inuicem decipere, vt in prædicta l. In cauſæ. §. penul. & in l. Item ſi in pretio, in fine. ff. locati. nihil prorſus valere conſcientiæ, quia apertè contradicunt legi diuinæ. Valent tamen in foro contentioſo, quo ad hoc vt non reſcindatur contractus emptionis & venditionis, præſertim ſi deceptio non tranſeat vltra dimidium iuſti pretij. Valent etiam illæ leges ad hoc, vt per illas tollatur actio ab eo, qui infra dimidium iuſti pretij deceptus eſt, ne poſsit agere contra deceptorem vt reddat illi id, quod ex iuſto pretio ademit. Philippus Decius in cap. Canonum, de conſtitutionibus, licet hoc apertè fatetur, Calderinum tamen ſecutus dicit verum eſſe, illas leges, quæ deceptionem mutuam permittunt, non obligare in conſcientia, quando quis ex induſtria alium decipit. Si tamen non ex induſtria, ſed præter intentionem in re ipſa deceperit, dicit *1. Theſ. 4.* *Philipp. Decius. Calderin.*

decipientem eſſe tutum in conſcientia: quia hoc (vt ait) permittitur ex iure canonico, quod non permitteretur ſi peccatum eſſet. Sed maximè fallitur in hoc vltimo Philippus Decius, & quem ille ſequutus eſt Calderinus. Quia etſi ille, qui non ex induſtria ſed præter intentionem re ipſa decepit, non peccauerit propter deceptionis ignorantiam, quæ illum excuſat, tamen poſtquam plenè agnouit alium eſſe ab illo in pretio fraudatum, tenetur illi ſatisfacere de iniuſtitia, quam erga illum exercuit, quum id quod maioris pretij erat, emit ab illo pro minori: aut quod minoris pretij iuſtè æſtimandum erat, multò maiori vendidit pretio, & ſi non reſtituerit poſtquam cognouit ſe damnum intuliſſe, peccabit: quia iam ceſſat ignorantia, quæ illum ante excuſabat. Simile enim contingit illi qui bona fide & iuſto titulo, vt puta iure hæreditario capit alienum putans eſſe ſuum, & iure hæreditario ad eum pertinere. Nam hic etſi propter ignorantiam excuſetur à peccato alienum capiendo & retinendo, tamen quum primum illi conſtiterit eſſe alienum, peccabit ſi voluntate firma illud retinuerit. Quòd autẽ is qui præter intentionem fraudauit in pretio alium, peccet poſtquã cognouit ſe decepiſſe, ſi non ſatisfecerit de dãno quod alteri intulit, apertè probatur per illa Pauli verba, quæ nunc proximè citauimus. Ne quis (inquit ille) ſupergrediatur, neq; circumueniat in negotio fratrem ſuum. Quæ verba interpretans Anſelmus in commẽtariis ſuper Paulum, ait. Supergreſsio eſt, vbi pro minore pretio illud quod maioris pretij eſt, elicitur. Circumuentio autẽ vbi per dolum frater in ipſa venditione vel emptione decipitur. Hęc Anſelmus. Ex quibus conſtat vtranq; pretij inæqualitatem eſſe à Paulo interdictam, ſiue ex induſtria illa fiat, ſiue præter intentionem. Et vtranq; eſſe peccatum apertè conuincitur per id, quod Paulus ſtatim ſubiungit, dicens. Quoniam vindex eſt dominus de omnibus his. Niſi enim vtraq; eſſet peccatum, dominus de illis nõ vindicaret. Quod autem Philippus Decius dicit deceptionem illam quę fit infra dimidiũ iuſti pretij eſſe ex iure canonico contrahẽtibus permiſſam, non iſta eſt. Quia licet ius canonicũ illi ſoli qui vltra dimidium iuſti pretij deceptus eſt, per ſufficiẽs remedium ſubueniat, aliis tamen, quia infra dimidiũ iuſti pretij decepti ſunt non præcipit, vt damnum

[Margin notes: C; D; 1. Theſ. 4.; Anſelm.]

A damnum ſibi illatū deceptoribus remittant: nec decipientibus permittit, vt ſic decipere poſsint, niſi forte dicas permittere pro quo nullā admittit in iudicio actionē. Sed hæc permiſsio nullam tribuit cōſcientiæ ſecuritatē, ſed ſolū imponit litibus terminū, quoniā niſi id fieret innumeræ quotidie lites orirentur. Quum ſic litibus obuiat, nihil hac ratione decipienti concedit, ſed illum ſuæ conſcientiæ relinquit, non quidem vt liberè quod voluerit agat, ſed vt iuxta diuinā legem operetur, à Deo ſolo & non iam ab hominibus in hac parte iudicandus. Tenetur ergo ſic decipiēs reddere id, in quo à iuſto pretio defecit, quamuis deceptus non poſsit pro hac re contra illum in iudicio agere.

Quartò oſtendo illius prædictæ conſequentiæ malitiam in caſu præſcriptionis, quæ bona fide incepit, ſed poſtea deſiit in malam fidem, non tamen publicè notam. Et, quo res ſit manifeſtior, ponamus Petrū bona fide & iuſto titulo, vt puta iure hæreditario poſſediſſe rem aliquam præſcriptibilem, & antequam finiretur legitimū præſcriptionis tempus, cognouiſſe rem illam non eſſe ſuam, ſed Ioannis qui etſi ſciebat rem illam eſſe ſuam, neglexit illam petere quo- *Fallentia quarta.*
B uſque legitimū præſcriptionis tempus iam fuerat elapſum. In hac rerum contingentia Ioannes non poteſt per ſe capere, nec in iudicio agere contra Petrū pro re illa recuperanda: quia per legitimū præſcriptionis tempus, quod eſt iam præteritū, repellitur ab actione, quam contra Petrum iuſtè habere poterat, præſertim cùm non poſsit probare malam fidem, quam ante finitū præſcriptionis tempus Petrus habuit. Sed nunquid ex hoc, quòd Ioannes non poteſt capere rem illam, licet inde inferre quòd Petrus non tenetur in conſcientia reddere illam Ioanni? Abſit. Quia etſi Ioannes nec per ſe illam capere, nec petere in iudicio poſsit, Petrus tamen ſalua conſcientia illam retinere non poteſt, ſed tenetur illam reddere Ioanni. Nam mala fide interueniente, antequam ſit finitū legitimū præſcriptionis tempus (vt dicitur in cap. fi. de præſcriptionibus) nullus præſcribere poteſt. Et in regula, Poſſeſſor, de regulis iuris, lib. vj. dicitur quòd poſſeſſor malæ fidei vllo tempore non præſcribit. Simile exemplū poteſt dari ad oſtendēdā illius primæ conſequentiæ malitiā, de illo, qui propter defectū probationum excidit à cauſa, & ſic victus eſt in iudicio, vt cauſa illa iam

tranſ

tranſierit in rem iudicatam,& non poſsit iterum ad litem reuocari. Vt ſi,gratia exempli,Petrus cũ Ioanne contendat de alicuius agri poſſeſsione, quem dicit iniuſtè à Ioanne poſsideri:& vterq; credat ſe iuſtã cauſam agere,ſed Petrus, qui verè iuſtã cauſam habebat deficientibus ſibi neceſſariis probationibus,vltimò ſic dãnatus eſt, vt cauſa tranſierit in rem iudicatam. Poſt modicũ verò tempus elapſum tã ſufficientes probationes oblatæ ſunt Petro, vt ſi illas ante rem iudicatam protuliſſet in iudicio,ſine vlla cõtradictione iudex pro illo ſententiam dixiſſet. In hoc rerum euentu,qui frequenter contingere ſolet,Petrus nec agrũ per ſe capere, nec pro illo in iudicio cõtendere poteſt:quia tranſit in rem iudicatam.Neq; eſt hoc imputandum iudici,ſed ipſi Petro, qui ea,quæ ad ſuam cauſam potiſsimũ pertinebant,coram iudice nõ protulit,quando proferre debuerat. Iudex autem non poteſt rem vltima ſententia diffinitiua iudicatam, ad iudicium admittere,etiã ſi inſtrumẽta noua offerat victus, ob quorum defectum fuit condemnatus,vt dicitur in l.Imperatores. ff. de re iudicata. Niſi enim ita fieri mandatum eſſet, lites quantũlibet mortuæ reuiuiſcerent,& ſic nullus eſſet litibus finis. Neq; obſtat quod dicitur in l.Admonendi.ff.de iureiurãdo. Quia illic ſolùm tractatur de ſententia data in re dubia, propter ſolũ alterius partis iuramentum. Tunc enim ſi per inſtrumenta poſtea reperta conſtat iuramentum fuiſſe falſum,retractatur ſentẽtia.In aliis verò negotiis,niſi illa ad rem publicã pertinerent,nunquã propter inſtrumenta poſtmodũ reperta,reuocatur ſententia vltimò definita. Et ita in caſu noſtro Petrus,licet noua inſtrumẽta reperiſſe ſe dicat,non poterit ad agri recuperationem agere contra Ioannẽ in iudicio. Ioannes autem, qui ſententiam pro ſe bona fide obtinuit, tenetur in conſcientia reddere agrum Petro,poſtquam illi notæ fuerint integræ probationes,quæ apertè conuincunt illum agrũ eſſe Petri.Quia etſi iudex pro Ioanne ſententiam dedit, ſentẽtia illa ab errore proceſsit,quo iudex putauit non eſſe alias probationes,quæ Petro fauere poſſent,niſi illas,quas Petrus pro ſe obtulerat in iudicio:& ideo ſecundũ illas ſolas iudicauit, qui ſi illas, quæ nunc prodierunt in lucẽ,tunc vidiſſet, pro Petro cõtra Ioannem ſententiã haud dubiè protuliſſet.Hocigitur nunc agnoſcens, Ioannes non poteſt ſaluà conſcientia retinere agrum,

A agrum, quem perfectè noſcit non eſſe ſuum, ſed tenetur illum reddere Petro, quamuis Petrus (vt dixi) nec illum capere, nec pro illo in iudicio contendere poteſt. Quia iudicis ſententia nō priuauit Petrum dominio agri, quod verè habebat, cùm ſine culpa Petri, quam ſuppono nullam interueniſſe, iudex id facere non poterat: ſed ſolum declarauit illum eſſe Ioannis. Nec de hac re mota fuerat coram iudice quæſtio: nec Ioannes hoc à iudice petebat, vt Petrum pro crimine commiſſo priuaret dominio agri, & ſibi adiudicaret: ſed hoc ſolum à iudice petebat, vt declararet agrum ad ſe & non ad Petrum pertinere. Ergo Ioannes, qui iam plenè nouit iudicem fuiſſe deceptum, tenetur illum reddere Petro, cuius eſſe iam nunc plenè cognoſcit.

Quintò adhuc apertiſsimè oſtendo fallere illam prædictam conſequētiam in caſu cuiuſdam legis regni Caſtellæ conditæ à Carolo quinto huius nominis Cæſare, Hiſpaniarúmq; rege eiuſdem nominis primo in comitiis ab eo habitis apud Madritum anno domini 1528. Nam illic regni totius procuratores conuenientes in vnum conqueſti ſunt, quòd ſæpe contingebat, vt famuli, qui dominis ſeruiebant, *Fallentia quinta.*

B accepto ſui ſeruitij præmio à dominis recedebant, & poſt aliquot annos iterum ſolutionem ſui ſeruitij petebant hac confidentia quòd domini erant obliti datæ ſolutionis, aut ſi recordabantur, non poterant probare ſolutionē datam: & ob hanc cauſam ſæpe, dominis eorū defunctis, petebant ab hæredibus ſui ſeruitij ſolutionē, quam à dominis defunctis iam acceperant, & ſic præmiū iam ſemel illis ſolutum, iterum ſoluere ſæpe cogebant. Ne igitur hæc iterū euenirent, omnes regni procuratores in vnum conuenientes, in prædictis comitiis ſupplicarunt regem, qui ſimul erat Cæſar, vt tam inſolentibus & procacibus famulorū petitionibus, per legem ab eo datam occurreret. Rex eorum ſupplicationibus, quas iuſtas eſſe intellexit, acquieſcens legem ſtatuit, quæ habetur inter alias illic conditas, in ordine 157. ſub hoc verborum contextu.

Præcipimus, vt omnes famuli, qui miniſtrauerint quibuſcunque perſonis iſtorū noſtrorum regnorū obligentur petere id, quod prætenderint eis deberi de ſalario aut ſtipendio, de quo cum dominis ſuis conuenerant pro ſuo miniſterio, intra tres annos, à die quo à dominis ſuis receſſerunt,

runt, computandos. Quibus elapſis, nõ poterunt aliquid ea ratione à dominis petere, niſi oſtenderint ſe intra illos tres annos petiuiſſe ab illis, quod ſibi ratione ſeruitij debebant, & dominos nõ ſoluiſſe nec ſatisfeciſſe illis. Hactenus verba legis. Iuxta huius legis diſpoſitionẽ ponamus Petrũ miniſtrum Franciſci receſsiſſe à domo & miniſterio illius ſine ſolutione debita, & tres annos tranſiſſe abſq; hoc quod Petrus ſolutionem petierit. His ita cõtingentibus, conſtat Petrũ nõ poſſe capere aliquid pro præmio ſui miniſterii, imò nec illud poteſt petere in iudicio. Sed nunquid inde neceſſariò ſequitur, quòd Franciſcus ſalua conſciẽtia poteſt retinere præmium quod illi debebat? Abſit. Quia licet Petrus poſt illos tres annos nõ poſsit petere à Frãciſco præmium, non tamen amiſit debitum quod antea illi debebatur. Lex enim (vt ex illius verbis, quæ modo citauimus, conſtat) ſolum priuat illũ actione ad petendũ, & non dominio rei ſibi debitæ. Nam lex priuans famulũ actione illa, nõ dixit dominum eſſe liberũ à debito. Si dominus non eſt liber à debito, ſed adhuc poſt tres annos elapſos eſt debitor, ergo licet Petrus olim famulus illius non poſsit poſt tres annos tranſactos petere, Franciſcus tamẽ dominus illius tenetur in cõſcientia reddere Petro præmiũ ſui beneficij, quod adhuc illi debet. Quia niſi quis reddat quod debet, ſi poteſt, manet in peccato, & ſaluus ſic eſſe non poteſt. Nam Paulus ad Romanos ſcribẽs, ait. Reddite omnibus debita. Et paucis interpoſitis iterum ait. Nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicẽ diligatis. Præterea, ex ipſa dominorum petitione conſtat ipſos poſt tres annos elapſos nõ eſſe liberos à debito, quãuis ſint liberi à moleſtia & fraude petitionis: quoniam lex non plus, imò minus cõceſsit eis, quàm illi petierunt. Procuratores autem, vt ex petitione illorũ cõſtat, hoc ſolum petierunt, vt prouideretur aliquo modo ne per elapſum longũ tempus obliuione preſsi, cogerẽtur domini bis ſoluere miniſtris ſuis. Non tamẽ petierunt vt modus daretur, quo ipſi liberarentur à debito, & non tenerẽtur ſoluere quod debebãt famulis ſuis. Iuxta petitionẽ illorum rex ſtatuit legem, nec magis illis cõceſsit quàm petebãt, imò minus: quia illi petierũt, vt miniſtri, qui à dominis receſſerãt ſine receptione ſtipẽdij poſt duos annos elapſos nõ poſſent petere illud: rex autẽ noluit priuare famulos actione potendi, niſi

Rom. 13.

C D

A di,niſi poſt tres annos elapſos. Procuratores regni inſuper petierunt à rege,vt famuli,qui à dominis receſſerãt,nõ poſſent poſt mortẽ dominorũ petere debitũ ſtipendiũ ab hęredibus.Hoc autẽ rex non cõceſsit,& meritò:quia poſſet dominus aliquis ſtatim poſt diſceſsionẽ famuli mori, & tunc facilè poterat ſciri an famulus ſui ſeruitij mercedẽ recepiſſet,an non.Et ideo rex omnibus,videlicet dominis & famulis proſpiciẽs,& cupiens illos omnes ſeruare indemnes,tres annos cõceſsit famulis, vt intra illos poſſent à dominis aut eorũ hæredibus petere debitũ ſui famulatus ſtipendiũ.Poſt illos tres annos negligẽter à famulis præteritos, conceſsit dominis & eorũ hęredibus,vt famuli nõ poſſent ab illis petere ſtipendiũ ratione ſeruitij promiſſum:quia petitio tam diu protracta præſumitur eſſe fraudulenta.Sed nõ fecit dominos liberos ab obligatione debiti quam ante habebant: quia(vt dixi) nec ipſi domini hoc petierũt,nec ſi petiiſſent, dignũ fuiſſet,vt illis cõcederetur. Et hinc apertè cõuincitur erraſſe Hugonẽ de Celſo in indice illo , ſiue (vt vulgus vocat) repertorio legũ Hiſpaniæ,quod in lingua vulgari Hiſpana ædidit. Nã hìc in titulo de præſcriptione,verſu xvij. *Hugo de Celſo.*

B prope finẽ , volens ſub cõpendio & ſub breuioribus verbis indicare hãc legẽ,de qua modo diſputamus, dicit dominos præſcribere cõtra famulos ſtipendiũ illis debitũ,ſi illi à dominis recedentes, intra trium annorũ ſpatium debitũ non petierũt. Sed certè in hac parte ille nimiũ hallucinatus eſt: quia (vt dixi,& ex litera legis cõſtat) domini ſolũ præſcribunt contra actionẽ famulorũ.ne illi poſſent pro ſtipendio agere in iudicio, non autẽ præſcribunt cõtra debitũ, vt domini poſt tres annos ſic elapſos ceſſent debere quod ante debebant. Nec talis præſcriptio illis concedi poterat, quia iniuſta,& canonico iuri,cui in hac parte neceſſariò obedire oportet, cõtraria. Nam in capitulo vltimo de præſcriptionibus,quod,vt ex illius inſcriptione cõſtat,in generali concilio fuit conditum , definitur vt nulla valeat abſque bona fide præſcriptio , tam canonica quàm ciuilis. Quia talis (vt illic oſtenditur) non poſſet ſine peccato mortali fieri, & dicit eſſe generaliter derogandum omni conſtitutioni atque conſuetudini , quæ abſque peccato mortali non poteſt obſeruari. Et hinc apertiſsimè conuincitur dominos, qui ſciunt ſe non ſoluiſſe famulis ſuis ſtipendium, nõ poſſe

præſcrib

præſcribere contra illos, quamuis fuerint tres anni elapſi C
poſt diſceſſum famulorũ, & illi nunquam in illis annis petierint ſtipendium. Quia in illis tribus annis ſi habẽt notitiam ſe retinere alienũ, habent etiam malam fidem, & per conſequens præſcribere non poſſunt. Poſſeſſor enim malæ fidei (vt dicitur de regulis iuris, lib.vj.) nunquam præſcribit. Ex hoc loco facile poterit lector intelligere, quantũ referat legere indices aut repertoria, an ipſas origines. Nam ſi ego illi repertorio legum Hiſpaniarũ fidiſſem in hac lege, de qua nunc diſputamus, fuiſſem circa illius intelligentiam deceptus, perinde ac illius repertorij author.

Ecce vides, lector, quot & quàm manifeſta exempla protuli, quibus apertiſsimè conuincitur hanc conſequentiam nihil prorſus valere. Fiſcus non poteſt capere bona à Petro, ergo Petrus non obligatur in conſciẽtia illi reddere. Nam ſi conſequentia illa eſſet bona & neceſſaria, vbique ex hoc quod eſt, non poſſe capere bona ab aliquo, liceret inferre alium non teneri reddere illi. Hoc autem non poſſe vbique inferri, multis euidentibus exemplis demonſtraui, & multò pluribus demõſtrare potuiſſem: & inde apertiſsimè conuincitur priorem illam conſequentiam eſſe malam. Et ex D
his omnibus (vt ad priorem & præcipuam argumentationem reuertamur) etiam conuincitur in illo capit. Cùm ſecundum leges. §. Confiſcationis, non concedi hæretico bonorum ſuorũ poſſeſsionẽ, quouſq; ſit per iudicem cõpetentem de crimine hæreſis damnatus. Quia licet illic præcipiatur, vt fiſcus non poſsit bona hæretici capere antequã ille ſit de crimine hæreſis condemnatus, inde tamen (vt iam multis argumentis probaui) non ſequitur, quòd hæreticus poſſit retinere, & non teneatur illa reddere fiſco. Cùm igitur iam apertè oſtendi in illo ſæpe citato capit. Cùm ſecundum leges, non concedi expreſſè, nec ex conſequenti bonorum ſuorum retentionem vſque ad ſui criminis damnationem, oportet vt qui talem retentionem iuſtam eſſe dicunt, aliam legem oſtendant, quæ apertius illam bonorum retentionem concedat hæretico, aut cuiuis alteri, qui fuerit propter aliquod crimen ſuis bonis ipſo iure priuatus. Et ſi talem mihi oſtenderint, ex nunc promitto me cantaturum pallinodiam. Si autem ipſi nullam talem legem proferre poſſunt, ratio euidens cogit eos, vt in-

meam

A meam ſe transferant ſententiam,niſi adeò indurati ſint, vt obſtinato animo velint ſine vlla ratione tueri ſuam. Quidam iuris ciuilis peritus, & mihi antiquo amicitiæ fœdere coniunctus, videns ſententiam meam, quam de hac re in lib.ij.de iuſta hæreticorũ punitione cap.vj.protulerã, mihi per literas(lõgè enim à me diſtabat)ſcripſit non placere illi meã illã ſẽtẽtiam:& poſtquam ego illi reſcripſi,petens vt mihi legem aliquam proferret,quę ſuorum bonorũ poſſeſsionem hæretico cõcederet,quouſq; ille eſſet de crimine hęreſis damnatus,quia in illo cap.Cùm ſecundũ leges, ego apertè probabam illud expreſsè non concedi. His viſis, ille poſt diutinum ſtudiũ & longã huius rei inquiſitionem, reſcripſit mihi non eſſe neceſſarium vt hoc expreſsè hæretico concedatur,ſed ſatis eſſe,quòd cùm ille ante crimẽ commiſſum habuerit dominiũ & poſſeſsionẽ bonorũ ſuorum, & poſt crimen cõmiſſum ante ſententiam à iudice datã ius non priuet illum niſi ſolo dominio & non poſſeſsione, videbatur illi inde conuinci, quòd hæreticus vſque ad datam ſententiã maneat in poſſeſsione bonorũ ſuorum. Huic reſponſioni nihil per literas obieci: quia videbam commodè B id me facere nõ poſſe,hoc tantũ reſcripſi dicta illius,quamuis amiciſsimi & doctiſsimi viri eſſent, nihil me mouere, & me illi non per ſecretas literas ſed per publicam ſcripturam impreſsioni mandatã citiſsimè reſpõſurũ. Fateor quidem hęreticũ eſſe in poſſeſsione,& ideo nõ fuit opus tot illum amicum meum hinc inde citare leges & doctorũ teſtimonia,vt probaret hæreticũ, antequã ſit de ſuo crimine dãnatus,habere ſuorũ bonorũ poſſeſsionẽ. Non enim ſum tam hebetis ingenij,vt hoc non agnoſcam:nec tam effrons & induratus,vt hoc negare audeã. An iuſtã ille habeat poſſeſsionẽ eſt quęſtio,& nõ an habeat nudã poſſeſsionẽ.Nam etiam poſtquam fuerit declaratũ per iudicẽ illum eſſe hæreticum,imò etiã poſtquã iudex illũ expreſsè cõdemnaſſet ad priuationem bonorũ,adhuc hęreticus haberet poſſeſsionem bonorũ ſuorũ quamuis non iuſtam,quouſq; fiſcus illa caperet. Quia etſi fiſcus poſt datã à iudice ſententiã ſtatim illud habet ius ad apprehendendũ bona & capiendum illorum poſſeſsionẽ,non tamen ſtatim ſine vlla mora capit bonorum poſſeſsionẽ,quia non ſtatim apprehendit illa. Et generaliter loquendo,omnis malæ fidei poſſeſſor rem poſsi-

det:quia niſi poſsideret, nec bonæ nec malæ fidei poſſeſſor C diceretur. Hoc igitur ſolum inquirimus, an iuſtè poſsideat bona ſua hæreticus, aut quicunq; alius, qui propter crimen ſuum eſt bonis ſuis à iure priuatus. Et ego ſentio illum iniuſtè poſsidere, quia nulla lex expreſsè concedit illi vt poſsit bona, quæ iam non ſunt ſua, retinere: & hoc in proximè ſequenti cap. Deo fauente, multò apertius probabo in reſponſione quarti argumenti, quod contra me obiecit idem amicus. Quod autem ille dixit non eſſe neceſſariũ vt hoc illi expreſsè concedatur, falſum eſſe conuincitur per regulam ſuprà citatam ex Clemen. Exiui de paradyſo, quæ ſic ait. Vbi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expreſsè non conceditur, intelligitur denegatum. Sed retinere alienum inuito domino, eſt hęretico perinde ac aliis omnibus generaliter prohibitum, ergo niſi ſit illi aliquid in hac parte expreſsè conceſſum, intelligitur denegatum. Secundũ quod ait ius priuaſſe hæreticũ ſolo dominio & non poſſeſſione, ſi intelligat de nuda poſſeſsione, ſiue iuſta ſiue iniuſta, verum eſt quod ait: ſed ego (vt dixi) de tali poſſeſsione non contendo. Si verò intelligat de poſſeſsione iuſta, falſum eſt quod ait: quia eo ipſo, quo priuatus eſt dominio D bonorum, priuatus eſt iuſta poſſeſsione illorum, ita vt licet poſsideat, non tamen iuſtè poſt talem priuationem dominij. Nam (vt dicit regula iuris in vj.) Cùm quid prohibetur prohibētur omnia, quæ ſequuntur ex illo. Poſt crimen hæreſis pertinaciter commiſſum, ab hæretico ius prohibet illum eſſe dominum bonorum ſuorũ: ergo prohibet etiam iuſtum eſſe vt ille bona ſua poſsideat. Quia ſicut ex dominio bonorum aliquorum ſequitur iuſtam eſſe illorum poſſeſsionẽ, ita ex priuatione dominij ſequitur priuatione iuſtæ poſſeſsionis, niſi alicui ſit ſpecialiter aliud conceſſum.

Secundò, principali argumẽto probo eũ qui à iure propter aliquod crimen priuatus eſt bonis ſuis, teneri in conſcientia reddere illa fiſco, cui ab ipſomet iure adiudicata ſunt, etiam antequam ſit de ſuo crimine damnatus à iudice. Si iudex definitiua ſententia declararet illum commiſiſſe crimen, propter quod eſt ipſo iure ſuis bonis priuatus, ſtatim ſine alia condẽnatione teneretur in conſcientia reddere bona ſua fiſco, cui ipſo iure eſt traditũ illorum bonorum dominium: ergo ante talem ſententiam crimi-

ris

A nis declaratiuam tenetur in conſcientia reddere illa fiſco. Aſſumptum eſt ab omnibus, præterquam ab vno Caietano conceſſum. Omnes enim præter Caietanum fatentur ſolam ſententiam criminis declaratiuam eſſe ſatis ad executionem ſententiæ à iure latę. Caietanus autem (vt iam aliàs dixi) cenſet illam ſententiam non eſſe ſatis, ſed eſſe inſuper neceſſariam iudicis ſententiam quæ reum damnet ad pœnam. Sed hęc illius opinio apertè conuincitur per illud cap. Cùm ſecũdum leges, in §. Confiſcationis, vbi Papa ad executionem confiſcationis, ſiue ad occupationem bonorum hæretici, non dicit eſſe neceſſariam promulgari ſententiam de pœna, ſed ſolùm de crimine, & hanc ſatis eſſe dicit: quia nihil amplius expectandum eſſe præcipit. Conſequentia huius ſecundi principalis argumenti probatur per hoc, quod illa ſententia criminis declaratiua nullam nouam obligationem imponit hæretico: & inde euidentiſsimè ſequitur, quòd ſi poſt datam talem ſententiam eſt obligatus reddere, etiam ante illam ſit obligatus: & ſi ante non eſt obligatus, nec etiã poſtea. Vt autem hoc apertiſsimum faciam, interrogare oportet quam ob cauſam præcipitur *Caietanus.*

B talem ſententiam criminis declaratiuam dari ante apprehenſionem bonorum, & quid illa operetur. Illa ſententia non ob aliud dari præcipitur, niſi vt prius conſtet crimen eſſe commiſſum, & inde poſtea conſtet meritò illi pœnam infligi. Et meritò hoc ante bonorum apprehenſionem fieri præcipitur: quia niſi ita decretum eſſet, fortè fiſcus cupiditate ductus ſæpe fingeret crimen eſſe vbi crimen non eſt: & ſic ſæpe bona acciperet ab illis, qui tali pœna eſſent prorſus indigni. Ne igitur tantæ cupiditati occaſio aliqua præberetur, ſi liberũ eſſet fiſco bona apprehendere, quando ille cenſeret talem pœnam eſſe meritò infligendam, non fiſco ſed iudici hoc commiſſum eſt, vt ille prius de crimine dicat ſententiã, antequã fiſcus bona apprehendat. Alioqui ipſe fiſcus eſſet ſimul actor & iudex, quæ duo nulli ſimul iure competere poſſunt, vt dicitur in capit. Multi .ij. q. j. Ex his apertè conuincitur, vt licet hæc ſentẽtia quę crimen declaret eſſe commiſſum, ſit in foro contentioſo & in ordine ad fiſcum neceſſaria, non tamen in foro conſcientiæ in ordine ad ipſum qui crimen commiſit, propter quod eſt ipſo iure ſuis bonis priuatus. Hæc conſequentia

probatur, quia multò magis conſtat ſuum crimen ante iu- C
dicis ſententiam illi, qui illlud commiſit, quàm aliis poſt
datam ſententiam, ergo propter illum non eſt neceſſaria ſententia declarans crimen eſſe commiſſum, ſed ſolum propter alios. Nec propter alios iuxta ſententiam
Dominicus. Dominici de ſancto Geminiano, eſt ſemper talis ſententia neceſſaria. Quia (vt aliàs dixi) ille cenſet talem ſententiam non eſſe neceſſariam, quando factum eſt notorium. Hoc ideo dixit, quia iudicauit ad hoc tantũ illam ſententiam requiri, vt per illam eſſet manifeſtũ crimen eſſe commiſſum: & cognouit poſſe alio modo aliquid eſſe manifeſtum quàm per ſententiam: & ideo putauit idem fieri poſſe, ſi alio modo crimen eſſet manifeſtum, ac ſi manifeſtaretur per ſententiam. In cap. Cùm olim, de verborum ſignificatione, Innocentius Papa tertius declarans quid debeat dici manifeſtum, tres modos quibus id contingere poſsit, oſtendit ſic dicens. Offenſam illam nos reſcribimus intelligere manifeſtam, quæ vel per confeſsionem, vel probationem legitimè nota fuerit, aut euidentia rei quæ nulla poſsit tergiuerſatione celari. Hæc ille. Gloſſa in illo capit. in verbo, confeſsionem, addit quartum modum, D
qui eſt per ſententiam. Sed non erat opus addere illum, quia includitur in illo modo ſecundo, qui eſt per probationem legitimè factam: quoniam ſententiam ſine probatione iudex ferre non poſſet. Si crimẽ eſt per aliquem aliorum duorum modorum manifeſtum, vt puta per cõfeſsionem, aut per facti euidentiam non eſt opus ſententiam declarantem crimen pronunciare, vt de crimine conſtare poſſit. Nam multò magis eſt notum, & multò magis apertè conſtat id, quod per rei euidentiam cognoſciur, quàm ſi cognoſceretur per ſententiam iudicis, aut per confeſsionem delinquentis. Quoniam ea quæ ſunt nota aut manifeſta per ſententiam, aut per confeſsionem, ſolùm cognoſcũtur per notitiam abſtractiuam, quæ habetur in abſentia rei cognitæ. Quæ verò ſunt nota per rei euidentiam, neceſſariò oportet cognoſci per notitiam intuitiuam, quæ non niſi de re præſenti haberi poteſt: quoniam de re contingenti, qualis eſt omne crimen quod committitur, non poteſt haberi euidẽtia, niſi per notitiam intuitiuam. Præterea, circa ea quę tantũmodo ſunt manifeſta per ſententiam aut
con

A confeſsionē,poteſt eſſe error aut deceptio. Quoniam iudex iuxta allegata & probata,iudicans poteſt decipi à teſtibus, qui aliter quàm res ſe habebat,teſtati ſunt,& ipſe deceptus decipiet ſua ſentētia alios qui putabunt ita rem ſe habere, vt ab illo declaratum eſt. Is etiam qui ſe deliquiſſe ore proprio confeſſus eſt, metu tormentorū aut alia cauſa vrgente potuit fateri ſe feciſſe quod nunquam fecerat,& ſic auditores decipere. Circa illa verò quæ ſunt per rei euidentiam manifeſta,nullus decipi poteſt,alioqui non eſſet in illis rei euidentia. Ex quibus omnibus conuincitur verum eſſe, id quod dixi,multò magis eſſe notum & manifeſtum id,quod per rei euidentiam cognoſcitur,quàm ſi cognoſceretur per ſententiam iudicis, aut per confeſsionem delinquentis. Et inde ſequitur, vt ſi ſententia iudicis declarans crimen eſſe commiſſum ad hoc ſolū ſit neceſſaria, vt per illam de crimine conſtet,non ſit neceſſaria talis ſententia,quando crimen eſt per rei euidentiam manifeſtum: prout Dominicus docet,& illi conſentit Felinus in capit. Canonum, de conſtitutionibus. Quia quod per rei euidentiam cognoſcitur (vt iam probaui) multò magis conſtat,quàm ſi cognoſceretur per ſententiam. *Dominic.* *Felinus.*

B Ponamus ergo, gratia exempli, Petrum hæreticum qui coram fiſco & aliis centum teſtibus obſtinatiſsimo animo aſſerit & tuetur hæreſim manifeſtiſsimam, de qua nec ruſticiſsimus homo dubitabit hæreticam eſſe. Ponamus illum dicere Chriſtum non eſſe Deum,nec crucifixum,nec à mortuis reſurrexiſſe,aut aliud ſimile æquè apertè hæreticum, vt præcedentia. Eo rerum euentu,iuxta Dominici & Felini ſententiam,fiſcus non expectata iudicis ſententia poterit bona Petri illo inuito capere. Quia multo melius illi & aliis videntibus & audientibus conſtat de crimine Petri, quàm per ſolam ſententiam conſtare poterat. Sed iſta quæ ad fiſcum pertinent, propterea quòd ad forum contentioſum ſpectant,ego nunc prorſus omitto: & ad ea ſolum quæ hæreticū in conſcientia ſolū modo circa bona ſua tangunt,diſputationem reduco. Nam quid ille de bonis, quibus eſt ipſo iure priuatus, agere teneatur,nō reſpicit forū contentioſum. Pro iſto igitur dico non eſſe neceſſariā iudicis ſententiam,vt ille bona olim ſua reddere teneatur fiſco. Quia ille melius noſcit crimen ſuum, quàm alij noſcere poterunt poſt ſententiam à

iudice datam: imò melius quàm alij qui audierunt illum pertinaciter ſuam hæreſim defendentem. Quia etſi illi qui audierunt noſcant per euidentiam illum conſtanter tales hæreſes aſſeruiſſe, non tamen euidenter cognoſcunt animum quo illas aſſeruit. Non enim poſſunt euidenter cognoſcere: an ita intus in animo ſentit, vt foris ore profert. Nam de illo Naaman leproſo legimus, quòd poſtquam ſepties lotus in aqua Iordanis mundatus fuit à lepra, reuerſúsque ad Heliſeum, dixit illi. Verè ſcio quòd non ſit Deus in vniuerſa terra, niſi tantùm in Iſrael. Et paucis interiectis ſubdit. Non faciet vltra ſeruus tuus holocauſtũ aut victimam diis alienis, niſi domino. Hoc autem ſolum eſt, de quo depreceris dominum pro ſeruo tuo. Quando ingredietur dominus meus tẽplum Remmon, vt adoret: & illo innitente ſuper manum meam, ſi adorauero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, vt ignoſcat mihi dominus pro hac re. Qui dixit ei. Vade in pace. Si quis Iudæus videret Naaman in templo ſic adorantem, iudicaret illum idololatrẽ putans illum interius idem ſentire quod foris oſtendere videbatur. Qui autem ſic de Naaman iudicaſſet, deceptus fuiſſet: quoniam licet in templo idoli adorabat, non tamen idolum, ſed verum Deum Iſrael adorabat. Alioqui non illi conceſsiſſet Heliſeus in templo idoli adorare, ſi idolũ adorare debuiſſet. Potuiſſet etiam nunc contingere, vt Petrus ob aliquam quamuis turpem cauſam hæreſim aliquam voce tantum conſtanter aſſereret, aliud animo ſentiens. Quiſquis illum ſic aſſerentem audiret iudicans illum hæreticum falleretur. Quia etſi grauiter peccaret non faciens ore confeſsionem ad ſalutem, & ob hoc meritò hæreticus ab eccleſia cenſeretur, propterea quòd illa non occultis, ſed ſolum iudicat de manifeſtis: tamen in veritate coram Deo qui ſcrutatur corda, hæreticus non eſt. Quia hæreſis non conſiſtit in opere exteriori, ſed in interiori mentis credulitate. At hæreticus aut quiuis alius, qui commiſit crimen, propter quod eſt ipſo iure ſuis bonis priuatus, non poteſt decipi circa ſeipſum, quando res eſt crimen apertum. Nam ipſe optimè noſcit ſemetipſum, & melius ſcit ſine iudicis ſententia ſe rem perpetraſſe, quàm alij ſcire poſſunt per iudicis ſentẽtiam, imò melius quàm alij qui illũ talem rem

4. Reg. 5.

C D

A rem feciſſe viderunt. Quia ipſe animum ſuum quo rem illam peregit, quem alij ſcire non poſſunt, optimè nouit. Ergo vt ipſe delinquens ſuum delictum agnoſcat, nulla indiget ſententia. Poteſt tamen contingere vt licet ipſe ſciat ſe rem illam perpetraſſe, neſciat tamen an tam malè rem geſſerit, vt ſit meritò connumeranda inter illa crimina, propter quæ priuatio bonorum eſt ipſo iure inflicta. Tunc enim (vt cap.v.huius ſecundi libri me dixiſſe memini) non teneretur reddere bona fiſco, donec illi aut per iudicis ſententiam, aut per doctrinam virorũ peritorum, quibus meritò credere teneatur, plenè conſtiterit crimen à ſe cõmiſſum eſſe ex illis, propter quæ eſt à iure priuatio bonorum irrogata. Si prorſus ignorat rem ab eo geſtam eſſe crimen, talis poterit accidere ignorãtia, quæ illum excuſet à pœna ſicut à culpa. Si dubitat eſſe crimen, tunc tenetur conſulere viros doctos, & poſtquam ab illis intellexerit ſe crimen commiſiſſe cui eſt ipſo iure priuatio bonorum inflicta, tenebitur reddere bona fiſco, cui ſunt ab ipſo iure adiudicata. Sed hîc poſſet dubitatio non leuis oriri, an ignorans talem priuationem bonorũ eſſe ipſo iure inflictam propter
B aliquod crimen, incidat in illam quum ſciens commiſerit illud. De hac tamen re quæ meo iudicio non eſt parum difficilis, nihil nunc dicam, propterea quòd poſtea vno integro capitulo de hac re dicere ſtatui. Opus eſt iam vt hoc argumentum, quod tam latè protraximus, ſub breuiore compendio colligamus, ne per tam latum orationis fluxum argumenti vires defluant, & minuantur. Reus poſt datam à iudice ſententiam crimen declarantem tenetur reddere bona ſua fiſco: ergo etiam tenetur illa eidem reddere ante talem ſententiam datam. Aſſumptum eſt manifeſtum & ab aduerſariis conceſſum. Conſequentiam ſic apertiſsimè probo. Quidquid ſententia criminis declaratiua operari poteſt circa reum, illud habet in ſe reus abſque tali ſententia: ergo eandem obligationem ad reddendum bona habet ante talem ſententiam, quam habet poſt illam datã. Conſequẽtia iſta vltima eſt notiſsima, quia ſi aliquam obligationem haberet reus poſt ſententiam datam, quam nõ habebat ante illã, falſum eſſet quod in antecedẽte aſſumitur, reum in ſe habere abſq; tali ſententia quidquid illa ſententia criminis declaratiua operari poteſt circa eũ. Sed

aſſumptum illud ſic probatur manifeſtè. Sententia illa criminis declaratiua nihil aliud operatur, niſi declarare crimen eſſe ab illo commiſſum, vt ſic aliis conſtet illum incidiſſe in pœnã à iure inflictã. Nam ob hanc cauſam ſententia illa dicitur ſolũ criminis declaratiua, & non condẽnatiua, quia per illã non condẽnatur reus ad pœnã ad quã erat iam à iure damnatus, ſed declaratur reũ commiſiſſe illud crimen. Hoc autẽ ipſe reus ante talẽ ſententiã optimè nouerat: verũ eſt ergo reum omne illud ſecluſa ſententia criminis declaratiua habere in ſe, quod illa ſententia poſſet in illo operari: & inde apertiſsimè conuincitur, vt ſi poſt datam ſententiã criminis declaratiuam tenetur reddere bona fiſco, teneatur etiã illa reddere ante talem ſententiam datam: aut ſi ante talem ſententiam non tenetur, non teneatur etiam poſt illam, cùm talis ſententia nihil in ipſo reo (vt dixi) faciat, quòd ille ſine vlla ſententia non habeat. Hoc argumentũ, niſi ego protinus deſipio, non ſolũ ſuadet, ſed rem veram eſſe velut digito demonſtrat: quoniam adeò conuincit vt nullam aduerſariis rimulam relinquat qua ſe elabi poſsint, quin ſtatim comprehendantur. C

Tertiò principali argumento eandem concluſionem ſic probo, & ſtatuamus prius fiſcum per rei euidentiam, quæ nulla poteſt tergiuerſatione celari, ſcire Petrum commiſiſſe crimen propter quod eſt ipſo iure ſuis bonis priuatus. Si fiſcus tunc ante ſententiam criminis declaratiuam caperet à Petro illo inuito, bona illius non teneretur illi reſtituere: ergo Petrus antequam fiſcus capiat, tenetur illi reddere. Conſequentia eſt notiſsima, quia non poteſt eſſe vt res quæ non ſit pluribus communis, ſed vnus ſolùm eſt illius particularis dominus, poſsit ab vtroq; duorum iuſtè poſsideri altero illorum ſemper inuito. Et hinc apertè conuincitur neceſſarium eſſe, vt ſi Petrus ante ſententiam datam iuſtè retinet ſua bona, fiſcus qui Petro inuito accepit, illa iniuſtè poſsideat, & teneatur illi reſtituere: aut ſi fiſcus iuſtè accepit & non tenetur reſtituere Petro, neceſſarium eſt vt Petrus qui inuito fiſco detinebat, iniuſtè poſsideret, & ſic teneretur reddere fiſco. Oportet igitur alterum illorum iniuſtè poſsidere, & teneri ad reddendum alteri, quum illo inuito talia bona poſſederit. At fiſcus poſtquam bona Petri ante ſententiam illo etiam inuito accepir, iuſtè D

illa

A illa poſsidet, nec tenetur illa Petro reſtituere: ergo Petrus ante talem ſententiam iniuſtè poſsidebat, & tenebatur illa reddere fiſco. Antequam probem fiſcum iuſtè poſsidere, declaro me hîc non loqui de iuſtitia completa quæ caret omni vitio & peccato, ſed ſolùm de illa quæ caret obligatione reſtitutionis, quomodo dicitur meretricem iuſtè poſsidere mercedem ſuæ proſtitutionis, non quòd in ipſo contractu non peccet, ſed quòd non obligatur ad reſtitutionem eius quod ſic accepit. Iuxta hunc modum dico fiſcum iuſtè poſsidere bona per vim à Petro capta: quia licet ſic accipiendo fortè peccauit, non tamen tenetur ad reſtitutionem illorum, quãuis ſic per vim acceperit. Quòd nõ teneatur ad reſtitutionem probatur apertiſsimè per l. Quòd à quoquam. ff. de regulis iuris, quæ ſic ait. Quòd à quoquam pœnæ nomine exactum eſt, id eidem reſtituere nemo cogitur. At bona quæ fiſcus exegit à Petro ob crimen ab illo commiſſum, pœnæ nomine accepit: ergo fiſcus illa eidem reſtituere non cogitur. Non video quid huic argumento reſponderi poſsit, niſi fortè quis dicat legem illam nunc proximè citatam valere in foro contentioſo, & non in foro conſcientiæ: ita vt licet fiſcus non ſit
B in foro contentioſo cogendus ad reſtituendum quod pœnæ nomine accepit, tamen in foro conſcientiæ reſtituere cogatur. Sed iuxta hunc modum etiam dicere oportebit illum §. Confiſcationis, in cap. Cùm ſecundum leges, obligare ſolum in foro contentioſo, & non in foro conſcientiæ, aut oſtendant cur potius hæc lex quàm illa obliget in foro conſcientiæ. Philippus Decius in commentariis ſuis ſuper titulum. ff. de regulis iuris, interpretans hanc prædictam legem, Quòd à quoquam, dicit illam non minoris poteſtatis & valoris eſſe pro foro conſcientiæ quàm foro contentioſo, ſi id quod eſt pœnæ nomine exactum, fuerit delicto commenſuratum. Et ibidem ſuam illam priorem ſententiam quam aſſeruerat in cap. Canonum, de conſtitutionibus, repetit ferè ſub eiſdem verbis quibus tunc illam protulerat, dicens pœnam à lege ſtatutam, ſi iuſta illa ſit, & non excedat delictum, deberi in foro conſcientiæ. Sententiam Philippi Decij laudat & ſequitur Ioãnes Ferrarius Montanus, qui in commentariis quæ edidit ſuper eundem titulum. ff. de regulis iuris, interpretans prædictam legem

Philippus Decius.

Ioannes Ferrar.

ait. Sed quòd aliqui regulam noſtram in foro pontificio, C
(quem conſcientiæ vocant) conſiſtere non volunt, niſi me fallit opinio, verò haud conſonat. Nuſquam enim inuenio etiam ſacris canonibus expreſſum, quòd pœna nō debeatur, tantum abeſt vt exacta repeti poſsit. Hæc ille. *Si illa regula* iuris in foro conſcientiæ vim ſuam & poteſtatem (vt iſti interpretantur) exercet, inde apertiſsimè cōuincitur fiſcum non eſſe obligatum in conſcientia ad reddendum Petro bona, quæ illo inuito propter illius crimen accepit ab eo ante ſententiam à iudice datam. Ex quo vlterius ſequitur Petrum ante talem ſententiam teneri ad reddendum illa fiſco. Prætereà, ad maiorem huius argumenti confirmationem poteſt argui, per hoc quòd licet ſententia criminis declaratiua ſit neceſſaria ante apprehenſionem bonorum, non tamen ſic neceſſaria, vt ſi illa ſecluſa bona apprehendantur, talis apprehenſio non valeat. Nam Innocentius qui ſummam inter iuris canonici interpretes tenet authoritatem, in capit. Ex ratione, de appellationibus, dicit quòd ſi executio pœnæ fieret ſine ſententia valeret. Et hanc Innocentij ſententiam laudat, & dicit eam eſſe memoriæ commendandam Baldus, qui in cap. j. de feudo ſine culpa non D
amittendo hæc ait. Sed ſine aliqua declaratione facta executio, non eſſet propterea iuri contraria, per ea quæ notat Innocentius de appellationibus, cap. Ex ratione, Vbi nota quòd in mera executione nulla eſt neceſſaria cognitio vel dilatio, quod dictum tene menti. Hæc Baldus. Hæc autem tam illuſtrium virorum ſententia licet ab illis non probetur, probari tamen poteſt apertè per illum §. Confiſcationis, in cap. Cùm ſecundum leges, cui potiſsimum aduerſarij innituntur ad probandum ſententiam eſſe ſemper neceſſariam ante executionem. Nam in illo capitulo licet Papa præcipiat, vt bona non apprehendantur ante iudicis ſententiam crimen declarantem, non tamen dicit irritum eſſe & inane, ſi ſecus actū fuerit. Igitur cùm Papa non apponat decretum reuocans factum, ſolum inde colligere licet fiſcum peccaſſe, propterea quod contra eccleſiæ præceptum bona Petri illo inuito ante iudicis ſententiam accepit. Apprehenſio autem, cum illam Papa non dicat eſſe inanem & nullam, neceſſariò erit firma & valida. Si illa apprehenſio valet ante iudicis ſententiam, quum alias de crimine

Innocent.

Baldus.

A crimine conſtat, conſequens eſt, vt fiſcus non teneatur reſtituere quod ſic accepit: quoniam nihil prorſus illa apprehenſio valeret, ſi fiſcus quod ſic accepit reſtituere teneretur. Et hinc conuincitur illam regulam iuris ex titulo digeſtorum citatam valere, non ſolum in foro contentioſo, ſed etiam in foro conſcientiæ, vt fiſcus quod pœnæ nomine accepit, reſtituere non cogatur, etiam ſi ante iudicis ſententiam acceperit. Quia talis bonorum acceptio, licet ſit à iure prohibita, non tamen eſt ipſo iure reuocata & tanquam nulla declarata, quod erat ſummè neceſſarium, vt talis bonorum apprehenſio eſſet obnoxia reſtitutioni. Si fiſcus quod ſic ante iudicis ſententiam accepit à Petro illo inuito, iuſtè poſsidet & non obligatur reſtituere illi: Petrus ergo antequam fiſcus apprehenderet, iniuſtè contra fiſci voluntatem poſsidebat. Quia (vt ſuprà diximus) non eſt poſsibile, vt vterque illorum altero inuito iuſtè poſsideat. Si Petrus ante iudicis ſententiam iniuſtè poſsidet bona illa, ergo ante talem ſententiam tenetur in conſcientia reddere fiſco. Quia non ob aliam cauſam iniuſtè detinet, niſi quòd poſsidet contra voluntatem B fiſci, qui ipſo iure poſt crimen à Petro cõmiſſum eſt factus illorum dominus. Rurſum, ad maiorem huius argumenti confirmationem ponamus fiſcum volentẽ per vim capere bona à Petro ante iudicis ſententiam, & Petrum illi reſiſtentem. Ecce bellum inter illos duos inceptum, quod neceſſarium eſt, vt ſit ex altera parte iniuſtum. Non eſt iniuſtum ex parte fiſci, iniuſtitia quæ illum faciat reſtitutioni addictum: ergo eſt iniuſtum ex parte Petri. Simili argumento probat beatus Thomas in 2. 2. quæſtio.lxix.articu. *Thomas.* iiij. non licere ei qui iuſtè damnatus eſt ad mortem, ſe defendere ab illis qui mortem illi infligere nituntur. Si Petrus iniuſtè illa bona ante iudicis ſententiam tuetur, ergo ante talem iudicis ſententiam tenetur illa reddere fiſco, vt contra illius voluntatem illa non poſsideat.

Quartò, principali argumento eandem priorem concluſionem probo: & vt apertius agam, pono prius (vt in proximè præcedenti argumento feci) Petrum commiſiſſe crimen, propter quod eſt ipſo iure ſuis bonis priuatus, quod crimen fiſcus nouit per rei euidentiam quæ nulla poſsit tergiuerſatione celari, ſed caret teſtibus quibus illud in iudic

iudicio probare poſsit. Fiſcus tunc ſecretò poteſt capere ab C hæretico quod potuerit in recompenſationem bonorum, quæ ſe inuito ille tenet: ergo Petrus in conſcientia tenetur illi reddere. Conſequentia iſta eſt nota, quia nunquam licet propria authoritate compenſationem ab alio ſumere, niſi quãdo alius verè aliquid retinet quod reddere tenetur. Aſſumptum verò, ex quo tota huius argumenti vis pendet, probatur per hoc, quòd nũquam aliquis propter defectum probationis amittit ius quod verè habet, vt dicitur in l. Duo ſunt Titij .ff. de teſtamẽtaria tutela. At communis eſt theologorum & iuriſperitorum ſententia, vnumquenque poſſe ſibi ius dicere quando deficit ſibi ſui iuris probatio. Nam gloſſa in cap. Ius gentiũ, in verbo, Sedium, diſtinct. j. dicit hominem propria authoritate poſſe capere rem ſuam ab alio detentam, quando illam per iudicem aſſequi nõ poteſt. Pro qua re citat primum & ſecũdum capitulum. xxiij. quæſt. ij. In quibus locis id ſolum dicitur bella poſſe iuſtè geri, & inde deducitur id quod gloſſa dixit. Quia niſi homo poſſet iudice deficiẽte capere propria authoritate quod eſt ſuum, nõ poſſet bellum geri, cum hac ſola ratione bellum geri poſsit, quòd deficit iudex qui compenſationem D damni aut iniuriæ reddere poſsit. Citat etiam legem, Ait prætor. §. Si debitorem. ff. Quæ in fraudem creditoris, vbi qui fugientem debitorem propter iudicis defectum capit, decernitur non eſſe puniendus. Gulielmus Altiſiodorenſis in ſua ſumma theologiæ, in tractatu de reſtitutione, quæſt. vj. dicit hominem poſſe propria authoritate capere ab alio quod ſuum eſt, quando ſine ſcandalo facere poteſt, & deeſt iudex cuius authoritate id facere poſsit. Ob hanc cauſam Alexander de Hales iiij. parte, quæſt. lxxxvj. membro ij. dicit filios Iſraël, licet Deus hoc illis non præcepiſſet, potuiſſe capere ab Aegyptiis ſpolia quæ ab illis acceperũt. Quia potuerunt compenſationem ſumere pro ſeruitio quo ſeruierunt in luto & latere. Hac eadem ratione motus Petrus à Palude, in iiij. ſentent. diſtinct. xxxv. quæſt. j. artic. iiij. dicit coniugem innocentem certum de adulterio alterius ſi non poteſt probare adulterium poſſe repellere adulterum à thoro: quia (vt inquit) defectus probationis nõ eſt ex culpa ſua. Et dat exemplum de eo qui debitorem fugientem accipit, & de illo qui furatus eſt mihi centum, & non poſſum

Petrus à Palude.

A ſum probare, à quo dicit me non ſolùm poſſe tantundem retinere de ſuo, ſed etiã occultè accipere. Dicit enim quòd quando iudicis copia haberi non poteſt, aut propter defe-ctum iudicis, aut aduerſarij, quem fortè ob illius potẽtiam timet, & ob hoc non audet illum ad iudicium vocare, aut aliter ſine culpa ſua aliquis non poteſt iudiciũ & iuſtitiam impetrare, ille poteſt ſibi ius dicere. Aliàs omnia bella (vt inquit ille) eſſent iniuſta. Ob eandem rationem Adrianus in quodlibeto ſexto, artic.j. generaliter dicit licere homini propria authoritate rem ſuam vel æquiualentem dum ſine ſcandalo & ſine turbatione fieri poterit, recuperare. Quia ius humanum (vt inquit) hoc prohibet ne ſequatur turbatio aut ſcandalum, & inde deducit, quòd ſi bene proſpectum fuerit ſcandalo, nihil illicitum fit, cùm quis rem ſuam propria authoritate capit. Et, quod magis notandum eſt, dicit quòd licet cum ſcandalo & per vim rem ſuam accepiſſet, quamuis peccaret, non tamen teneretur in foro ſpirituali acceptum reſtituere. Et probat quia l. Si quis in tantam. C. Vnde vi, & l. Extat. ff. Quòd metus cauſa, & capit. Placuit. xvj. quæſt. vj. & cætera huiuſmodi humana iura nõ priuant B hominem ipſo facto, dominio, ſed decernunt priuandum eſſe, vt notat gloſſa in dicta l. Si quis in tantam, in verbo, Amittat, vbi dicit quòd per ſententiam & non ipſo iure. Deniq; Ioannes Medina in ſuo codice de reſtitutione ſiue de contractibus, quæſtione vndecima, multò latius & exactius de hac re diſſerit, & tandem iſtorũ omnium ſententiæ ſubſcribit. Ex quo loco ego apertè conuinco illum ſecum pugnare, & quæ minimè cohærere poſſunt, in diuerſis huius operis nunc citati locis aſſerere. Et ne quis illi nimiũ affectus parum fortaſsis mihi fidat in illius ſententiis citandis, putans me falſo hanc illi inurere notam, ſtatui verba illius nec vno mutato citare, vt lector videat me fideliter citaſſe, & inde intelligat illum ſecum pugnantia dixiſſe. Nam in quæſtione prima totius operis diſſerens de rerum diuiſione, circa finem eiuſdem quæſtionis vbi tractat de tranſlatione dominij, poſtquam dixerat illam ex ſola legis authoritate fieri poſſe, & de hoc aliqua referẽs exempla, hæc quæ ſequuntur, ait. Similiter idem apparet, quando lex hominem ob culpam ſuam rebus ſuis ipſo facto priuat. Vt ſi incidat quis in hæreſim, aut crimen læſæ maieſtatis

Adrian.

Ioannes Medina.

ſtatis committat: nam ob hanc cauſam rerum ſuarum dominium ex legum voluntate perdit, & fiſco applicantur, vt habetur in capit. Cùm ſecundum leges, de hæreticis, lib. vj. Aut etiam ſi quis cadat in commiſſum, puta in agro vectigali, ipſo vectigali non ſoluto. Aut ſi quis occultauit merces, quarum vectigal erat ſoluendum, quia ipſo facto rerum illarum dominium perdunt, & acquiritur fiſco: etiam ſi in his caſibus res huiuſmodi licitè retineri poſsint ante ſententiam declaratiuam, ſine qua ſententia res huiuſmodi poſſeſſoribus auferri non poſſunt. Hæc Ioannes Medina vbi ſuprà. Sed cum hac ſententia adeò pugnant ea quæ in duobus aliis locis eiuſdem operis aſſerit, vt nullo pacto in concordiam redigi poſsint. Nam in quæſtione vigeſima ſecunda, differens de acquiſitis in ludo alearum, & aſſerens contra Adrianum, quod is qui in ludo perdit, non poteſt propria authoritate compenſationem pro re perdita ſurripere à lucrante, hæc quæ ſequuntur ait. In pœnis quæ alicui certæ perſonæ per legem ipſo facto, aut ipſo iure etiã ſine iudicis ſententia applicantur, crederem compenſationi locum eſſe, ſiue ſit pœna conuentionalis ſiue legalis. Vbi tamen pœna huiuſmodi non ſic alicui certæ perſonæ ipſo facto applicatur, niſi præmiſſa partis repetitione & iudicis ſententia interueniente, tunc ſicut pœna antequam repetatur illi non debetur, ita nec locum habet compenſatio in conſcientia. Hæc ille. Ex quibus verbis ſequitur apertiſsimè fiſcum poſſe ſalua conſciẽtia compenſationem propria authoritate ſumere ab hæretico, aut ab eo qui crimen læſæ maieſtatis commiſit: quia pœnæ iſtorum criminũ ſunt per legem ipſo facto & ipſo iure ſine iudicis ſententia applicatæ fiſco. Nam (vt ipſemet Ioannes Medina in verbis ſuis, quæ primò citauimus, dixit) propter iſta crimina bonorum dominium per ſolam legem ſine iudicis ſententia eſſe ipſo iure tranſlatum in fiſcum. In illa enim prima quæſtione articulo vltimo differens, quo pacto ab vno in alium transferatur dominium, dicit tribus modis id fieri poſſe, aut ſola legis authoritate, aut ſola voluntate iudicis ſententiam ferentis, aut ex voluntate ipſius poſſeſſoris. De primo modo qui fit ſola legis authoritate propoſuit in exemplum illa crimina quæ retulimus propter quæ, vt ille confeſſus eſt, fiſcus ſtatim ſine vlla iudicis ſententia acquiſiuit

dominium

A dominium bonorum quæ illi, cùm crimen commiſerunt, poſsidebant. Fiſcus ergo, iuxta huius doctoris ſententiam, quæ in verbis ſecundo loco citatis explicatur, poterit propria authoritate ab illis delinquentibus capere ſecreto compenſationem, quando illam à iudice impetrare non poſſet, prout contingit in caſu noſtræ argumentationis. Sed hoc non cohæret cum eo quod ait in quæſtione vndecima eiuſdem operis, vbi diſſerit de rebus per creditorem in recompenſam debiti ablatis. Nam illo loco iuxta beati Bernardini ſententiam, quam ille ſequitur, enumerans conditiones quas ad iuſtam compenſationem faciendam dicit eſſe neceſſariò requiſitas, hæc quæ ſequuntur ait. Prima conditio eſt, quòd debitum ſuum ſit liquidum, & non dubium: alioqui peccaret propria authoritate volens ſatisfacere. Hæc ille. Ex quibus euidentiſſimè ſequitur hæreticum, aut eum qui crimen læſæ maieſtatis commiſit, debere & non obſcurè ſed clarè & apertè bona ſua fiſco: quoniam (vt nunc proximè ille dixit) niſi debitum eſſet liquidum non poſſet licitè pro illo compenſationem ſumere. Et quamuis ille non dixiſſet, maniB feſtè probari poterat per l. Debitor. ff. de verborum ſignificatione, cuius hæc ſunt verba. Debitor intelligitur is à quo inuito exigi pecunia poteſt. Sed ab eo qui commiſit crimen propter quod eſt ipſo iure bonis ſuis priuatus, poteſt fiſcus illo inuito exigere bona illius, ergo ille qui crimen commiſit, eſt debitor fiſco. Si debet bona ſua fiſco, etiam ante iudicis ſententiam, ergo ante illam ſententiam tenetur illa fiſco reddere. Quia niſi quis debitum reddat, dum id facere poteſt, non poteſt ſalua conſcientia conſiſtere, quia Paulus ait. Reddite omnibus debita. Et iterum. Nemini quicquam debeatis. *Rom. 13.* Tenetur ergo nemini quicquam debere: Sed qui debitor eſt alicuius, non poteſt ſe à debito liberare niſi ſoluendo illi debitum, aut obtinendo remiſsionem debiti ab illo. Igitur hæreticus aut qui crimen læſæ maieſtatis commiſit, vt ſe à debito liberet, tenetur bona olim ſua fiſco reddere, niſi remiſsionem ab illo impetrauit. Et certè ipſum debiti nomen obligationem quandam manifeſtat: quia niſi quis obligatus ſit ad reddendum, nunquam debere dicetur. Quid enim homo debere poteſt alteri,

alteri,ſi nihil eſt illi reddere obligatus? Hoc argumentum C adeò mihi videtur aduerſarium præſertim Ioannem Medinam vrgere, & conſtringere,vt ingenuè fatear me neſcire quo pacto ſe poſsit ab illo tueri.

Quintò principali argumēto eandem principalem concluſionem ſic probo. Omnis qui iuſtè poſsidet rem aliquā, poſsidet illam vno ex his quatuor modis,aut legis authoritate,aut iudicis mandato,aut titulo proprij dominij veri vel iuſtè prȩſumpti,aut nomine alterius qui dominium verum,vel iuſtè præſumptum habet in re illa:hæreticus nullo iſtorum modorum poſsidet bona olim ſua:ergo hæreticus iniuſtè poſsidet illa.Conſequentia iſta eſt euidens,quia eſt ſyllogiſmus optimè ordinatus in tertia figura in modo notiſsimo qui dicitur Baroco. Maior propoſitio quæ ſumitur in antecedente, etiam eſt manifeſta ex ſufficienti partium enumeratione: quia non poteſt dari alius modus per quem res aliqua iuſtè poſsideri poſsit. Legis iuſtæ authoritate res poſsidetur iuſtè: quia lex iuſta ſicut poteſt dare dominium, ita etiam poſſeſsionem, vt apertè conuincitur per l.Raptores.C.de epiſcopis & clericis,& per l.vltimam. C.de ſacroſanctis eccleſiis,& per leges regni Caſtellæ, quæ D Taurenſes dicuntur,vbi lege xlv.prȩcipitur vt mortuo poſſeſſore alicuius primogenituræ, eo ipſo ſine aliqua iudicis ſuntentia, dominium & poſſeſsio eiuſdem primogenituræ, transferātur ad illum, qui ex inſtitutione illius primogenituræ debet ſuccedere defuncto. Authoritate iudicis res iuſtè poſsidetur, quando iudex auferens illam ab iniuſto poſſeſſore tradit eam illi cui iure debetur: aut quando ratione depoſiti illam tradit alicui. Authoritas proprij domini ad iuſtam poſſeſsionem eſt adeò manifeſta, vt nō egeat probatione. Sed quòd in authoritate illa dixi eſſe ſatis,ſi dominium eſſet iuſtè præſumptum, quāuis non eſſet verum, propter illos dixi,qui bona fide rem aliquam poſsident putantes eſſe ſuam,quæ tamen ſua non eſt. Hi enim iuſtè poſſident,non tamen authoritate veri dominij,quia illud non habent: ſed authoritate & titulo dominij quod meritò putat ſe habere. Hoc enim contingit in hærede, qui adiens hæreditatem inuenit in ea aliquid quod eſt alienum,& capit illud putans ad hæreditatem pertinere. Et idem contingit in eo qui bona fide emit aliquid à fure, exiſtimans illum

A illum eſſe dominum rei venditæ. Nomine alterius iuſtè poſsidet rem aliquam is, cui verus aut iuſtè exiſtimatus dominus eam locauit, aut mutuo, aut pignoris loco dedit. Sic igitur illa maiori propoſitione declarata conſtat illam eſſe verisſimam: quia non eſt alius modus, quo iuſtè res aliqua poſsideri poſsit. Quòd autem hæreticus aut quicunque alius ſuis bonis à iure priuatus, nullo iſtorum modorum ante ſui criminis declarationem bona illa poſsideat, facilè probatur. Non enim poſsidet titulo veri dominij aut præſumpti, quia ille non habet iam bonorum illorum verum dominium, ſed fiſcus, prout aduerſarij fatentur: nec habet dominium iuſtè præſumptum: quia (vt ſuppono) ille ſcit ſe eſſe ſuis bonis à iure priuatum. Deinde, non poſsidet nomine aut authoritate veri domini: quia fiſcus qui eſt verus illorum dominus, non conceſsit reo, vt illa bona ſuo nomine retineret. Nec etiam poſsidet authoritate, aut mandato iudicis, quia nullus iudex habens rectè exploratum crimen illius, niſi iniuſtè iudicare vellet, concederet reo, bonorum illorum poſſeſsionem, imò potius è contrario auferret ab illo, &
B traderet fiſco quem ſcit eſſe verum illorum dominum. Denique non poſsidet authoritate legis: quia (vt in primo argumento probauimus) nulla eſt lex quæ reo ipſo iure ſuis bonis priuato, concedat illorum bonorum poſſeſsionem, quouſq; ſi de ſuo crimine per iudicem competentem damnatus. Ex quibus omnibus apertiſsimè conuincitur illum iniuſtè talia bona poſsidere: quia nullo iſtorum modorum illa poſsidet. Et poteſt hęc argumentatio robuſtiſsimè confirmari, per hoc quod nullum eſt nomen quo hęc bonorum poſſeſsio, ſi iuſta cẽſeri debet, meritò appellari poſsit. Nam omnis rei alienæ & cum notitia rei alienæ iuſta poſſeſsio, aut dicitur depoſitum, aut locatum, aut mutuũ, aut pignoris retentio, aut ſequeſtrũ, aut iuſta pro re propria compen ſatio. Nec eſt aliud nomen quo alienæ rei poſſeſsio & cum notitia alieni poſsit iuſta cenſeri. At poſſeſsio illa eſt rei alienæ, quod ipſi aduerſarij fatentur: & eſt cum notitia rei alienæ: quia ſuppono illum optimè ſcire ſe propter ſuum crimen eſſe ipſo iure priuatum dominio bonorum. Poſſeſsio autem illa non poteſt dici depoſitum, nec locatum, nec mutuum, nec precarium, nec retẽtio pignoris ſibi dati,

nec iuſta compenſatio pro re ſibi aliàs debita, quia ſuppono fiſcum nihil poſt crimen à reo commiſſum debere illi. Ergo poſſeſsio illa non poteſt dici iuſta. Iniuſta enim neceſſariò dicenda eſt, quæ nullo iuſtæ poſſeſsionis nomine cenſeri poteſt, niſi fortè velis dare medium inter iuſtam & iniuſtam poſſeſsionem: quod nulla recta ratio permittit. Quòd autem poſſeſsio illa non poſsit aliquo illorum nominum appellari, inde conuincitur quòd ſequeſtrum, aut depoſitum ſemper fit mandato iudicis aut domini, quorum neutrum eſt hîc. Locatum autem aut commodatum, aut precarium, aut mutuũ, aut pignoris retentio, ſemper fit per traditionem à domino, aut ab alio nomine illius factam. At reus qui ipſo iure eſt ſuis bonis priuatus, non poſsidet illa bona ante ſui criminis condemnationem per traditionem illorum factam à fiſco, qui eſt verus illorum dominus. Ergo talis poſſeſsio non poteſt aliquo illorũ nominum cenſeri, & per conſequens non eſt iuſta. C

Præter hæc quinque argumenta quæ ex meo marte prodierunt, alia poſſem referre argumenta, ſed quia debiliora ſunt, omittenda eſſe cenſui. Solum hîc citare volo argumentum, quo Abbas hanc ſententiam probare ſe credidit, cum tamen nihil minus fecerit. Ille enim (vt mox dicemus) hanc quam ego tueor ſententiã docet, & vt illam conuincat eſſe verã, hoc argumento pugnat. In huiuſmodi criminibus ius eſt acquiſitum fiſco, & pœna ipſo facto commiſſa exigitur ab hærede, licet aliàs hæres non teneatur ex delicto defuncti. C. Ne ex delictis defunctorum per totum. Hæc ille. Hoc argumentum diſſoluit Philippus Decius in cap. Canonum, de conſtitutionibus, numero 20. Sed quàm bene id fecerit, non eſt mihi animus nunc diſcutere. Satis enim mihi eſſe arbitror ſi oſtendero illius argumenti impotentiam, & illi, aliter quàm Philippus Decius fecit, poſſe melius reſponderi. Fateri quidem poſſet is qui contrariam tuetur opinionem, pœnam exigi poſſe ab hærede propter crimen defuncti, quãdo ille ipſo iure inciderat in pœnam. Nam pro hac re eſt textus expreſſus in cap. Accuſatus, §. In eo verò caſu, de hæreticis, lib. vj. vbi præcipitur, vt ab hæredibus hæretici, qui morte interueniente non fuerat de crimine damnatus, poſsint bona illius poſt mortem eiuſdem capi. Sed per hoc non probatur quòd hæreticus dum viueret

Abbas. D

Philipp. Decius.

A ret ante condemnationẽ obligaretur in cõſcientia bona ſua reddere fiſco. Si probaret Abbas hæredes ante condemnationem defuncti eſſe obligatos in conſcientia ad reddendum fiſco bona quæ defunctus poſsidebat, optimè inde colligere poſſet defunctum ante ſententiam ſui criminis declaratoriam fuiſſe obligatum ad reddendum bona ſua fiſco. Quia hęredes ſuccedunt in locum defuncti,& non poſſunt ratione hęreditatis obligari ad reddẽdum aliquid, niſi defunctus fuiſſet obligatus ad illud. Ex illis autẽ quæ Abbas citat in l.Cõmiſſa. ff.de publicanis & vectigalibus, aut ex textu cap. Accuſatus, quòd ego citaui, nõ poteſt probari hæredes, præſertim ſi illis non conſtat de crimine defuncti, eſſe obligatos in conſcientia ad reddendum fiſco bona defuncti ante illius condemnationem: ſed ſolum probatur illos eſſe obligatos in conſcientia ad reddendum fiſco bona defuncti poſtquam declaratum fuerit illum commiſiſſe crimen, propter quod fuit ipſo iure ſuis bonis priuatus. Et inde non licet colligere, niſi quòd defunctus eodem modo eſſet obligatus reddere fiſco poſt ſui criminis declarationem. Et ſic apertè oſtenditur debiliſsimum eſſe Abba-
B tis argumentum. Quia arguens ab hæredibus, ad defunctum, nõ maiorem poteſt hac ratione colligere obligationem fuiſſe in defuncto, quàm conſtiterit eſſe in hæredibus. De hæredibus non conuincitur per citata ab eo, quòd ſint obligati in cõſcientia ad reddendũ fiſco bona defuncti, ante illius condemnationẽ, ergo inde non licet inferre talem obligationẽ fuiſſe in fiſco ante illius cõdemnationem. Et hinc ſicut ex multis aliis locis cõſtare poteſt, quàm malè argumententur iuriſperiti ob ſolam dialecticæ ignorantiam, quam ſi bene calluiſſent, multò melius argumentarentur quàm faciunt. Argumentum illud ad hoc optimè valere poteſt, vt contra Archidiaconum probet hæreticũ, aut quemlibet alium ſimilis criminis reum eſſe à die cõmiſsi criminis ipſo iure priuatum, & nullum ex tunc in illis bonis habere dominium etiam ante criminis declarationem. Nam ſi hæreticus ſine condemnatione ſui criminis defunctus, tunc verum habebat bonorum dominium, neceſſariò conſequens eſt, vt per mortem ſuam illud tranſtulerit in hæredem. Si poſt mortem hæretici hæres habet verum dominiũ, ergo licet hęreticus poſt mortẽ de ſuo crimine dam-

netur, non poterit iam hæres illius bonorum illorum C dominio priuari. Quia nunquam aliquis ſine culpa vera aut iuſtè præſumpta priuari poteſt dominio bonorum ſuorum.

Iam opus eſt vt proferam patronos, qui hanc meam ſententiam ante me docuerunt, & illam quoad poſſunt, tuentur, ne quis me ſolum in hac ſententia eſſe, & ob hoc illam contemnendam putet. Abbas non vno tantùm loco hanc docet ſentētiam, vt vel ſic oſtenderet ſe in illa eſſe conſtantem. Nam in cap. Canonum, de conſtitutionibus, poſtquam generaliter dixerat legem pœnalem non obligare in conſcientia ad pœnam, hæc quæ ſequuntur ait. Hoc limitarem niſi lex imponeret pœnam ipſo facto, aut quia ipſo facto publicat bona alicuius: quia tunc non puto quòd poſsit retinere bona publicata cū bona conſcientia. Quia ius eſt ſtatim acquiſitum fiſco, vt notatur in l. Commiſſa. ff. de publicanis, & in capit. ij. de præſcriptionibus, lib. vj. Hæc ille. Et eandem ſententiam repetit, & latius proſequitur in cap. Dilecti, de arbitris, ſic dicens. Prædicta ego limito, vbi pœna venit imponenda per iudicem, ſecus puto vbi pœna eſſet impoſita ipſo facto. Pone exemplum in committente crimen læſæ maieſtatis vel hæreſis. Nam incontinenti bona confiſcantur, vt in capit. Vergentis, infra de hæreticis, & in capit. Cùm ſecundum leges, eodem titulo, lib. vj. & in l. Quiſquis. C. ad legē Iuliam maieſtatis. Cùm enim hæc bona ſint iam applicata fiſco, & iſte criminoſus ſit priuatus dominio, non videtur quòd cum bona cōſcientia poſsit amplius illa bona retinere. Facit quod in ſimili notatur in l. commiſſa, ff. de publicanis, vbi pœna ipſo facto commiſſa exigitur ab hærede, licet alias hæres non teneatur ex delicto defuncti, C. Ne ex delictis defunctorum, per totum. Hactenus Abbas, qui apertè meam tuetur ſententiam, quamuis non bene illam probet.

Abbas. D

Felinus. Felinus in cap. Canonum, numero 43. citat opinionem Abbatis & laudat illam, & poſtea dicit in legibus pœnalibus, quæ ſententiam continent à iure latam, requiri ſententiam criminis declaratiuam, non ad hoc vt reus incidat in pœnam, quia ſine tali ſententia (vt ait) ſtatim criminis reus incidit in illam: ſed ad hoc vt fiſcus poſsit apprehendere bona. Huius verba pro hac ſententia non eſt opus im-

præſentia

A præſentiarum citare: quia in capitulo proximè præcedenti fuerunt iam per me citata. Sed poſt illa verba quæ ſuprà in alium finem citaui, ſtatim alia dicit quæ huic ſententiæ de qua nunc diſputamus valde ſuffragantur, & ſunt quæ ſequuntur. Si delictum eſt notorium, non eſt neceſſaria alia declaratio ſecundum dominum Abbatem in Clementina, Præſenti, de cenſibus, & capit. Cùm non ab homine, de iudiciis, & Dominicum in dicto capit. Cùm ſecundum leges, Si ergo pœna eſt debita ipſo iure, licet nō poſsit exigi, non reſtat quin quãtum ad Deum reus non teneatur rem verè alteri debitam reſtituere. Aliàs enim eſſet parua differentia an pœna imponatur ipſo iure, an per ſententiam, ſi ſemper inciperet eſſe debita ſolum à die declarationis, ſed declaratio fit vt ſciatur delictũ, vt eſt dictum. Hactenus Felinus. In cuius verbis inter alia id potiſsimum ego annoto; quod apertiſsimè fauet illi ſententiæ, pro qua ego tam vehementer pugnaui in primo principali argumento, in quo multis exemplis probare cōtendi hanc conſequentiam nihil prorſus valere. Fiſcus ante ſententiam criminis declaratiuam non poteſt capere bona illius qui crimen commiſit;
B ergo criminis reus non tenetur illa reddere. Et hoc idem nunc apertè dicit Felinus his verbis. Si pœna eſt debita ipſo iure, licet non poſsit exigi, non reſtat quin quantum ad Deum reus non teneatur rem verè alteri debitam reſtituere. Quum in opere illo quod de iuſtà hæreticorum punitione inſcripſi, hanc, de qua nunc diſputamus, ſententiam aſſerui dicens conſequentiam illam nullius prorſus roboris eſſe, teſtor Deum quòd hæc verba Felini quæ modo citaui, non legeram: ſed mea tantum' minerua ductus id aſſerui, propterea quòd aliud dici nō poſſe firmiſsimè credebam, & apertiſsimè agnoſcebã. Poſtea verò videns me ob hanc cauſam ab aliquibus iuriſperitis & theologis impetitum, quòd male intelligerem capit. Cùm ſecundum leges, in §. Confiſcationis, in quo ego negabam & hactenus nego cōcedi heretico bonorũ ſuorum poſſeſsionem, vſq; ad ſententiã criminis declaratiuã quotquot potui pro hac re euolui ſcriptores, quærens ſi fortè aliquis in illo §. Confiſcationis, idē aduertiſſet quod ego. Et tandē inueni Felinũ qui in eadē ſententia eſt mecum, & illam annotare monet tanquam à nullo alio ante illũ prolatã. Quòd cùm

ego legi, nimium fui exhilaratus, propterea quòd iam videbam me non eſſe ſolum in ea ſententia, ſe inueniſſe ſocium non debilem qui mecum pro illa pugnaret. C

Gulielm. Maynerius. Gulielmus Maynerius nouiſsimus omniũ, quos ego de hac re diſſerere noui, in fertiliſsimis illis cõmentariis quæ ædidit ſuper tit. ff. de reg. iur. Abbatis ſentẽtiã in hac parte tuetur, nec latum digitũ ab illa ſeparatus. Nam in regula, Quod à quoquam, diſſerens de lege pœnali quãdo & quomodo obligat ad pœnam, poſtquam ex ſententia gloſſæ in cap. Fraternitas. xij. quæſt. ij. dixit legẽ pœnalem non obligare ad pœnã in foro conſcientiæ, hæc quæ ſequuntur ſubiungit. Prædicta tamen limitat Panormitanus, vbi pœna venit imponenda per iudicem: ſecus ſi à lege ipſo facto reperiretur impoſita, vt in læſa maieſtate vel hæreſi: vt in cap. Vergentis, extra de hæreticis, & Authentica, Gazaros, C. de hæreticis, & in cap. Cùm ſecundum leges, eodem tit. lib. vj. & l. Quiſquis, C. Ad legem Iuliam maieſtatis, & notatur in leg. Poſt contractum, ff. de donationibus. Nam illa bona ipſo iure ſunt applicata fiſco, & criminoſus priuatur dominio: ideo ſine peccato illa retinere non poteſt. Facit leg. Commiſſa, cum ſua materia, ff. de publicanis, vbi pœna exigitur ab hærede, licet aliàs non teneretur ex delicto defuncti, lege vnica. C. Ne ex delictis defunctorum. Hactenus Gulielmus Maynerius, qui per omnia in hac parte conſentit Abbati, & illius ſubſcribit ſententiæ, motus eodem argumento quo ille. D

Præter hos iam citatos poſſunt etiã in hanc ſententiam vocari, vt pro illa etiam teſtimonium dicant aliqui ex illis quos ſuprà in cap. vij. pro alterius concluſionis probatione citaui. *Paulus de Caſtr.* Nam Paulus de Caſtro (vt in verbis ſuprà citatis inſpicere licet) dixit delinquentem ante quàm ſit condemnatus, eſſe naturaliter obligatum ad pœnam delicti, quando illa eſt ipſo iure impoſita. *Barbatius.* Barbatius dixit quòd vbicunque pœna eſt impoſita à lege ipſo iure, quis non poteſt retinere in conſcientia ius alteri quæſitum, & citat in ſuæ ſententiæ fauorem Abbatem in illo ſæpe citato cap. Canonum. *Antonius Corſetus.* Antonius Corſetus magiſtrũ ſuum Barbatiũ ſecutus dixit, quòd vbicunq; pœna imponitur ipſo iure à lege debetur, non ſolùm in foro iudiciali, ſed etiam in foro conſcientię, ſeu pœnitentiæ. Sed multo apertius fauet noſtræ ſentẽtiæ id, quod

Angel

A Angelum de Peruſio in authētica de inceſtis nuptiis dicere ſuprà in eodem ſeptimo capite retulimus. Nam poſtquam dixerat non eſſe neceſſariam hominis ſententiā, vt reus ſit ſuis bonis priuatus, quando lex ipſo iure priuat illū: poſtea dixit, quòd ſi tabellio eſt propter aliquod crimen priuatus ipſo iure officio ſuo, nō poterit, etiam ante ſententiā latam contra eum, conficere inſtrumenta: & ſi quæ confecerit, nullius prorſus erunt valoris. Quia (vt ille ait) ex quo lex priuauit illum officio, iure priuauit etiam eum fructu ipſius officij, qui conſiſtit in inſtrumentorū confectione. Et idem prorſus & eadem ratione dicere oportet de hæretico, & quouis alio ſimilis criminis reo, quòd ſi ipſo iure priuatus eſt bonis ſuis, etiam priuatus ſit vſu illorum, & fructibus qui ex illis bonis prouenire poſſunt. Alios quos in cap. vij. citaui, dicentes, non eſſe neceſſariam iudicis ſententiam, vt quis incidat in pœnam à lege ipſo iure impoſitam, nolo eos nunc in fauorem meum vocare, propterea quòd hoc, de quo nunc impræſentiarum diſputamus, non ita apertè aſſerunt ſicut illud. Fatentur quidē illi omnes hæreticum, aut læſæ maieſtatis, aut cuiuſuis alterius ſimilis criminis B reum, ſtatim poſt crimen commiſſum, ſine vlla alia iudicis ſententia eſſe ipſo iure omnibus bonis ſuis priuatum. An autem ſicut ſunt bonis ſuis priuati, ita ſine iudicis ſententia ſint in conſcientia obligati ad reddendum illa fiſco, illi non expreſſerunt: & propterea eos impræſentiarum non voco, vt pro me hìc teſtimonium dicant. Sed ſatis ſunt mihi ſeptem illi nunc proximè à me citati, qui apertiſsimè mihi ſuffragātur. Quos nō ideo citaui, vt ſolâ illorum authoritate fretus aduerſarios premere velim, ſed ob hoc ſolum, vt omnibus conſtet hanc ſententiam, pro qua hactenus in hoc capitulo contendi, non eſſe adeò deſertam, vt nullum præter me habuerit patronum atq; tutorem. Ex quorum omnium teſtimonio apertiſsimè conuincitur, me iniuſtè à multis theologis iuriſperitis fuiſſe incuſatum & diffamatum. Nam multi hoc mihi exprobrarunt, quòd tam aſperæ ſententiæ voluerim eſſe primus inuentor. Conſtat autem me non primum, nec ſeptimum, ſed multo poſteriorem eſſe huius ſentētiæ tutorem. Et ideo iuſtius ego hoc illis exprobrare poſſum, quòd illi quamuis iuriſperiti ſint, non viderint alios ſuæ facultatis

Angelus de Peruſio.

doctores, qui hanc ſententiam ante me dixerunt. Qua in re C
ſi gloriari licet, meritò hanc gloriam mihi tribuere potero quòd hanc mihi & illis communem ſententiam, apertius & clarius quàm omnes illi tractauerim, & fortioribus rationibus & argumentis illam probauerim, quàm omnes iſti qui ante me illam docuerunt.

Ex hac noſtra aſſertione qua dicimus illum, qui ob crimen ſuum eſt ipſo iure ſuis bonis priuatus, eſſe obligatum reddere bona ſua fiſco, multæ emergunt quæſtiones, de quibus impræſentiarum nihil dicere ſtatui. Primò quidem oritur quæſtio: An is qui ſic eſt ſuis bonis priuatus poſſit ſibi aliquid ex illis bonis in ſuum alimentum ſeruare, an verò obligetur omnia illa reddere nullo prorſus illorum ſibi ſeruato. Deinde, an ſit obligatus ſimul reddere omnia, an ſatis eſſet redditionem illam per partes diuidere. Prætereà, an ſtatim poſtquam ſciuit ſe eſſe omnibus ſuis bonis à iure priuatum ſit obligatus reddere: an poſsit expectare, vt ex bonis illis aliquem fructum capere poſsit, vt illo ſibi ſeruato reliqua bona poſtea fiſco reddat. Sed omnes hæ quæſtiones & aliæ ſimiles, quæ ex hac noſtra ſententia oriri poſſunt, non ſunt illi propriæ ita vt nulli D
alteri negotio conueniant: ſed ſunt communes omni diſputationi, quæ circa alienarum rerum reſtitutionem verſatur. Et ob hanc cauſam quod nihil peculiare hæc res habet, quod non ſit aliis reſtitutionibus commune, illam reliqui diſputandam & definiendam ab iis qui generaliter de omni reſtitutione diſſerunt.

Reſpondetur rationibus & argumentis quæ poſſunt obijci, ab iis qui contrariam tuentur opinonem.

CAPVT XI.

LICET multis euidentibúſque rationibus probauerim hæreticum & quēcunq; alium ſuis bonis ipſo iure priuatũ obligari in conſcientia ad reddendum bona ſua illi, cui ab eodem iure ſunt adiudicata, ſunt tamen adeò multi præſertim iuris humani periti, qui contrariam tuentur ſententiam, vt operoſum eſſet illos omnes recenſere. Sed non eſt operoſum imò facilè, & mihi valde iucundum reſpon

A reſpondere argumentis quibus ſuam opinionem tueri, & noſtram oppugnare conantur. Quoniam aliqua ex illis tam debilia ſunt, vt nec pilum è ſuo loco mouere valeant: alia verò in ipſoſmet, à quibus obiecta ſunt, retorquebo, & oſtendam plus pro me quàm pro illis pugnare.

Primò quidem ſic argumentantur. Si hæreticus redderet bona ſua fiſco diffamaret ſeipſum, Eccleſia autem non vult, imò fortè hoc non poſſet præcipere, vt quis ſeipſum diffamet. Ergo Eccleſia non obligat, nec obligare poteſt aliquem vt reddat bona ſua fiſco. Præterea, quilibet eſt magis obligatus ad ſuæ famæ, quàm ad reliquorum bonorum corporalium conſeruationem, iuxta ſententiam Salomonis dicentis. Melius eſt nomen bonum quàm diuitiæ multæ. Ergo etiam magis obligatur famã ſuam quàm bona fiſci conſeruare, & per conſequens quàm bona fiſci, quæ retinet, illi reddere. Conſequentia iſta vel ex eo probatur, quòd magis obligor diligere me quàm proximum. Sed hæreticus aut quiuis alius ipſo iure ſuis bonis priuatus, quum reddit bona ſua fiſco, ſeipſum diffamat: ergo ne ſeipſum diffamet, obligatur non reddere bona ſua fiſco. *Primum argumentum.* *Prou. 22.*

B Hoc argumentum obiecit contra meam opinionem quidam vir doctus Theologus dum publicè in ſchola Salmanticenſi theologiam doceret. Idem argumentum audio in Complutenſi publico Gymnaſio fuiſſe obiectum, à quodam docto viro illic theologiam interpretante. Sed (vt ingenuè & candidè loquar) non poſſum non mirari quòd viri tam docti, quantum illi exiſtimantur, & verè ſunt, tam debili argumento ſint perſuaſi ad reiiciendum hanc quam ego tueor ſententiam. Hoc argumentum non eſt peculiare pro hæretico aut pro omni illo qui propter ſuum crimen eſt ipſo iure ſuis bonis priuatus: nec magis pro illo pugnat quàm pro fure qui aliqua in abſcondito ſurripuiſſet à fiſco. Ponamus enim (vt rem faciamus apertiorem) Petrum, qui aliàs ferè nihil in bonis corporalibus habebat, paulatim ex rebus furto à fiſco ſublatis ditatum eſſe. Quis negabit iſtum furem obligatum eſſe ad reddendum fiſco, omnia quæ ab illo ſurripuit? Imò etiam omnia illa in quibus factus eſt locupletior virtute rerum furtiuarum? Attamen fur ille, ſi reſtitueret fiſco bona quæ ab illo ſurripuit, ſeipſum diffamaret. Et ita ſimillima con-

ſequentia licebit inferre furem, ne ſeipſum diffamet, non C
eſſe obligatum ad reſtituendum fiſco, id quod furto ſurripuit ab eo. Sicut illi facilè reſpondere poſſunt huic argumento quod nunc pro fure feci: eodem modo ego etiam facilè reſpondere potero argumento quod illi pro hæretico faciunt. Vna eſt enim vtriuſque argumenti ſolutio, & illam nunc reddere volo. Et pro clariori reſponſionis intelligentia, oportet hîc prius proponere ob oculos regulam quandam quam ſtatuit Scotus de reſtitutione loquens. Nunquam aliquis tenetur ad reſtitutionem alicui certæ perſonæ faciendam, quando multo maius damnum patietur pro illius reſtitutione, quam valere poſsit res ipſa illi cui eſt reſtituenda. Quia eo euentu ipſe dominus rei debet velle ne res ſua, quæ modica eſt, cum maximo damno alterius ſibi reſtituatur. Debet enim quilibet magis velle, inquit Scotus, quòd vitetur magnum incommodum proximi reſtituentis, quàm modicum incommodum ſuum. Et hinc deducit ille, quòd quando dominus rei eſt abſens, & qui debet rem reſtituere multò maiores expenſas facturus eſt, ſi illam mittat ad ipſum dominum, quam res illa poſsit illi cui mittitur valere non tenetur D
illi mittere: ſed ſatisfacit, ſi pauperibus illam dederit ad vtilitatem ſpiritualem illius cui mittenda erat. Quia (vt ille inquit) cùm corporaliter non poteſt, redditur ſpiritualiter, dando illam pauperibus pro vero illius domino. Ex eadem ratione colligit poſſe reſtitutionem differri, quando ipſa reſtitutio vergeret in infamiam reſtituentis. Tunc enim optimè ſalua conſcientia poteſt expectare temporis oportunitatem, vt ſine ſuæ famæ detrimento poſsit rem alienam ſuo domino reddere. Hac tamen conditione dicit reſtitutionem poſſe differri, vt ſemper in voto habeat reſtituere quum primùm ſua fama ſeruata id facere potuerit. Et ſi non ſperat ſine ſuæ famæ læſione id facere poſſe, erit prorſus liber ab obligatione reſtitutionis. Quia (vt Salomonem dixiſſe memini) melius eſt nomen bonum quàm diuitiæ multæ. Ob hanc cauſam ferè omnes Theologi concorditer ſentiunt mulierem, quæ ex adulterio concepit, & peperit filium, non debere id reuelare marito aut filio ſuo, vt hac via filium ab hæreditate mariti excludat, in qua ſcit illum nihil prorſus habere: quia

Reſponſio argumenti.

Scotus in 4. ſen. diſ. 15. q. 2. art. 4.

Prou. 22.

A quia ſcit non eſſe ſui mariti filium. Hæc enim mulier ſi crimen ſuum marito aut filio reuelaret, vt hac via hæreditas mariti veris illius hæredibus reſtitueretur, maius ſibi damnum quàm hæredibus commodum inferret. Nam ipſa apertam famæ iacturam, & mortis periculum pateretur, quorum vtrunque eſt illi multo maius damnum quàm eſſet hæredibus mariti carere hæreditate illa. Sicut enim fama & vita corporalis ſunt multo meliora omnibus diuitiis, ita è contrario infamia & mors ſunt multo peiora quibuſcunque diuitiis. Et inde ſequitur, vt mulier adultera liberetur ab obligatione reſtituendi hæreditatem, quam filius eius ſpurius accepit aut accepturus eſt, ſi talem reſtitutionem ſine famæ ſuæ diſpendio facere non poteſt. Quia (vt dixi) non obligatur reſtituere, quando talis reſtitutio facienda eſt cum iactura rei multo precioſioris, quàm ſit res ipſa reſtituenda. Tunc enim ipſe creditor cui hæreditas ipſa reſtitui deberet, ex lege Charitatis obligatur magis velle ſe re illa carere, quàm illam cum tanto damno ſibi reſtitui. Præterea, pauper in vltima vitæ neceſsitate conſtitutus poteſt ad vitæ ſuæ conſeruationem, non ſolùm B aliena retinere, ſed etiam à diuite ſurripere, ergo mulier adultera timens ſe à marito occidendam, ſi crimen ſuũ illi detexerit, poterit filium ſuum ſpurium permittere, vt mariti ſui hæreditatẽ capiat. Conſequentia iſta eſt nota: quia tantum eſt neceſſaria ad vitã huius mulieris adulteræ iſta hæreditatis acceptio, quantũ ad vitam pauperi captio pecuniæ à diuite. Et inde euidenter colligitur, vt ſicut pauper pro vita ſeruanda poteſt alienũ capere, ita mulier adultera pro ſua vita ſeruanda poſsit ſuum crimen tacere, & permittere vt filius ſuus ſpurius alienã hæreditatem capiat. Rurſum, quando aliquis ſic eſt perplexus, vt neceſſarium ſit illi duorum malorum alterum eligere, ſemper debet eligere minus vt euitetur maius. Hoc enim apertè docet Concilij Toletani definitio quæ habetur in cap. Duo mala, diſtinct. xiij. At mulier quæ ex adulterio cõcepit & peperit, hac neceſsitate conſtringitur, vt quocunq; ſe vertat in alterũ duorum malorum incidat. Si adulteriũ ſuum celat, eo ipſo eſt cauſa quòd filius ſuus alienam hæreditatem capiat. Si illud reuelat marito, mortem aut ſaltem infamiam patietur, quorum vtrunque eſt maius malum quàm alieni retentio.

Quia

Quia ſi maius malum eſt famam proximi quàm illius diuitias rapere, multò maius malum erit famam propriam rapere, quàm alienas diuitias retinere. Nam ſicut magis obligor me, quàm proximum diligere, ita magis debeo famam meam, quàm famam proximi illæſam ſeruare. Ergo ex illis duobus malis præſtat, vt mulier permittat filio ſuo ſpurio alienam hæreditatem capere; quia hoc eſt minus malum, quàm ſeipſam infamare. Nec valet reſponſio Adriani contrariam opinionem tenentis, qui vt huius argumenti vires effugiat, interpretatur illud cap. Duo mala, intelligendum eſſe de malis, quorum alterum neceſſe ſit hominem facere, & non quando vnum debet facere, & alterum permittere. In præſenti autē negotio dicit eſſe comparationem inter malum facere, quod eſt omittere reſtitutionem, & mala aliorum ſinere. Et dicit minus malum eſſe aliorum mala permittere, quàm aliorum mala ſuo crimine impedire. Sed in hac reſponſione bis apertiſsimè errat Adrianus. Primò quidem errat, quum ponit differentiam inter illa duo, per facere & permittere, dicens vnum pertinere ad actionem, & alterum ad permiſsionem. Nam cùm vtrunque illorū eandem prorſus habeat facti conditionem, oportet vt vtrunque illorum eodem etiam nomine cenſeatur. Sicut enim mulier adultera crimen ſuum occultum tegendo non præcipit filio ſpurio, aut conſulit illi vt hæreditatem ſui mariti capiat, ſed ſolùm facit aliquid & omittit facere aliud, vnde ſequitur, vt filius talem alienam hæreditatem capiat. Ita reuelando crimen ſuum occultum marito, non præcipit aut conſulit illi, vt ipſam interficiat: ſed ſolùm facit aliquid vnde veriſimile eſt ipſius occiſionem oriri. Et ſicut reuelando crimen ſuum occultum marito poteſt impedire ne filius ſpurius accipiat mariti hæreditatem: ita tegendo idem crimen poteſt impedire ſuam infamiam, & ſui occiſionem. Ergo ſi reuelare crimē ſuum, eſt permittere ſui occiſionem, vt Adrianus cenſet: oportet vt tacere crimen ſuum, ſit etiam permittere alienæ rei acceptionem, aut detentionem. Conſequentia eſt manifeſta: quia vtrobique contingit nolle impedire quum poſſit: quod eſt verè permittere. Secundò, apertè errat Adrianus: quia etſi daremus illi mulierem adulteram tegendo crimen ſuum verè facere, vt filius ſpurius alienam hæreditatem

Adrianus.

C D

tatem

A tatem capiat, aut retineat: multò maiori ratione fateri cogetur ipſe Adrianus mulierem illam crimen ſuum reuelando facere ad infamiam ſuam, quamuis non ſic faciat ad ſui necem. Nam quum crimen ſuum reuelat, non ſolùm ſe habet omiſsiue non impediendo infamiam ſuam, quum poſſet, ſed facit aliquid vnde talis infamia ſequitur. Quamuis igitur talis criminis reuelatio ad occiſionem relata poſſet dici permiſsio, ad infamiam tamen comparata non poteſt dici niſi actio: quia illa eſt prima & potiſsima cauſa, quæ infamiam efficere valet. Omiſſa ergo illius mulieris interfectione capiamus illius infamiam, & ad illam ſolam comparemus alienæ hæreditatis acceptionem, aut retentionem & cùm vtrunque illorum ſit facere, & neceſſe ſit mulierem adulteram illorum alterum facere, aut ſe infamare peccatum ſuum reuelando, aut alienum retinere peccatum ſuum tegendo: oportebit neceſſariò vt crimen ſuum occultando alienum retineat, quod multò minus eſt malum quàm ſe infamare adulterium ſuum marito reuelando. Et ad hoc apertius conuincendum vehementer vrget, quòd ſe infamando non eſt certa

B quòd alterum malum euitabit, videlicet alieni acceptionem, aut detentionem. Quia licet illa dicat marito, & ille credat, filius tamen non obligatur credere illi. Quia cùm ſit natus in domo, & marito præſente, & nulla infirmitate impedito, ius præſumit illum eſſe filium mariti, l.Filium.ff.de his qui ſunt ſui vel alieni iuris. Et contra hanc iuris præſumptionem filius credere non tenetur, niſi veritas tam euidenter probetur, vt nulla poſsit tergiuerſatione celari. Tunc enim licet in foro exteriori poſſet iuxta præſumptionem iuris agere, in conſcientia tamen obligaretur agere iuxta veritatem ſibi euidenter probatam: quia veritas ſemper eſt præferenda præſumptioni. Sed tunc filius & ſi credere teneatur matri veritatem dicenti & probanti, cupiditate tamen hæreditatis & honoris ſolicitante & vrgente fortè magis præſumptionem ſequetur, quàm veritatem ne hæreditatem & honorem amittat. Cùm igitur liberum ſit filio ſpurio non credere matri dicenti illum non eſſe mariti ſui filium, conuincitur vanum & fruſtraneum eſſe quòd vxor adultera reuelet marito ſuum crimen. Quia licet maritus ob dictum vxoris

ris excludat illum in teſtamento ab hæreditate ſua, filius C
tamen poterit ſi velit contra teſtamentum ex iuris præſumptione agere. Petrus Paludanus, qui (vt Adrianus refert) contrariam tenet ſententiam reſpondet huic argumento dicens mulierem adulteram obligatam eſſe ad reuelandum crimen ſuum filio, vt hac via illum ab hæreditate reuocet, quamuis certò ſciat filium minimè illi crediturum. Et dat ſimile de prædicatore qui tenetur prædicare veritatem impio, quamuis certò ſciat illum minimè cre-
Adrian. diturum. Adrianus Paludanum in hac parte ſecutus dat aliud ſimile de illo, qui cum pluribus aliis infamauit innocentem. Hic enim obligatur ſe infamare & pallinodiam cantare, vt pro ſua parte famam innocenti reſtituat, quamuis ſciat ſibi non eſſe præſtandam fidem, propterea quòd videt alios, qui ſecum illum infamarunt, in ſua priori ſententia perſiſtere. Sed nullum iſtorum ſimilium habet plenam cum negotio de quo nunc agimus ſimilitudinem. Nam quod Petrus Paludamus de prędicatore dicit eſſe valde ſimile, fallitur, quia auditor prædicatoris veritatē prædicantis tenetur prædicatori credere, & ita prędicator obligatur ad prædicandum. Quod ſi alius non crediderit, nul- D
lum ex tali prædicatione ſequitur damnum prædicatori. Filius verò ſpurius non obligatur (vt diximus) credere matri: & mater ex tali reuelatione magnũ patitur damnum, videlicet infamiam ſuam. Exemplum aliud quod obtulit Adrianus longiſsimè diſtat à præſenti negotio: tantũ abeſt, vt perfectè ſimile dici poſsit. Nam is qui ſe infamat reuocando dictum ſuum vt alteri famam quam ab eo abſtulit illi reſtituat, non infert ſibi maius damnum quàm valeat res quam alteri reddit: ſed tantum ſolummodo ipſe perdit, quantum alteri reddit. Nihil enim aliud illi reddit niſi famam, quam ſolam ipſe amittit. Et ideo ſiue ſperet alios crediturus ſiue non, obligatur famam illi reſtituere, & pro illa quantum potuerit laborare. Quòd ſi alios in ſua ſententia perſiſtere videret, debet confidere illos aliquando ſententiam mutaturos: & ſic ipſe facit quod poteſt. Si verò ad reſtitutionem famæ alterius, oporteret non ſolùm famam ſuam, ſed etiam vitã corporalem amittere, vt contingit in eo qui libellum famoſum ædidit, qui ſi ſe prodierit, morte punietur, ſi res de qua alium infamauit,

A mauit, digna erat morte. l. Si quis. C. de famoſis libellis, tunc quibuſdam videtur quòd non debet ſe prodere: quia reſtituendo alteri famam mortem ſibi pararet, quæ (vt illi aiunt) maius eſt malum quàm infamia. Sed aliis hoc dubium videtur, propter id quod eccleſiaſticus ſapiens ait. A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit, delaturam ciuitatis, & collectionem populi, & calumniam mendacem: ſuper mortem omnia grauia. In quibus verbis apertè dicit calumniam mendacem eſſe morte peiorem. De qua re nihil impræſentiarum definire volo, ſed liberum lectori iudiciū relinquo. Mulier autem adultera ſuum peccatum reuelando multo maius ſibi infert damnum, quàm verè valeat hæreditas quam filius ſpurius recipere aut retinere poteſt: & ideo etiam ſi conſideret filium illi præbiturum fidem, non debet ſe vllo pacto infamare, vt hæreditas mariti veris illius hæredibus reddatur: ſed alia via ſine famæ ſuæ diſpendio debet niti, vt legitimis mariti hæredibus tantundem, vel parum minus reddatur. Quia nunquam (vt dixi) obligatur aliquis reſtituere, quando multo magis aliunde ſe ipſum lædit pro tali *Eccle. 26.*

B reſtitutione facienda, quàm valeat res ipſa quæ reſtitui deberet. Is autem qui pro tali damno euitando rem alienam poſsidet, non eſt dicendus tenere illam inuito domino. Quia licet dominus actu nolit rem ſuam ab illo retineri, tamen iuxta rectam rationem deberet velle illam retineri ab illo, ne cum tanto illius damno illam reſtituat: ſicut petens enſem ſuum ab alio cuſtoditum obligatur velle, vt non ſibi reddatur à cuſtode ad percutiendum innocentem. Et pro hac re quam de muliere adultera tractamus, eſt aperta definitio in capit. Officij, de pœnitentiis, & remiſſionibus, vbi Papa præcipit non eſſe denegandam pœnitentiam mulieri adulteræ, aut quæ falſum ſuppoſuit partum, ſed dicit competentem ſatisfactionem eſſe illi iniungendam. Et huius definitionis cauſam gloſſator non intelligens, miratur quòd mulier illa verè pœnitere poſsit, quum ſemper retineat alienum, & obiicit capitul. Si res. xiiij. quæſt. vj. Sed ſi verè cauſam agnouiſſet, non miraretur: quia etſi alienum retineat, dominus tamen iuxta rectæ rationis iudicium deberet velle, ne cùm tam graui damno, quale eſt famæ diſpendium, illud ſibi reddatur. Quòd

verò

verò Adrianus contra hanc ſententiam obiicit regulam il- C
lam iuris, Vtilius ſcandalum naſci permittitur, quàm quòd veritas relinquatur, nihil me mouet. Non tamen dico ego regulam illam eſſe intelligendam de ſolo iudice vel teſte, & non de accuſatore aut denunciatore, qualis eſt hæc mulier adultera quum crimen ſuum reuelat. Nam hoc

Innocent. modo dicit ille reſpondere Innocentium, & Hoſtienſem,
Hoſtien. & Panormitanum, quos refert hanc quam ego tueor do-
Abbas. cere ſententiam. Sed certè ſi illam regulam, prout oportet, de veritate vitæ & iuſtitiæ neceſſariæ intelligamus, etiam eſt vera in accuſatore & denunciatore, ſicut in iudice & teſte. Quoniam aliquando etiam obligatur denunciator ad denunciandum, ſicut teſtis ad teſtificandum, & iudex ad iudicandum. Et tunc oportet etiam, iuxta regulam iuris, vt quamuis ſcandalum ex tali denunciatione oriatur, non omittatur talis denũciatio, niſi fortè ſcandalum quod naſci timetur eſſet maius malum, quàm illud quod denunciandum eſt, & quod per talem denunciationem vitari debet. Aliter ergo ad regulam reſpondeo, & dico regulam eſſe intelligendam non de omni veritate, ſed de ſola illa, quæ eſt ad ſalutem neceſſaria, ſiue illa ſit veritas vitæ, D
ſiue iuſtitiæ, ſiue doctrinæ. Aliàs enim ſequeretur ex eadem regula, quòd interrogatus de crimine ſuo occulto de quo nulla habetur ſuſpitio, obligaretur fateri illud & dicere veritatem, quamuis inde ſibi ſcandalum immineret, quod tamen eſt abſonum, quia nemo tenetur ſeipſum prodere, quando crimen eſt prorſus occultum, & omni ſuſpitione carens. Sequeretur etiam cõfeſſorem de crimine pœnitentis interrogatũ obligatum eſſe ad propalandum illud: quod nullus catholicus concedet. Quia veritatẽ illam dicere non eſt ſacerdoti neceſſarium, imò neceſſarium eſt illi tegere illam. Quando veritas, aut doctrinæ, aut vitæ eſt ad ſalutem neceſſaria, nunquam eſt illa relinquenda, quãuis inde ſcandalum naſci timeatur. At mulierem adulteram reuelare ſuum crimen non eſt de huiuſmodi neceſſariis veritatibus, & ideo ad tollendum ſcandalum mariti, hoc eſt, vxoris ipſius necem, non eſt inconueniens veritatem illam à muliere illa relinqui. Deinde, regula illa eſt intelligenda de ſcandalo aliorum, & non de ſcandalo proprio. Quia ſi ex prolatione veritatis doctrinæ oritur mihi ſcandalum,
hoc-

vhoc eſt, neceſsitas alterius maioris peccati, debeo relinquere veritatem, ad quam non eſt tanta obligatio, vt euitem aliud maius peccatum quod mihi inde neceſſariò paratur. Et hoc euenit in muliere adultera, quæ ſi dicit ſe concepiſſe illum filium ex adulterio, ex illius veritatis prolatione oritur ſcandalum animæ ſuæ, quod eſt, ſe ipſam diffamare. Hoc autem (vt iam ſæpe diximus) multo maius malum eſt illi, quàm tacendo retinere alienam hæreditatem. Debet ergo mulier adultera crimen ſuum tegere, ne famam ſuam, quæ cunctis diuitiis eſt melior, qua potuerit via ſatisfacere de damno quod intulit his, quorum bona filius ſuus ſpurius retinet. Quod omnium iudicio melius eſſe iudicatur eſt, vt filio ſuadeat ingreſſum religionis. Sed certè niſi religionem fratrum minorum aut aliam ſimilem intrauerit, non euitatur damnum magis quàm ſi manſiſſet in ſeculo. Quia in aliis religionibus monaſterium ſuccedit in hęreditate quæ monachum iure contingere poſſet. Si religio monachatus illi filio non placet, ſed potius illam odio habet, quod melius ego puto eſt, vt illa, ſi alios habet ex marito filios, eo

B pacto teſtamentum diſponat, vt aliis filiis tertiam & quintam ſui patrimonij partem relinquat. Nam hoc in regno Caſtellæ optimè iuxta eiuſdem regni leges facere poteſt. Suadeat etiam marito vt tantũdem ille faciat. Quod ſi impetrauerit à marito, minimum erit aut fortè nihil in quo reliquos filios lædet. Si res hæc in regno contingeret Aragoniæ, facillimum eſſet remedium: quia in illo regno parentes maximam habent libertatem diſponendi de bonis ſuis. Nam etſi ditiſsimi ſint & filios habeant, non coguntur relinquere alicui filio vltra quinque argenteos ſolidos, qui vix conſtituunt quartam vnius ducati partem. Hoc autem ideo apud illos conſtitutum eſſe dicitur, vt hac via filij cogantur parentibus obedire, qui ſi ſcirent parentes nihil vltra quintam ſui patrimonij partem poſſe filiis detrahere, fierent ipſis parentibus inobedientes, & inſolentes. In eo igitur regno facillimum eſſet remedium, ſi mulier illa ex ſuis bonis tantum aliis filiis in teſtamento relinqueret, quantum filius ſpurius accepit ex patris hæreditate. Si verò ipſius adulteræ patrimonium tantum non eſt, vt hoc præſtare poſsit, ſua-

deat marito vt non plus filio ſpurio relinquat, quàm ipſa C
liberè aliis filiis teſtamento reliquerit. Et idem etiam fieri poteſt in ea Cantabriæ parte, quæ nunc Vizcaia dicitur: quoniam illic ferè ſimilem habent parentes teſtandi libertatem. His igitur omiſsis qui propriis legibus viuunt, de aliis diſſeramus qui iure communi in hac parte reguntur. Et circa illos omnes vnum mihi occurrit difficile dubiũ, quod ſemper hactenus me torquet. Si maritus vxoris adulteræ nullum habet filium, cui facienda erit reſtitutio pro hæreditate mariti quam retinet filius ſpurius? Si dicas hæredibus eſſe dandum, cùm nullus niſi filius aut in recta linea illi ſuccedens ſit hæres neceſſarius, ſed ex ſola voluntate teſtatoris pendeat, quis ſit futurus illius hæres, deficientibus filiis, non poteſt cognoſci quem ille relicturus eſſet hæredem ſi ſciret illum non eſſe filium ſuum. Fortè non reliquiſſet conſanguineos, ſed in pia opera totum ſuum patrimonium erogaſſet, & pauperes reliquiſſet hæredes, aut hoſpitales, aut monaſterium aliquod. Tunc ergo, ſi vxor pro hæreditate à filio ſpurio retenta, conſanguineis mariti ab inteſtato ſuccedentibus reſtituat acceptum, conſtat illam lædere pauperes, aut hoſpitale, D
aut monaſterium, quod reliquiſſet hæredem, ſi ſciret illum non eſſe filium ſuum. Huic autem damno non video quo alio modo mederi poſsit, niſi quem ego nunc prodam. Si fortè maritus putans illum eſſe filium ſuum, fecit pro illo pupillarem ſubſtitutionem, tunc manifeſtum eſt adulteram debere reſtituere illi quem maritus pro filio ſubſtituit. Quia maritus talem pupillarem ſubſtitutionem faciens apertiſsimè declarauit ſe fuiſſe relicturum hæredem, quem pro filio ſubſtituit, ſi ſciret alium non eſſe filium ſuum. Sed quia hæc pupillaris ſubſtitutio non fit niſi in teſtamento, quod multi vſque ad horam mortis differre conſueuerunt, ideo adultera ſemper ſolicita eſſe debet, vt à marito, dum ſanus eſt, diſcat quem relicturus eſſet hæredem, ſi filium non haberet. Et quum id certò didicerit ab illo, id quod filius ſpurius retinet, reſtituet illi quem maritus reliquiſſet hæredem, ſi ſciret ſe filium non habere, & non conſanguineis ſuccedentibus ab inteſtato. Quia etſi ille inteſtatus deceſsit, fuit propter dolum qui illum à conſtitutione teſtamenti im-
ped

A pediuit. Et penes illam mulierem adulteram quæ optimè nouit ſui mariti voluntatē, illa voluntas tam apertè & ſine vlla fictione declarata ſatis eſt pro teſtamento. Et ita non poſſum aliud ſentire, niſi quòd mulier illa non debet alteri reſtituere, niſi illi quem certò ſcit maritum ſuum fuiſſe relicturum hęredem, ſi ille ſciuiſſet ſe nullum habere filium.

His igitur omnibus de adultera ſic declaratis, quę oblata occaſio me dicere coegit, opus eſt, vt ad primum huius diſputationis caput orationem reuocemus, & ad obiectum nobis argumentum reſpondeamus. Primò ergo dico rem eſſe dubiam, & inter iuriſperitos controuerſam, an hæreticus aut quiuis alius ſimilis criminis reus incidat in pœnas à iure latas, quando crimen illius ſic eſt occultum, vt nullo modo probari poſsit. Sunt enim qui dicant nullum prorſus eſſe diſcrimen, quo ad pœnas quæ ſunt ipſo iure impoſitæ, inter crimen publicum & occultum. Sunt rurſus alij qui cenſent crimen occultum, nulli pœnæ canonicæ eſſe ſubiectum, quouſque plenè de illo conſtiterit. De qua re ego impræſentiarum nihil definire volo, propterea quòd vno integro capitulo de illa poſtea diſſerere ſtatui.
B Sed interim gratia diſputationis, vt experiamur quantæ ſunt huius prioris argumenti vires, concedere decreui omnē illum cui propter ſuum crimen eſt ipſo iure omniū bonorum priuatio irrogata, incidere in illam pœnam etiam ſi crimen ſit occultum. Sed tunc ille non erit obligatus bona illa, quibus propter ſuum crimen eſt ipſo iure priuatus, reddere fiſco, ſi id ſine famæ ſuæ diſpendio efficere non valet, prout nunc proximè de muliere adultera diximus. Debet quidem meliori qua potuerit via procurare, vt ſalua fama ſua bona illa reddantur fiſco, prout feciſſet ſi illa furto ab eodem fiſco clam ſurripuiſſet. Non ſum enim adeò inſipiens, vt dicens eſſe obligatum reddere bona ſua fiſco, intelligā illum propria manu debere illa reddere, & dicere ſe illa bona reddere, quia tale aut tale crimen commiſit, propter quod fuit illorum bonorum dominio ipſo iure priuatus. Hoc enim ſentire ſummæ eſſet dementię: & quod de fure occulto qui res ab alio clam ſurripuit, dicere non auderem, imò potius illum ab hoc propoſito reuocarem, ſi viderem illum in eo eſſe firmum. Aliena manu & ſecretiſsimè illa tunc ſunt reddenda, vt po-

tius famæ propriæ quàm alieni reſtitutioni conſulatur. C Etſi nulla patet via qua ſine propriæ famæ læſione bona illa poſsint reddi, tunc cenſeo illum non obligari ad reddendum, ſicut nec fur obligaretur ad reſtituendum, ſi tanta eſſet vallatus anguſtia, vt ſine ſuę famę incõmodo reſtituere non poſſet. Quia (vt à principio dixi) nullus reſtituere obligatur, quãdo ad talem reſtitutionẽ faciendã, maius aliunde cogitur damnũ pati, quàm valeat res quæ deberet reſtitui. Diligentiſsimè tamen prius viã hinc inde inquirere debet, vt bona illa abſque vllo famæ ſuę periculo reddere valeat. Qui ſi inuenerit abſq; dubio bona illa quibus eſt priuatus, obligabitur reddere etiam ſi illum præteriti criminis pœniteat. Quia ſicut per pœnitentiam (vt dicitur in capitulo, Vergentis, de hæreticis) nõ neceſſarò recuperatur bonorum dominium, quòd fuerat per peccatum amiſſum, ita nec per eandem pœnitentiam tollitur obligatio, quam ad reddendum bona habebat.

Argumẽtum ſecundum. Secundò principali argumento noſtrã ſententiam oppugnant, ſic dicẽtes. Eccleſia permittit hæreticũ retinere poſſeſsionem bonorum quæ ante habebat, vſque ad ſui criminis damnationem, ergo hæreticus ante ſui criminis damnationem non obligatur illa reddere fiſco. Conſequentia probatur, quia quicunq; iuxta id quod ſibi per legem permiſſum eſt, agere licet. Antecedens verò probant aduerſarij per illud capit. Cùm ſecundum leges, §. Confiſcationis, de hæreticis, libro ſexto. Et confirmatur hoc argumentum, quia & ſi lex priuet hæreticum dominio, nulla tamen eſt lex, quæ priuet hęreticum aut alium ſimilis criminis reum poſſeſsione bonorum ſuorum, ergo vſq; ad iudicis ſententiam licitè poteſt illa retinere. Hoc etiam argumentum (vt ab his quæ audierunt intellexi) obiecit contra meam ſententiam in publico Gymnaſio Complutenſi ille idem vir doctus, de quo in præcedenti argumento dixi. Quantas autem vires hoc argumentum habeat, ex noſtra reſponſione patebit. Sed vt melius & apertius illi reſpondeamus, oportet diſtinguere de permiſsione, cuius meminit in antecedente. Varia ſiquidem eſt permiſsionis ſignificatio. D

Permiſsionis modus primus. Nam aliquando permitti dicitur id quod non punitur, etiam ſi malum ſit. Sæpe enim mala diſsimulantur & ſine punitione relinquũtur, vt maius malũ euitetur. Quoniam

nlam (vt dicitur in capitulo, Duo mala, diſtinctione xiij.) licet omne malum ſit vitandum, tamen ſi periculi neceſsitas vnum ex duobus perpetrare compulerit, id debet ſumi quod minori nexu noſcitur obligare. Et ob hanc cauſam tolerantur meretrices in populis, ne illis prohibitis multo maiora mala inde oriantur. Et iuxta hanc permiſsionis ſignificationem (vt doctiſsimis aliquibus theologis placet) locutus eſt Saluator noſter, quũ Phariſæis probare volentibus licitum eſſe viro dimittere vxorem ſuam, propterea quòd Moyſes iuſsit dari libellum repudij, reſpondit ſic dicens. Moyſes ad duritiam cordis veſtri, permiſit vobis dimittere vxores veſtras, ab initio autem non ſic. Ideo tunc illud à Moyſe permiſſum eſſe dicunt, vt homicidium, quod multo peius eſt adulterio per hanc permiſsionem vitaretur. Et inde deducunt Iudæos tunc peccaſſe, quum prioribus vxoribus dimiſsis alias ducebant. Quia licet ſic facientes pœnam adulterij vitabãt, non tamen excuſabant culpam. Et huic ſentẽtiæ fauet apertiſsime Chryſoſtomus, qui in opere imperfecto ſuper Matthæum, homilia xxxiij. interpretans illa Christi Saluatoris verba, quæ nunc proximè citauimus, hæc quæ ſequuntur ait, Frequenter vobis Moyſes propter duritiam veſtram, iniuſtitiam quaſi iuſtitiam præcepit, vt in eremo hoſtias offerre Deo. Et paucis interiectis ſubdit. Vides itaque Moyſes propter dilectionem carnalem circa ſtudia ſacrificiorum eos eſſe inclinatos, ſi mandaſſet eos recedere à ſacrificiis, non fuerat audiendus. Quia annoſa paſsio medicamento momẽtaneo non curatur. Iuſsit eos ſacrificare quidem, ſed iam non dæmonibus, ſicut in Aegypto, ſed Deo viuo. Dimidium mali permiſit, ne totum perderet bonum. Hac ratione permiſit vos dare libellum repudij, quia melius iudicauit permittẽte lege matrimonia ſolui, quàm odio compellente homicidium fieri. Permiſit vobis mala facere, ne faceretis peiora. Ergo hæc vobis permittendo non vobis iuſtitiam Dei demonſtrauit, ſed à peccato abſtulit culpam peccandi, vt quaſi ſecundum legem agentibus vobis peccatũ veſtrum non videatur eſſe peccatum. Et poſt pauca iterũ ait. Propterea benedixit, quia Moyſes hoc permiſit, non præcepit. Aliud eſt pręcipere, aliud eſt permittere. Quod enim pręcipimus, ſemper placet: quod autẽ per-

Mat. 19.

Chryſoſt.

B

mittimus, nolentes permittimus: quia malam voluntatem hominum ad plenum probibere non poſſumus. Hactenus Chryſoſtomus. In quibus verbis id video interpretatione indigere, quod dixit Moſen à peccato abſtuliſſe culpam peccandi. Quibus verbis intelligit Moſen per legem ſuam abſtuliſſe pœnam quæ meritò deberetur peccato, & reliquiſſe peccatum impunitum: & hoc eſt Chryſoſtomo auferre à peccato culpam peccandi. Eidem ſententiæ fauet etiam Hieronymus, qui in commentariis ſuper Matthæū prædicta Chriſti Saluatoris noſtri verba interpretans ait. Moyſes cùm videret propter deſiderium ſecundarū coniugum, quę vel ditiores, vel iuniores, vel pulchriores eſſent, primas vxores interfeci, aut malam vitam ducere, maluit indulgere diſcordiam, quàm odia & homicidia perſeuerare. Simúlq; cōſidera, quòd non dixit: Propter duritiam cordis veſtri permiſit vobis Deus, ſed Moyſes: vt iuxta apoſtolum, cōſilium ſit hominis, non imperium Dei. Hæc Hieronymus. In cuius verbis id potiſsimum annotandum eſt, quòd ille conſiderare admonuit, illum viri ab vxore diſceſſum non eſſe Dei ſed hominis permiſsionem. Nam per hoc facilè refelluntur ea quæ alij dicunt, vt tueantur talem viri ab vxore diſceſſum fuiſſe in lege veteri, non ſolùm ſine pœna, ſed etiam ſine aliqua culpa.

Hierony. *1. Cor. 7.*

Permiſſionis modus ſecundus. *Rom. 4.*

Alio modo dicitur aliquid permitti, quia quum poſſit impediri ne fiat, non impeditur. Et hoc iuſtè aliquando fit, non vt maius malum euitettur, ſed vt maius bonum inde eliciatur quàm eſſet talis mali impedimentum. Nam etſi, iuxta Pauli ſententiam, non ſint facienda mala, vt inde eueniant bona, tamen bene poſſunt mala non impediri, vt maius bonum inde eliciatur, quàm eſſet illius mali prohibitio. Non enim dicendus eſt facere malum, qui illud non impedit, niſi fortè talis eſſet qui ex officiò ſuo eſſet obligatus malum illud impedire. Sed tunc ſi maius aliquod bonum occurreret, quàm eſſe illius mali impedimentum, poſſet ſine peccato nō impedire: & tunc non eſſet facere malum, ſed omittere minus bonū propter aliud maius. Hoc modo capitur nomen permiſſionis in cap. Iudæi, de Iudęis & Sarracenis. Nā eccleſia permittit Iudęos inter Chriſtianos habitare, & antiquas illas legis ceremonias ſęruare, & non vult eos impedire ne ſuas ſeruent

A ſeruent ceremonias: quamuis facilè id efficere poſſet: quia maximum eſt bonum quod ex tali Iudæorum permiſsione eccleſia elicit. Nam ex tali ceremoniarum obſeruatione eccleſia ſumit ab ipſis hoſtibus teſtimonium ad confirmationem fidei catholicæ quam tenemus. Quia ea quæ nunc Iudæi obſeruant, oſtēdunt fuiſſe olim in figura eorum quæ nunc fides catholica docet: & ideo tales ceremonias nunc ſeruari permittit, vt non ſit opus aliunde teſtimonium petere, ſed ipſis ceremoniis quaſi præſentibus teſtibus vtatur ad probandum illas in figuram & prophetiam eorum quæ nunc habemus, olim fuiſſe mandatas. Vnde Auguſtinus enarrans pſalmum quadrageſimum prope finem, & declarans prophetiam illam: Maior ſeruiet minori, ait. Modo impletum eſt, modo fratres nobis ſeruiunt Iudæi, tanquam capſarij noſtri ſunt, ſtudentibus nobis codices portant. Audite in quo nobis Iudæi ſeruiunt, & non ſine cauſa. Cain ille frater maior qui occidit minorem fratrem, accepit ſignum ne occideretur, id eſt, vt maneat ipſe populus. Apud illos ſunt prophetæ & lex, in qua lege & in quibus prophetis Chriſtus prædicatus eſt. Quando agimus B cum paganis, & oſtendimus hoc euenire modo in Eccleſia Chriſti, quod ante prædictum eſt de nomine Chriſti, de capite & corpore Chriſti, ne putent nos finxiſſe illas prædictiones ex his rebus quæ acciderunt, quas exiſtimant nos conſcripſiſſe quaſi futuræ eſſent, proferimus codices Iudæorum. Nempe Iudæi inimici noſtri ſunt. Hæc Auguſtinus. Eandem ſententiam docet beatus Gregorius in quadam epiſtola ad Paſchaſium epiſcopum Neapolitanum, cuius verba citantur à Gratiano in capitulo, Qui ſyncera, diſtinctione xlv. Hoc modo Deus etiam permittit multa mala à ſceleratis hominibus fieri, quia illa nō impedit ne fiant, quāuis id faciliſsimè efficere poſſet. Et quamuis non impediat ne fiant, tamen poſtquam perpetrata ſunt, ipſos illorum authores etiam in hac vita grauiter punit, vt teſtantur Pharao, & Antiochus, & Herodes. In his igitur non ideo mala permittere dicitur, quia inulta relinquit, ſed quia ex illis bonū aliud multo maius elicere ſtatuit, quàm eſſet illius mali prohibitio. Nam Deus omnipotens cui rerum eſt ſumma poteſtas (vt Auguſtini verbis vtar) cùm ſummè bonus ſit, nullo modo ſineret aliquid mali eſſe in

Auguſti. *Gen. 25.* *Gen. 4.* *Gregorius.* *Auguſti. in Enchiridio.*

operibus ſuis, niſi vſq; adeò eſſet omnipotens & bonus, vt C
bene faceret etiam de malo. Hæc autem Auguſtini verba non ſic intelligenda ſunt, vt putetur Deum malis ipſis virtutem & poteſtatem ad bonum aliquod producendum tribuiſſe: quoniam hoc ſentire ſummæ eſſet dementiæ: ſed quòd Deus pro immenſa ſua bonitate ex illis malis capta occaſione facit bona, quæ niſi mala præceſsiſſent, nõ fuiſſet facturus. Iuxta hanc permiſsionis ſignificationẽ locuta eſt

Iudith 13 Iudith, dicens. Non permiſit me dominus ancillam ſuam coinquinari. Non permiſit, quia impediuit Holofernem ne cum illa miſceretur. Eadem vocis ſignificatione vſus

Pſal. 80. eſt propheta, quum in perſona Dei loquens dixit. Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis. Dimiſiſſe dicit, quia reliquit eos in arbitrio voluntatis ſuæ, & noluit impedire illos ne mala perpetrarent. Et hoc idem eſt quod apoſtolus de gentibus loquens

Rom. 1. dixit. Tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum. Tradidiſſe dixit: quia impedire noluit illorum deſideria, ne illorum compotes fierent. Iſti duo modi permiſsionis, qui fiunt aut non puniendo, aut non impediendo malum quod poſſet impediri, ſemper ſunt reſpectu mali, & non reſpe- D
ctu boni. Si quid igitur aliquo iſtorum duorum modorum permittitur, eo ipſo conuincitur eſſe malum.

Permiſſionis modus tertius. Tertio modo aliquid permitti dicitur, quia conceſſum, ſiue id communi lege omnibus concedatur, ſiue priuilegio particulari contra communem aliorum legem ſit alicui particulariter conceſſum. Et hæc eſt magis propria huius vocis ſignificatio, & qua frequentius eloquentes viri vtuntur.

Cicero. Nam Tullius in libro iiij. Rhetoricorum ad Herennium, in capite vbi de repetitione diſſerit, permiſsionem declarans iuxta hanc ſolam ſignificationem illam interpretatur, ſic inquiens. Permiſsio eſt, cùm oſtendimus in dicendo nos aliquam rem totam tradere, & concedere alicuius voluntati, ſic. Quoniam omnibus rebus ereptis ſolùm mihi ſupereſt animus & corpus, hæc ipſa quæ mihi de multis ſola relicta ſunt, vobis & veſtræ condono poteſtati. Hæc Tullius. Ex quibus verbis conſtat permiſſionem pro conceſsione, aut condonatione accipi. Iuxta hanc ſignificationem vſus eſt voce permiſsionis Lucas, quum enarrans qualiter Chriſtus Saluator noſter eiiceret à

quodam

A quodam homine legionem dæmonum, qui corpus illius poſsidebant, dixit. Rogabant eum vt permitteret eis in porcos ingredi, & permiſit illis. Permittere dixit pro concedere, quanquam poſſet etiam dici poſitum eſſe pro non impedire. Hoc modo ſumitur permiſsionis nomen in capitulo, Omnis, diſtinctione tertia, vbi dicitur permiſsionem legis eſſe, vt vir fortis petat præmium. Hoc modo Apoſtolus ſecundas permittit nuptias, non quia malas, ſed quia nullo iure diuino prohibitas, imò potius per indulgentiam conceſſas. Hoc modo Gregorius Papa permiſit Anglis, qui tunc nouiter ad Chriſti fidem fuerant conuerſi, vt intra quartum conſanguinitatis gradum matrimonia contraherent, vt patet per eius epiſtolam quam Auguſtino Anglorum epiſcopo, de hac re ſcripſit. Permiſit quidem illis talia matrimonia cõtrahere, non vt ſic contrahentes ſolam pœnam & nõ culpam euitarent, ſed potius ſic permittens indulſit illis, vt ſine peccato facerent, quod aliàs ſine peccato facere nõ poſſent. Huiuſmodi permiſsio quaſi quædam eſt iuris diſpenſatio. *Luc.* 8. 1. *Cor.* 7.

Cùm igitur tam varia ſit permiſsionis ſignificatio, vt B perfectè & clarè argumento mihi obiecto reſpondeam, opus eſt vt ab ipſo arguente petam qua ſignificatione permiſsionis vtitur in illo argumento, quum dicit eccleſiam permittere hæretico, vt ante ſui criminis condemnationem poſsideat bona, quibus propter ſuum crimen eſt ipſo iure priuatus. Si capit in primo modo, vt idem valet ac non punire, aut ſecundo modo pro eo quod eſt non impedire, certè in vtraque iſtarum ſignificationum ſe ipſum deſtruit arguens, & pro me apertiſsimè pugnat, tantum abeſt vt ſuo argumento mihi noceat. Nam (vt diximus) vtraque illarum permiſsionum verſatur circa id quod malum eſt, & peccatum. Cùm enim ſolum peccatum ſit punitione dignum, oportet etiam vt ſolum peccatum ob id permitti dicatur, quòd non punitur. Solum etiam peccatum eſt quod ſemper & vbique meritò prohiberi & impediri debet. Nam ea quæ non ſunt peccata, etſi aliquando, & alicubi propter aliquas circunſtantias prohiberi & impediri poſsint, nõ tamen ſunt talia vt ſemper & vbiq; impediri debeant. Et inde euenit vt quod dignum eſt prohibitione & impedimento, quamuis propter

aliquod maius bonum inde eliciendum tunc non impediatur, ſemper ſit dicendum malum. Et de his quæ vtroq; G
iſtorum duorum modorum permittuntur,aut tolerantur, intelligendum eſt id quod Innocentius Papa huius nominis tertius ait in capit. Cùm iamdudum, de præbendis &
Innocen. dignitatibus.Multa,inquit ille,per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in iudicium, exigente iuſtitia non debeant tolerari. Hæc ille. Si arguens in ſuo argumento & dicens Eccleſiam permittere hæretico vt poſsideat bona quibus eſt ipſo iure priuatus, intelligit de permiſsione iuxta primam aut ſecundam illius ſignificationem, eo ipſo fatetur poſſeſsionem illam eſſe malam & peccatum: quoniam niſi eſſet peccatum, non diceretur altero illorum modorum permitti. Si talis bonorum poſſeſsio eſt peccatum, ergo hæreticus, vt tale peccatum euitet, obligatur non poſsidere illa bona, & per conſequens obligatur reddere illa fiſco, qui eſt verus illorum dominus. Præterea, etiam ſi loquatur de permiſsione iuxta primam aut ſecundam illius vocis ſignificationem,falſum eſt quod Eccleſia permittit hæretico quouſq; ſit de ſuo crimine damnatus,vt poſsideat bona quibus eſt propter ſuum crimen D
ipſo iure priuatus.Nam ſi crimen eſt occultũ & Eccleſia illud ignorat,nunquã dicetur illud permittere, quãuis illud non puniat,aut non impediat. Eſt enim permiſsio actus voluntatis, & ideo non poteſt eſſe circa id quod eſt prorſus ignotum. Si crimen eſt publicum, Eccleſia laborat quantum poteſt ad illius punitionem,& impedimentum. Nam in cap. Vergentis,de hæreticis, poſtquam ſtatuit in terris Papæ quæ ſunt temporali iuriſdictioni illi ſubiectæ, bona hæreticorum publicari,poſtea hæc quæ ſequũtur,ait. Et in aliis idem præcipimus fieri, per poteſtates & principes ſeculares,quos ad id exequendum (ſi fortè negligentes extiterint) per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota compelli volumus,& mãdamus,vt nec ad eos bona eorũ vlterius reuertantur, niſi eis ad cor reuertentibus & abnegantibus hæreticorum conſortium miſereri aliquis voluerit. Hæc Innocentius Papa tertius in illo cap. Quis viſa hac lege dicere audebit Eccleſiam permittere hæreticis bonorum ſuorum poſſeſsionem, cùm ex eadem lege conſtet illam ſummè laborare, & totum quod poteſt facere,
vt

A vt ab ipſis hæreticis bona quæ habent auferantur.

Fortè is qui hoc ſecundum principale argumentũ contra meam ſententiam obiecit, dicet ſe in argumento ſuo vſum fuiſſe voce permiſsionis in tertia ſola illius ſignificatione, qua ſolam conceſsionẽ aut condonationẽ exprimit. Si iuxta hanc ſignificationẽ ille loquitur, tũc falſum eſſe dico quod in eodem argumẽto aſſumit, dicens Eccleſiam permittere hæretico vſq; ad ſui condemnationem, vt bona, quibus eſt ipſo iure priuatus, poſsideat. Nam ſi hoc modo permittere idem eſt quod cõcedere, aut donare, oportet vt oſtendat apertè vbi Eccleſia hoc cõceſſerit, qui probare nititur eccleſiam hoc permittere. Nunquam autẽ Eccleſia (vt proximè præcedenti capitulo argumẽto primo oſtendimus) talẽ bonorum poſſeſsionem hæreticis cõceſsit, & inde ſequitur vt neq; etiã permiſerit iuxta tertiã permiſsiõis ſignificationẽ. Et certè hoc diligẽter & curioſè cõſiderare oportet, quoniã hoc eſt primũ & præcipuum fundamentũ, vnde tota huius diſputationis ſtructura cõſurgit. Nam ſi oſtenderint apertè Eccleſiam cõceſsiſſe hæretico vſq; ad ſui cõdemnationem, vt bona quibus propter ſuum crimen eſt ipſo iure priuatus,
B poſsideat: nõ amplius pro mea ſententia cõtra hæreticum contendam. At cũ non poſsint oſtendere talẽ conceſsionem fuiſſe ab Eccleſia factã, dignũ eſſet vt aduerſarij faterentur hæreticum mala conſciẽtia poſsidere bona quibus eſt ipſo iure priuatus. Deinde, etſi gratis cõcederem Eccleſiã cõceſſiſſe illud hæretico, nihil tamẽ inde colligi poteſt pro aliis qui propter alia crimina ſunt ipſo iure ſuis bonis priuati: quia Eccleſia nihil de illorũ pœna ſtatuit, nec fortè ſtatuere poteſt, præſertim ſi ſint crimina merè laica, & quæ nullum prorſus reſpectum habent ad ſpiritualia.

Tertio principali argumento noſtra ſententia oppugnatur, ſic dicendo. Pœna conſiſtit in paſsione, & non in actione: ergo quoties pœna imponitur à lege, ad ſolam paſsionem extendenda eſt, & non ad actionem. At aliquem reddere fiſco bona, quibus propter ſuum crimen eſt ipſo iure priuatus, actio eſt & non paſsio: ergo nullus, quamuis ſit ipſo iure ſuis bonis priuatus, obligatur illa reddere fiſco. Hoc argumentum magni æſtimat Caietanus, *Caietan.* & dicit eſſe notatu dignum, vt apertè cognoſcatur neminem vnquam obligari ad reddendum bona, quamuis

fuerit

fuerit ipſo iure illis priuatus. Nam in commentariis ſuper C
2. 2. ſancti Thomæ.q.lxij.artic.iij.inquirens quare in cen-
ſuris à iure impoſitis nulla requiratur hominis ſententia,
cùm tamen in aliis requiratur, reſpondet in cenſuris nul-
lam eſſe actionem, ſed ſolam paſsionem, & ideo non re-
quiri hominis ſententiam. Alias tamen dicit eſſe pœnas ad
quarum executionem ſemper eſt neceſſaria aliqua actio,
& ideo dicit eſſe expectandam iudicis ſententiam: quia ad
talem actionem non obligatur reus ex virtute legis pœna-
lis, propterea quòd pœna (vt ille ait) conſiſtit in pati &
non in agere. Quibus per illum ſic declaratis tandem hæc
quæ ſequuntur ait. Et tu notabis & applicabis hæc ad iu-
rium & ſtatutorum, tam ciuilium quàm canonicorum in-
tellectum & rationem. Videbis enim quòd ſi pro quibuſ-
dam criminibus puta hæreſis, læſæ maieſtatis & huiuſ-
modi pœnæ priuationis bonorum ipſo facto incurrendæ
imponantur, in quantum claudunt in ſe priuationem, à
lege infligi dicuntur: in quantum verò exigunt actionem,
iudicis actum expectant. Vnde dicuntur priuati dominio
rerum à lege, non tamen tenentur ea aſsignare fiſco, niſi
interueniat actio iudicis. Hæc Caietanus. Certè miror D
quòd vir doctiſsimus, vt fuit Caietanus, tam debili & tam
falſo argumento fuerit victus. Sed dum ad mentem reuoco
quòd non omnia poſſumus omnes, & quòd quandoque
bonus dormitat Homerus, ſtatim mirari deſino. Si argu-
mentum illud alicuius eſſet momenti, etiam probaret il-
lum qui per ſententiam iudicis priuatus eſſet dominio bo-
norum ſuorum, non eſſe obligatum ad reddendum bona
ſua. Quia pœnà ad quam damnatus eſt, conſiſtit in pati
(vt ille ait) & non in agere. Sed de hoc non eſt opus am-
plius diſſerere, quia iam de illo diſputauimus cap. iij. hu-
ius libri ſecundi. Dimiſſa ergo pœna impoſita per iudi-
cem, veniamus ad pœnam quæ eſt ipſo iure per legem im-
poſita, & videamus quàm parum poſsit circa illam ratio
Caietani valere. Conſequentia illius argumentationis eſt
peſsima. Nam ex hoc, quòd pœna conſiſtit in pati, nòn licet
inferre neminem ratione pœnæ obligari ad agendum.
Quia inde ſequeretur, neminem poſſe obligari in pœnam
delicti ad dandum eleemoſynã, aut cantandum, aut legen-
dum, aut ſcribendum: quoniam hæc omnia ſunt actiones.

Hoc.

A Hoc tamen nullus vir doctus concedet, quia etſi omnia ad actiones pertineant, omne tamen agens (vt Ariſtoteles ait) in agendo repatitur. Et ideo licet ea parte qua agens agit non ſit illi pœna talis actio, quatenus autem agendo repatitur, erit illi pœna talis repaſsio, prout iam ſuprà me declaraſſe memini in cap.iij.libri primi. Poteſt ergo aliquis in pœnã criminis ſui obligari ad legendum orationes aliquas, vt per talem repaſsionem pœnam ſentiat legendo. Poteſt etiam obligari ad dandum eleemoſynam, quia licet talis donatio ſit actio, tamen propter repaſsionem, hoc eſt, propter priuationem bonorum, quæ tali donationi reſpondet, dicitur pœna non quatenus dat, ſed quatenus priuatur eo quòd dat. Et ob hanc cauſam non eſt Deo pœna dare, quia quamuis ille aliquid donet, nunquam tamen priuatur aliquo quod habebat. Hominibus autem pœna eſt aliquid dare; quia non poſſunt dare niſi priuentur eo quod donant. Quatenus ergo donant non eſt pœna, ſed quatenus priuantur eo quod donant. Alioqui eleemoſyna non diceretur opus pœnale quemadmodum ieiunium, nec per illã poſſet quis pœnas peccato debitas redimere. Sic etiam

B in propoſito negotio quum hæreticus aut quiuis alius ſimilis criminis reus reddit bona ſua fiſco, quatenus dat non eſt illi pœna, ſed quatenus ſic dando priuatur poſſeſsione bonorum quæ poſsidebat, eſt illi pœna. Fateor ergo pœnam conſiſtere in paſsione, ſed ſæpe talis paſsio non oritur niſi ab actione propria, vt eſt paſsio, quæ oritur ex lectione, ſcriptione, cantu. Deinde, multum intereſt à quo quis patiatur, & ita ſæpe ſolet pœnã, quæ ex paſsione oritur, augere conditio agentis. Libentius quis patitur magna ab vno, quàm parua ab alio. Nam hac ratione ſaluator noſter ſuam exagerauit paſsionem, quòd à proprio diſcipulo fuerit traditus. Si inimicus meus (inquit ille) maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique: verum tamen homo pacis meæ, qui mecum dulces capiebat cibos, magnificauit ſuper me ſupplantationem. *Pſal.54.* Ita etiam non parum hominem torquet, quum à ſe ipſo pati cogitur, & ita augmentum eſt pœnæ, quòd ipſe reddens bona ſua ſe ipſum priuet bonis ſuis. Obligatur ergo ſæpe reus ob hanc cauſam, non ſolùm ad patiendum priuationem bonorum, ſed etiam ad reddendum illa, vt per talem donationem factam à ſe ipſo, ſpolietur bonis

ſuis,

ſuis,& ſic tanto maiorem pœnam ſentiat, quanto laborioſius eſt à ſe quàm ab alio pati. Et licet ex lege diſputationis mihi tanquam reſpondenti nõ incumbat probare quod dico, ſed ſolùm reſpondere ad obiecta:gratis tamen id efficere volo, propterea quia facilè id me facturum confido. Multa ſiquidem mihi occurrunt teſtimonia, quibus pleniſsimè probatur, reum in pœnam ſui criminis obligari non ſolùm ad paſsionem, ſed etiam ad actionem: non ſolùm ad tolerandum quòd bona ſua capiantur ab eo: ſed etiam ad reddendum illi, cui per legem adiudicata ſunt. Primò profero cap. Romana. §. Procurationes, de cenſibus, libro vj. vbi illi, qui pecuniam pro viſitatione, aut munus aliquod preter id quod ad victum pertinet, receperint, obligantur in conſcientia ad dupli reſtitutionem. Quòd autem illic ſit perfecta obligatio in conſcientia etiam ante iudicis ſententiam, ex verbis in illo capitulo contentis apertiſsimè conuincitur, quia præcipit illic papa vt non abſoluantur à delicto, niſi duplum reſtituant. Præterea, in Clementina, Quoniam, §. Sed & tales, de vita & honeſtate clericorum, papa prohibet clericis certum genus veſtis, quod epithogium ſeu tabardum vocat, ne illud foderatum vſque ad oram portent, & tam breue, quòd veſtis inferior notabiliter videatur, & qui contra hoc ſtatutum tali veſte vſi fuerint, ſtatuit vt infra menſem teneantur illam dare pauperibus. In quibus verbis id potiſsimum annotare oportet, quòd non præcipit papa vt veſtis capiatur ab eis & detur pauperibus, ſed præcepit, vt illi teneantur dare pauperibus. Ex quibus verbis apertiſsimè conſtat, illos virtute & poteſtate illius legis pœnalis eſſe obligatos non ſolùm ad paſsionem, ſed etiam ad actionem: quia non ad hoc ſolùm obligantur, vt patiantur veſtem tolli ab eis, ſed vt ipſimet reddant. Præter hæc duo clariſsima teſtimonia, quæ nunc proximè ex communi iure protulimus, ſunt adhuc alia non minus manifeſta teſtimonia ex iure particulari. Nam in conſtitutionibus ſtudij Salmanticenſis æditis à Martino papa huius nominis quinto, multæ ſunt pœnales conſtitutiones obligantes reos ad reddendum certam aliquam pecuniæ quantitatem, etiam ante iudicis condemnationem. Vna illarum conſtitutionum eſt in cap. xviij. Altera habetur in cap. xxj. Et quòd vtraq; illarum obliget in conſcientia

A tia ſine vlla alia iudicis ſententia, ex verbis illarum apertiſsimè conuincitur: quia vtraque illarum præcipit, vt reus non abſoluatur à ſententia excommunicationis, quam ipſo facto incurrit, niſi illam pecuniam per legem taxatam reddiderit. Verba iſtarum conſtitutionum nolui hîc citare: quia ſuprà in ſexto capit. §. iij. huius ſecundi libri pro alio negotio ea citaueram. Ad illum igitur locum mitto lectorem, vt ibi legat, ſi aliquid in eis videre deſiderat. In illo eodem capitulo. §. j. inueniet lector aliud non minus clarum teſtimonium ex ea conceſsione, quam dedit Adrianus papa huius nominis ſextus collegio ſancti Bartholomei eiuſdem vniuerſitatis Salmanticenſis. Nam illic pontifex præcipit, vt collega, qui electiones in eodem collegio faciendas, quouis modo per ſubornationes impedierit ne purè & rectè fiant, obligetur in conſcientia ſine alia condemnatione aut accuſatione ad reddendum eidem collegio certam pecuniæ quantitatẽ illic expreſſam. Ecce quinq; apertiſsima teſtimonia protuli, quæ euidentiſsimè probant legem pœnalem obligare non ſolùm ad paſsionem, ſed etiam ad actionem: non ſolùm ad patiendum ablationem B bonorum, ſed etiam ad reddendum ea. Falſum eſt igitur quod Caietanus ait, legem pœnalem nunquam obligare reum ad agendum, ſed ſolùm ad patiendum. Falſum etiam eſſe conuincitur quod ex illo fundamento elicit Caietanus, nunquam aliquem teneri ad reddendum bona ſua, quamuis ſit illis ipſo iure priuatus, ſed ſemper eſſe neceſſariam iudicis actionem, per quam tollantur à reo bona illius.

Quarto principali argumento contra hanc meam ſententiam ſic argui poteſt. Hæredes hæreticorum poſſunt præſcribere bona illorum, quæ ſpatio quadraginta annorum bona fide poſſederunt, etiam ſi bona illa ad Romanam eccleſiam ſpectarent: vt dicitur in capitulo vltimo de præſcriptionibus, libro ſexto. At, ſine poſſeſsione præſcriptio non procedit, vt dicitur in regula tertia, de regulis iuris, eodem libro. Ergo hæredes hæreticorum poſsident bona, quæ iure hæreditario ab illis acceperunt, & per conſequens ipſi hæretici ante mortem poſsidebant: quoniam aliâs nõ poſſent morte ſua tradere poſſeſsionem hæredibus. Et confirmatur per hoc, quòd hæreticus, aut quiuis alius ſimilis criminis reus antequam crimen commiſsiſſet,

habebat

habebat dominium & poſſeſsionem bonorum ſuorum:ſed C
poſt crimen commiſſum lex non priuat illum niſi ſolo dominio,ergo relinquit illi poſſeſsionem, & per conſequens quouſque per iudicem priuetur illa poſſeſsione ſemper habebit illam. Hoc eſt argumentum illud quod in proximè præcedenti capit.dixi,amicum quendam meum per literas ſuas,eò quòd longè à me aberat,mihi obieciſſe.Sed hoc argumentum ante præuiderat Felinus,qui (vt dixi)hanc eandem mecum tuetur ſententiam, & illi reſpondet. Nam in capit.Canonum, de conſtitutio.nume.43.poſtquam retulit Abbatis in hac parte ſententiã,volens illam tueri & reiicere ea,quæ contra illam pugnare videntur,hæc quæ ſequuntur ait. Nec obſtat huic limitationi, licet ipſe non dicat, quòd quis in cõſcientia retinet bona ipſo iure amiſſa,vtendo præſcriptione,cap.ij.de præſcriptio.lib.vj.Quia ibi erat ignorantia pœnæ,patet ex textu, in verbo, bona fide. Hæc Felinus.Quantum hæc reſpõſio valeat, ego diſcutere nolo, ſed aliis inquirendum relinquo. Iniquum ſiquidem mihi videtur aut ſaltem inciuile & minus vrbanum,vt illos oppugnare velim, qui mihi fauere conantur: niſi fortè tam malè fauerint, vt hoſtibus viam aperiant qua melius nos D
oppugnare poſsint. Aliter ergo,& niſi mearum rerum me fallit amor, multo melius quàm Felinus reſpondebo illi argumento,& in ipſoſmet arguentes illud retorquebo.Fateor quidem hæredes hæreticorum, & ipſos hæreticos antequam ſint per iudicẽ damnati,& ſuis bonis ſpoliati poſſidere bona quibus propter ſuum crimẽ ſunt ipſo iure priuati:nec pro re tam manifeſta eſt opus rationes & leges citare.Oportebat tamen probare hæreticũ,aut quemuis aliũ ſimilis criminis reum bona fide poſsidere bona, quibus eſt ipſo iure priuatus,quoniam quæ mala fide poſsidentur,iniuſtè poſsidentur,& ſunt obligata reſtitutioni, & ideo non poſſunt præſcribi. Eſt enim bonorũ poſſeſsio quaſi quoddã genus,quod duas ſub ſe cõtinet ſpecies, videlicet poſſeſsionem cũ bona fide,& poſſeſsionẽ cum mala fide.Ex hoc igitur quòd hæreticus poſsidet bona, quibus eſt ipſo iure priuatus,velle colligere illũ iuſtè poſsidere, eſt arguere à genere ad ſpeciem,veluti ſi quis hoc modo argueret. Eſt animal,ergo eſt homo.Quæ cõſequẽtia quàm mala ſit,trimeſtris dialecticus agnoſcet.Et hinc patet quãti valoris ſit hoc argum

Felinus.

A argumentum quartum, quod ex ratione præſcriptionis pugnat. Quia etſi ex illa conuincatur hæreticum poſsidere, non tamen conuincitur illum bona fide poſsidere. Sed dices. Præſcriptio non poteſt eſſe ſine poſſeſſione cum bona fide, vt dicitur in regula ij. de regulis iuris libr. vj. ergo hæreticus bona fide poſsidet. Conceſſo antecedente, nego conſequentiam, quia hæreticus nunquam præſcribit. Nam licet capitulum illud de præſcriptionibus, lib. vj. concedat præſcriptionem catholicis hæredibus hæreticorum, nunquam tamen hæreticis ipſis conceditur vt poſsint præſcribere. Quod apertiſsimè conuincitur ex litera illius capituli, quæ non omnibus hæredibus hæreticorum concedit præſcriptionem, ſed ſolis hæredibus illorum hæreticorum, qui putabantur catholici dum viuerent. Et inde ex caſu illo ſolùm excepto arguitur in contrarium, quòd hæredes illorum hæreticorum qui dum viuerent exiſtimati ſunt hæretici, non poſſunt præſcribere. Ex quo vlterius euidenter colligitur, vt ipſi hæretici multo minus poſsint præſcribere. Sed quare hæredibus hæreticorum conceditur præſcriptio, ipſis B autem hæreticis nunquam? Hæc diuerſitas non aliunde prouenit, quàm ex diuerſa vtriuſque fide: quia hæredes poſſunt bonam fidem habere, hæreticus verò nunquam poteſt bona fide poſsidere bona quibus eſt priuatus. Nam illud vltimum capitulum de præſcriptionibus, lib. vj. non concedit hæredibus hæreticorum præſcriptionem, niſi bona fide poſſederint bona illorum ſpatio quadraginta annorum. Hanc autem bonam fidem nunquam hæreticus habet, quum poſsidet bona quibus eſt ipſo iure priuatus. Et hinc ego ſumo vires, vt poſsim hoc argumentum retorquere in ipſos arguentes, ſic dicendo. Hæreticus non poteſt præſcribere bona quibus eſt ipſo iure priuatus, & non ob aliud, niſi quia mala fide poſsidet: ergo tenetur ea reſtituere domino illorum. Conſequentia iſta inde eſt manifeſta, quòd omnis malæ fidei poſſeſſor eſt iniuſtus poſſeſſor, & peccat poſsidendo. Ex quo apertè colligitur illum obligari ad reſtitutionem, vt ſic euitet peccatum. Sed fortè aliquis contentioſus negabit hæreticum eſſe malæ fidei poſſeſſorem, & ideo ego tam apertè illud probare volo, vt nulla pateat via qua aduerſarius ſe elabi poſsit. Quod

vt apertius fiat, oportet prius ſtatuere, quid ſit bona & quid C
Dinus. mala fides. Dinus interpretans titulum libri ſexti de regulis iuris in regula ſecunda: quæ ad hanc rem ſpectat, definire volens quid ſit bona & quid mala fides, non reddit generalem definitionem, ſed ſolùm exprimit quoſdam particulares caſus in quibus noſcitur eſſe bona aut mala fides. Nam ſolùm refert ea quæ euenire poſſunt in poſſeſsione titulo emptionis: & ita nihil dicit præter id quod definitum erat in l. Bonæ fidei, ff. de verborum ſignificatione. *Ioannes Andreas* Ioannes Andreas in Mercurialibus ſuis interpretans illam regulam, Poſſeſſor malæ fidei, hanc quæſtionem prorſus intactam reliquit, cùm tamen ſummè eſſet *Petrus Ancharanus.* neceſſaria ad illius regulæ intellectum. Petrus Ancharanus eandem regulam multo prolixiori lectione interpretans, nihil prorſus de hac re dixit, tanquam ſi illa eſſet ab eadem regula extranea. Vt autem ego id, quod ab iſtis illuſtribus iuris interpretibus, negligenter omiſſum eſt, perfectè definire valeam, opus eſt imprimis annotare fidem hoc loco non ſumi pro virtute quæ vna eſt ex tribus theologicis: nec pro actu illius virtutis, qui eſt quædam credulitas, aut firmus aſſenſus quo quis credit, quæ de Deo & D
eius Eccleſia credere tenetur. Quia huiuſmodi bona fides nihil penitus agit ad iuſtam aut iniuſtam bonorum poſſeſsionem. Nam fur, etſi perfectè credat omnia quæ credere oportet, nunquam tamen dicetur bona fide poſsidere ea quæ furto ſurripuit. Fides hoc loco capitur pro conſcientia, propterea fortè quòd ipſa conſcientia quaſi quædam credulitas eſt. Iuxta hanc ſignificationem accepit no-
Rom.14. men fidei Paulus, quum de ciborum delectu diſſerens dixit. Qui autem diſcernit, ſi manducauerit, damnatus eſt: quia non ex fide. Omne autem quod non eſt ex fide peccatum eſt. Illud non eſſe ex fide dixit, vt doctiſsimi theologi interpretantur, quod eſt contra conſcientiam. Hæc fides eſt quæ ſæpe iuſtitiam aut iniuſtitiam reddit poſſeſſioni, ita vt mala fides iniuſtam faciat poſſeſsionem, bona verò iuſtam aut ſaltem non iniuſtam. Mala ergo fides eſt coſcientia ſiue iudicium quo quis iudicat alienum eſſe quod poſsidet. Bona verò fides eſt iudicium quo qui rem proprio nomine poſsidet, iudicat illam eſſe ſuam. Hæc duo apertè colliguntur ex capit. Quoniam, de præſcriptionibus,

A vbi poſtquam ſynodali iudicio definitur, vt nulla valeat abſque bona fide præſcriptio tàm canonica quàm ciuilis, tandem hæc verba ſubduntur. Vnde oportet, vt qui præſcribit nulla temporis parte conſcientiam habeat rei alienæ. Ex quibus verbis apertè conſtat eum qui conſcientiam habet rei alienæ, hoc eſt, qui ſcit rem quam poſsidet eſſe alienam, non bona ſed mala fide poſsidere illam. Poteſt adhuc dari fides media, quæ nec bona ſit nec mala, vt quum poſſeſſor alicuius rei ſic dubitat de illa an ſit ſua, an aliena, quod non magis ad vnam partem flectitur quàm ad aliam. Et de hac media fide, aut dubia conſcientia ſolet quæri, an illa ſufficiat ad verè & iuſtè præſcribendum. Gloſſa vltima in capit. vltimo, de præſcriptionibus, dicit eum qui dubitat, an res quam poſſidet, ſit ſua, eſſe bonæ fidei poſſeſſorem, & poſſe iuſtè præſcribere. Et huic ſententiæ ſubſcribit Panormitanus. Contrariam ſententiam tuentur Antonius de Butrio, in eodem capit. vltimo, & Adrianus in quarto, & quidam alij. De qua re ego nihil impræſentiarum definire volo, ne longè à ſcopo diſcedã, ſatis mihi nunc eſſe exiſtimo, quòd

B quæſtionem propoſuerim lectori, vt ſic occaſionẽ diſcendi accipiat. Ad id igitur, vnde digreſsi ſumus, diſputationem reuocantes, Ex his quę nunc de bona & mala fide diximus, conuincitur apertè, hæreticum aut quemuis alium ſimilis criminis reum, qui propter ſuum crimen eſt ipſo iure ſuis bonis priuatus, eſſe malæ fidei poſſeſſorem: quia poſſidet illa bona cum conſcientia rei alienæ, hoc eſt, ſciens bona illa non eſſe ſua, ſed fiſci. Si mala fide poſsidet, ergo poſsidendo peccat, & per conſequens tenetur reddere fiſco, qui eſt illorum dominus, vt ſic reddendo, euitet peccatum. An autem is qui ignorat bona ſua propter crimen ab eo commiſſum eſſe ipſo iure amiſſa, & fiſco adiudicata peccet illa retinendo, nũc diſſerere nolo, propterea quòd inferius vno integro capitulo de hac re tractare decreui. Ecce vides, candide Lector, quanti momenti ſit hoc quartum argumentum, quod fortius cõtra ipſummet arguentem (vt nunc clarè oſtendimus) quàm contra me pugnat.

Ex his quæ in ſolutione huius argumenti diximus, ſatis apertè cõſtat quid ſit reſpondendũ ad cõfirmationem eiuſdem argumenti, qua dicitur hęreticum, aut quemuis alium

ſimilis criminis reum antequam crimen commiſiſſet, habuiſſe dominium & poſſeſsionẽ bonorum ſuorum, & poſt crimen commiſſum ante iudicis condemnationem eſſe ſolum priuatum dominio bonorum,& nõ poſſeſsione. Ex quo colligere videtur, vt ante iudicis condemnationem habeat poſſeſsionem bonorum, quamuis non habeat dominium illorum. Si hoc argumentum à ſolis iuris humani peritis mihi obiiceretur, certè non valde mirarer, propterea quòd illi non ſunt tam ſubtiles, nec tam circunſpecti in argumentando. Sed quum audio hoc argumentum fuiſſe obiectum contra me à viro theologo, & in publico Gymnaſio Complutenſi theologiam profitente, non poſſum non vehementer admirari, quum tam aperta ſit illius argumenti infirmitas & debilitas. Fateor quidem (vt iam dixi) hæreticum & quemuis alium, qui propter ſuum crimen eſt ipſo iure ſuis bonis priuatus, antequam à iudice damnetur, poſsidere bona illa. Quis enim tam ſtupidus eſſet, vt hoc negare auderet? Nam etiam poſtquam fuerit à iudice damnatus, poſsidebit bona illa quouſque re ipſa auferantur ab eo. Et hinc apparet illius argumenti defectus: quoniam ſi illud aliquas vires haberet, etiam probaret hæreticum, poſtquam à iudice competenti damnatus eſt, antequam fiſcus bona illius apprehendat, iuſtè poſsidere illa, & non eſſe obligatum ad reddendum illa,ſed ſolùm ad patiendum capturam illorum: quod nullus vnquam conceſsit. Sic enim formari poterit argumentum. Hæreticus ante crimen commiſſum habebat dominium & poſſeſsionem bonorum ſuorum, ſed poſt crimen commiſſum & illius condemnationem à iudice factam antequam fiſcus capiat,non eſt priuatus à lege, aut iudice, niſi ſolo dominio: quia iudex ſolo imperio ſuo non priuat illum reali poſſeſsione bonorum quouſque apprehẽdat illa. Ergo antequam capiãtur ab illo adhuc poſsidet bona olim ſua,& per conſequens(vt arguens contra me colligebat) non erit obligatus reddere. Fatendum eſt ergo hæreticum aut quemuis alium, qui propter ſuum crimen eſt ipſo iure ſuis bonis priuatus, poſsidere bona illa, mala fide: & ideo inde inferre non licet illum non obligari ad reddendum fiſco, imò potius contrarium colligi poteſt cùm omnis malę fidei poſſeſſor ſic poſsidendo peccet. Nam

Ioannes

A Ioannes Andræas in Mercurialibus ſuis interpretans illam regulam, Poſſeſſor, citat Ioannem Monachum dicentem ideo poſſeſſorem malæ fidei non præſcribere, quia talis poſſeſſor peccat, & ideo iuſtum eſt, vt potius pœnam quàm præmium recipiat. Et huius ſententiæ ſubſcribit idem Ioannes Andræas. Sed fortè alia via contendet arguens intentionem ſuam probare, ſic dicens. Hæreticus ante crimen commiſſum habebat dominium & iuſtam bonorum ſuorum poſſeſsionem: ſed poſt crimen commiſſum antequam à iudice damnetur, non eſt priuatus à iure, niſi ſolo dominio: ergo antequam ſit à iudice condemnatus relinquitur illi iuſta bonorum poſſeſsio: & per conſequens tunc non obligatur bona, quibus eſt ipſo iure priuatus, reddere fiſco. Reſpondeo conſequentiam huius argumenti eſſe bonam, & maiorem quæ ponitur in antecedente eſſe veram: ſed minorem dico eſſe falſam, quæ dicit hæreticum poſt crimen commiſſum non eſſe à iure priuatum, niſi ſolo dominio. Nam eo ipſo quo priuatus eſt dominio, priuatus eſt iuſta poſſeſsione bonorum. Non eſt quidem eo ipſo priuatus reali & nuda poſſeſsione: quia B hanc (vt iam dixi) ſemper habebit quouſq; fiſcus bona illa realiter capiat, aut ipſe reus in alium poſſeſsionem tranſferat. Sed licet non ſit eo ipſo priuatus illa qualicunque poſſeſsione, eſt tamen eo ipſo priuatus iuſta poſſeſsione, aut iuſtitia poſſeſsionis quæ oritur ab ipſo dominio. Quoniam (vt regula iuris libro ſexto ait) cùm aliquid prohibetur, prohibentur omnia quæ ſequuntur ex illo. Sed ex ſolo dominio bonorum habebat hæreticus ante crimen commiſſum iuſtam illorum poſſeſsionem, ergo ablato dominio ab illo aufertur eo ipſo iuſta poſſeſsio, quæ à ſolo illo dominio pendebat. Sed fortè quis dicet legem, quæ ab hæretico abſtulit dominium, diſpenſaſſe cum illo, vt ablato dominio poſsit poſsidere bona, quouſq; ſit à iudice de ſuo crimine damnatus. Huic ego reſpondeo quod iam ſæpe me dixiſſe memini. Si talem legis diſpenſationem expreſſam mihi aliquis oſtenderit, ſtatim illi cedam, & gratias pro tanto beneficio reddam, tantum abeſt vt pertinaciter contra illum contendere velim. Sed certus ſum quòd nullam talem apertam diſpenſationem proferre poterunt, prout in proximè præcedenti capitulo in argu-

Ioannes Andr.

mento primo latiſsimè & apertiſsimè oſtendi. C

Quintum principale argumentum quod contra meam ſententiam obiicitur, hoc modo ſe habet. Nullus poteſt eſſe ſimul reus & executor ſententiæ contra eum latæ, ſed ſi ille, qui propter ſuum crimen eſt ipſo iure ſuis bonis priuatus, obligaretur ad reddendum bona, ſimul eſſet reus & executor ſententiæ: ergo nullus talis obligatur, nec obligari poteſt ad reddendum bona ſua, ſed oportet alium eſſe qui talem contra reum ſententiã exequatur capiendo bona illius. Conſequentia huius argumẽtationis eſt nota, minor etiam eſt manifeſta, quòd videlicet ſit reus & executor ſententiæ, qui à lege priuatus ſuis bonis reddit illa, cui per ipſam legem ſunt àdiudicata. Maior verò, vnde tota huius argumentationis vis pendet, probatur per hoc, quòd perſonæ ad rectum iudicium iuſtitiæ faciendum neceſſariæ debent eſſe ſic diſtinctæ, vt vna officiũ alterius non ſumat. Nullus enim poteſt eſſe accuſator & iudex, prout docet Auguſtinus, & citatur à Gratiano in cap. Multi. ij. q. j. Eadem ratione nullus poteſt eſſe reus & iudex: quia in cauſa propria omnes cæcutimus, & ideo mirum eſſet, ſi in illa non erraremus. Ob eandem cauſam neque actor, neque D reus poteſt eſſe teſtis in cauſa propria, quia illius teſtimonium ſemper erit ſuſpectum, & ideo merito dicetur illi: *Ioan. 8.* Tu de te ipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum. A ſimili ergo videtur idem dicendũ de executore, vt neq; actor, neq; reus poſsit eſſe executor ſentẽtiæ contra reum datæ. Hoc argumentum obiecit mihi hic Salmanticæ in familiari colloquio quidam vir doctus theologus amicus meus dum mecum de hac re diſputaret, & tanti hoc argumentum æſtimauit, vt hoc ſolo perſuaderetur credere neminem vnquam obligari ad reddendum bona, quibus fuerit ipſo iure priuatus. At poſtquam me audiuit, nõ tanti, vt ante fecerat, ſuum argumentum æſtimauit. Nam maiorem illam propoſitionem, ex qua tota (vt dixi) vis argumenti pendet, falſiſsimam eſſe illi per multa manifeſta exempla euidenter oſtendi. Omitto hic illud occultiſsimum iudicium, quo peccator ſuæ malæ vitæ pœnitudine ductus, ſeipſum iudicat, & ſeipſum pœna dignum cenſet, & pœnam, quam ſuo iudicio meretur, ſibi ipſi infligit. Hoc eſt iudicium illud, quod in omnibus nobis

A bis deſiderabat Paulus Apoſtolus dicens. Si noſmetipſos diiudicaremus, non vtiq; iudicaremur. Huiuſmodi iudicium, quo pœnitens ſeipſum pœna dignum iudicat, & ſibi ipſi illam infligit (vt doctiſsimis theologis placet) ad iuſtitiam punitiuam pertinet. In hoc iudicio ipſemet pœnitens eſt reus, ipſe eſt accuſator, ipſe idem eſt teſtis, ipſe eſt etiam iudex, ipſe denique eſt ſententiæ contra ſe latæ executor. Quæ omnia teſtimonio Auguſtini comprobantur, qui in libello de pœnitentiæ medicina, de hoc pœnitentiæ iudicio diſſerens ait. In hac pœnitentia maiorem in ſe quiſque ſeueritatem debet exercere, vt à ſeipſo iudicatus non iudicetur à domino, ſicut ipſe Apoſtolus ait. Si enim noſmetipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Aſcendat itaque homo aduerſus ſe tribunal mentis ſuæ, ſi timet illud quod oportet nos exhiberi ante tribunal Chriſti, vt illic recipiat vnuſquiſq; quæ per corpus geſsit, ſiue bonum ſeu malum. Conſtituat ſe ante faciem ſuam, ne hoc ei poſtea fiat. Nam minatur Deus hoc peccatori dicens. Arguam te & ſtatuam contra faciem tuam. Atque ita conſtituto in corde iudicio, adſit accuſatrix cogitatio, teſtis

1. Cor. 11. *S. Tho. 3. par. q. 85. ar. 3.* *Scot. in 4. d. 14. q. 2.*

Ps. 49

B conſcientia, carnifex timor: inde quidem ſanguis animi confitentis per lachrymas profluat: poſtremò ab ipſa mente talis ſententia proferatur: vt ſe indignum homo iudicet participatione corporis & ſanguinis domini. Hactenus Auguſtinus. Ex cuius verbis apertiſsimè conſtat pœnitentiam eſſe iudicium in quo ipſe pœnitens eſt iudex, & idem pœnitentiæ executor. Sed hoc iuſtitiæ iudicium eſt metaphoricum & ſimilitudinarium, & non propriè dictum, propterea quòd iuſtitia non eſt virtus ad ſe, ſed virtus ad alterum. Pœnitentia autem quatenus per eam pœnitens punit quod malè geſſerat, non reſpicit alium ſed ſeipſum. Quia tamen per eam ſic punit ſe peccator, ac ſi alium recto iudicio punire debuiſſet, ideo ad iuſtitiam pertinere dicitur. Hoc igitur dimiſſo iudicio, aliud profero quod verè & propriè ad iuſtitiam pertinere cognoſcitur, in quo citra vllam controuerſiam idem eſt reus & executor. In auriculari confeſsione, in qua pœnitens peccata ſua clanculo fatetur coram ſacerdote, iudicium iuſtitiæ fit. Nam ibi pœnitens eſt reus, & non eſt opus alio accuſatore aut teſte: quia ſicut euidentia patrati ſceleris,

ita etiam aperta confeſsio eiuſdem non indiget clamore accuſatoris. Iudex eſt confeſſor cui Chriſtus ſoluendi aut ligandi tribuit poteſtatem, dicens. Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta ſunt. Quum abſoluit à peccato, & pœnam in recompenſam aut ſatisfactionem offenſæ contra Deum factæ irrogat, tunc ſententiam dicit. Huius ſententiæ executor non eſt alius, niſi ipſe reus: quia ſi illi iniungitur ad ſui delicti ſatisfactionem eleemoſyna, non debet expectare, vt pauperes capiant ab eo, ſed ipſemet illam reddere tenetur. Si illi iniungitur, vt Pſalmos aliquos legat, non alius pro eo, ſed ipſe illos legere obligabitur. Præterea, circa pœnam impoſitam à teſtatore contra hæredem extraneum, propter mandati ſui tranſgreſsionem, ſi hæres fecerit contra mandatum teſtatoris, tunc ipſemet hæres erit reus & executor: quia ipſemet obligabitur in conſcientia, ad exequendum in ſe pœnam à teſtatore expreſſam. Quoniam (vt omnes tam Theologi quàm iuris humani periti concorditer docent) pœna teſtamentaria obligat in conſcientia hæredem, quando teſtator illam iuſtè imponere potuit. Nam Caietanus qui dicit neminem obligari ad pœnam, niſi poſtquam à iudice damnatus eſt ad illam, ab hac generali ſententia excipit pœnam à teſtatore impoſitam, in qua dicit non eſſe neceſſariam iudicis ſententiam, ſed omni ſentẽtia iudicis ſecluſa cenſet hæredem eſſe obligatum ad pœnam. Et hinc optimè deducit vxorem quam maritus ſuorum bonorum vſufructuariã reliquit hac conditione quòd caſtè viuat, ſi illa non caſtè vixerit obligari ad reſtituendum bona quæ conſumpſit poſtquam non caſtè vixit. Et hoc probat per hoc quòd voluntatis teſtatoris eſt implenda in omnibus: & ſicut in aliis à teſtatore diſpoſitis non eſt neceſſaria iudicis ſententia, vt mandentur executioni, ita nec ad pœnam infligendam aut ſuſtinendam. Poteſt adhuc melius (vt ego exiſtimo) id probari, ſi primò conſideretur quòd inter teſtatorem & hæredem non neceſſarium, ſed liberè electum eſt quidam contractus, qui dicitur do vt des, vel do vt facias. Teſtator in tali contractu ſe obligat ad dandum hæredi bona ſua, ſi hoc aut illud fecerit. Hæres adiens hæreditatem conſentit conditioni, & ſic fit ratus & firmus contractus quo vtraq; pars alligatur.

Ioan. 20.

C D

Sicut

A Sicut ergo hæres acceptando hæreditatem cum adiecta conditione acquirit ius & dominium in illa, ita etiam ſe obligauit ſuo conſenſu ad conditionem illam ſeruandam, quia non data eſt illi ſine conditione. Si ipſe voluntate ſua ſe liberè obligauit ad conditionem, ergo obligauit ſe ad pœnam illam reddendam: quia hæc erat illius hæreditatis conditio, vt ſi mandatum teſtatoris præteriiſſet, obligaretur hoc aut illud facere. Hæc igitur mihi videtur eſſe potiſsima ratio propter quam hæres in conſcientia obligatur ad pœnam à teſtatore impoſitam: quia ipſe acceptando hæreditatem eo ipſo voluntate ſua ſe obligauit ad pœnam in teſtamento poſitam. Si ille in conſcientia obligatur ad illam, conſtat quòd ipſemet erit reus & illius pœnæ executor. Et idem prorſus ob eandem rationem dicere oportet de pœna conuentionali, ad quam, is qui conditionem contractus præteriit, obligatur in conſcientia, quia ipſe ex ratione conuentionis propria voluntate ſe obligauit ad illam. Rurſum, omnes concorditer docent, nec ſcio aliquem hactenus negaſſe, eum qui propter ſuum crimen eſt ipſo iure ſuis bonis priuatus, poſtquàm

B fuerit à iudice damnatus obligari ad reddendum illa. In illo igitur rerum euentu (vt apertiſsimè conſtat) ipſemet reus erit executor pœnæ contra eum ſtatutæ. Ecce quàm multa exempla protuli, quibus manifeſtè probatur eundem eſſe reum & executorem ſententiæ contra ſe latæ, & ex illis apertiſsimè conuincitur falſam eſſe maiorem illam propoſitionem, ex qua tota huius quinti argumenti vis pendebat. Quod autem ad illius probationem adductum eſt, nihil prorſus efficere valet. Fateor quidem perſonas ad rectum iuſtitiæ iudicium faciendum neceſſarias debere eſſe diſtinctas, ita vt vna alterius officium non ſumat. Sed perſonæ iſtæ non ſunt niſi quatuor, videlicet iudex, actor, reus, & teſtis. Nam executor ſententiæ non eſt altera perſona ab iſtis, ſed ſub iudicis nomine computatur, quoniam non ſuo, ſed iudicis nomine ſententiam exequitur. Et ita iudex ipſe ſine alio miniſtro poteſt per ſeipſum exequi ſententiam ſuam quum ſibi placuerit: & ſæpe neceſsitate cogente id facit manu propria capiendo reum, & illum in carcerem mittendo, & cathenis vinciendo, aut bona illius capiendo. Aliquando execu-

tionem ſententiæ iudex committit actori, prout contin- C
git quando marito tribuit poteſtatem occidendi vxorem, quam in iudicio coram illo accuſauit, & plenè probauit eſſe adulteram: aut quando filiis defuncti per violentiam à priuata perſona occiſi iudex concedit facultatem, vt vbicunq; locorum homicidam inuenire potuerint, occidant. In his omnibus, & id genus aliis ipſe actor eſt ſententiæ executor, quam nomine iudicis & non ſuo exequitur. Et idem prorſus contingere poteſt in reo, ita vt lex aut iudex illi præcipiat, vt in ſeipſo pœnam exequatur, dummodo illa non ſit corporalis, & tam acerba, vt mortem inducat, aut quodam modo viam proximam aperiat ad illam. Nam huiuſmodi corporales pœnas (vt capite iij. huius ſecundi libri me dixiſſe memini) nec lex nec iudex poteſt homini quantumlibet ſcelerato & mille mortibus digno præcipere, vt illas in ſeipſo exequatur.

An iudex poſſit diſpenſare in pœna per legem ſtatuta.

CAPVT XII.

DECLARATA vtriuſque legis pœnalis D
poteſtate, qualiter vtraq; illarum ſiue quæ ferendam ſiue quæ latam continet ſententiam, obliget reum ad pœnã, ſupereſt nunc inueſtigare, an reus poſsit aliqua via ab huiuſmodi legis poteſtate eripi, vt pœnam ab illa decretam non patiatur. Ad cuius rei inueſtigationem duplici ſolùm via, vt ego cenſeo, incedere oportet. Nam quòd reus impunis euadat ex duplici ſolùm cauſa oriri poteſt, videlicet ex indulgentia & remiſsione iudicis, qui reo pœnam inferre renuit, aut ex circunſtantia ipſius delicti, quæ illum à pœna excuſat. Primò ergo de indulgentia iudicis, qui reo pœnam condonat, poſtea verò de circunſtantiis delinquentis, quæ illum à pœna excuſare valent, diſſeremus. Eſt ergo quæſtio nunc diſcutienda, an iudex poſsit diſpenſare in pœna per legem ſtatuta. Hæc quæſtio non poteſt vnica & certa concluſione definiri, ſed neceſſarium eſt, vt per multas & varias concluſiones illi reſpondeamus,

propter

A propter multam ipſarum legum pœnalium varietatem. Nam aliquando lex pœnalis certam aliquam & taxatam pœnam ſtatuit, aliquando nullam certam pœnam exprimit, ſed ſolùm præcipit vt puniatur, & iudicis arbitrio committit qua ſit pœna puniendus. Aliquando pœnam ipſam taxatam ipſo facto & ipſo iure infligit: Aliquando eandem pœnam taxatam iudici commendat, vt ab illo poſt plenam criminis cognitionem infligatur. De quibus omnibus ſigillatim dicere oportet.

Prima concluſio. Nullus iudex etiam ſi ſupremus ſit, vt papa, aut Rex, poteſt reum delinquentem contra legem pœnalem continentem ſententiam latam eripere à pœna legis, ne incidat in eam: niſi antequam reus delinquat, iudex poteſtatē ad hoc habens eximat illum ab obligatione legis. Hæc concluſio eſt adeò nota ex illis quæ ſuprà definita ſunt, vt ſola illius declaratio ſatis ſit ad illam firmiſsimè comprobandam, præſertim ſi conſiderare volumus qualitatem & conditionem legis pœnalis ſententiam latam continentis. Nam omnis huiuſmodi lex (vt ex iis, quæ capite viij. & ix. huius ſecundi libri diximus, conſtat)
B obligat in conſcientia ſine aliqua iudicis declaratione. Et inde apertiſsimè ſequitur, vt reus ſtatim poſt delictum commiſſum incidat in pœnam ab huiuſmodi lege decretam, etiam ſi nulla adſit iudicis ſententia, quæ declaret delictum fuiſſe commiſſum. Ex quo euidenter conuincitur, iudicem in huiuſmodi delictis non poſſe impedire, ne reus incidat in talem pœnam. Si iudicis ſententia (vt alij docent) exigeretur ad obligationem legis pœnalis ſententiam latam continentis, poſſet iudex negligendo proferre ſententiam declaratoriam, liberare reum à tali pœna. At quum iam probauerimus talem iudicis ſententiam non eſſe neceſſariam, conuincitur inde, iudicem non poſſe eripere huiuſmodi delinquentem, ne incidat in pœnam à lege ſtatutā. Vt autem rem hanc clariorem faciam, vnum & alterum exemplum ob oculos ponere ſtatui. Ponamus Ioannem inieciſſe manus violentas in clericum, propter quod eſt ipſo facto & ipſo iure excommunicatus, vt dicitur in capitulo, Si quis, xvij. quæſtione iiij. Stante tali vniuerſali decreto non poteſt Papa impedire, ne Ioannes percutiens clericum incidat in excommunicationem

Quia.

Quia excommunicatio (vt dicitur in capit. Paſtoralis, in §. Verum, de appellationibus) trahit ſecum executionem. Si tamen papa ante delictum à Ioanne commiſſum concederet illi priuilegium, vt quamuis percuteret clericum, non eſſet excommunicatus, tunc eriperet illum à pœna legis, liberando illum à legis obligatione. Stante tamen Ioanne ſub illius decreti obligatione non poteſt papa facere, vt Ioannes poſt delictum illud commiſſum non incidat in excommunicationem. Quia ſtante tali decreto naturaliter & neceſſariò oritur excommunicatio poſt delictum commiſſum. Idem per omnia dicendum eſſet, ſi Ioannes factus eſſet hæreticus, aut crimen læſæ maieſtatis commiſiſſet. Nam licet papa, aut rex, aut quæuis alia ſuprema poteſtas ante delictum commiſſum poſſet Ioanni priuilegium concedere, vt non incideret in pœnam priuationis bonorum, quamuis aliquod illorum criminum committeret: Ioanne tamen ſub poteſtate illarum legum viuente, nec papa, nec rex, nec vlla alia poteſtas impedire poterit, quin Ioannes poſtquam aliquod illorum delictorum commiſit, incidat in priuationem bonorum ſuorum. Quia dum tales leges ſuam retinent poteſtatem, naturaliter (vt dixi) & neceſſariò poſt delictum commiſſum infliguntur reis pœnæ per huiuſmodi leges ſtatutæ.

Ex hac eadem ratione, qua præcedentem concluſionem probauimus, apertè conuincitur falſam eſſe ſentẽtiam Panormitani, qui in capit. primo, de treuga & pace, dicit legem pœnalem, quæ imponit pœnam ipſo facto & ipſo iure, poſſe derogari per contrariam conſuetudinem, & reprehendit Hoſtienſem, qui in eodem capitulo docet contrarium. Quòd autem falſa ſit Panormitani ſententia, manifeſtè probatur per hoc, quòd nulla vnquam poteſt incipere contra huiuſmodi legem conſuetudo. Et, vt rem hanc manifeſtiorem faciamus, proponamus in exemplum legem illam, aut canonem illum proximè memoratum contra iniicientem manus violentas in clericum, qui habentur in capit. Si quis. xvij. quæſt. iiij. Nam de ſententia illius canonis quòd lata ſit, & non ferenda, nullus vnquam dubitauit, ſed omnes cõcorditer docent pœnam in illo canone decretam ipſo facto & ipſo iure poſt delictum commiſſum infligi delinquenti. De hac ergo lege pœnali quærere oportet ab ipſo

Abbas. *Hoſtiẽſis.* C D

A ab ipſo Panormitano, quando vnquam aut quomodo poterit contra illam incipere conſuetudo, cùm nulla iudicis aut prælati negligentia poſsit impedire, quin contra illam legem delinquens ſtatim poſt delictum commiſſum incidat in excommunicationem. Nam (vt dicitur in illo c. Paſtoralis, in §. Verum, ſuprà citato) excõmunicatio trahit ſecum executionem. Da ergo mihi primum qui percuſſerit clericum, & ſtante illo prædicto canone in ſuo robore non inciderit eo ipſo in excommunicationem. Sit, gratia exempli, Ioannes. Hic poſt delictum commiſſum ſtatim incidit in pœnam illius canonis, quia ſententia illius canonis eſt ipſo iure lata, & non à iudice ferenda. Fortè dices Eccleſiæ prælatos & reliquos altaris miniſtros non cauere à Ioanne excommunicato, & illum ad ſacra myſteria ſic admittere, vt videantur illam excõmunicationem prorſus contemnere, & illam pro nulla reputare. Ex quo rei geſtæ ordine videbitur fortaſſe Panormitano Ioannem nõ incidiſſe in pœnam illius canonis, propterea quòd illi, ad quos de illa cenſere ſpectabat, re ipſa oſtenderunt, nullam poſt delictum commiſſum fuiſſe ſubſecutam excommunicationem. Et

B quum idem circa Petrum, & Franciſcum, & Antonium, & plures alios clericorum percuſſores contigiſſet, dicet fortè Panormitanus conſuetudinem introduci contra illius canonis ſententiam. Sed hoc falſum eſſe inde apertiſsimè conuincitur, quòd circa Ioannem clerici percuſſorem, qui primus fuit ab Eccleſiæ prælatis & reliquis altaris miniſtris diſsimulatus, & ad ſacra myſteria admiſſus, nihil agere potuit prælatorum & aliorum miniſtrorum negligentia & diſsimulatio, vt illum præſeruaret ab excommunicatione. Quia ante illorum negligẽtiam & diſsimulationem iam ille inciderat in excommunicationem. Et inde ſequitur, vt qui illum euitare contempſerunt, non fecerint excommunicationem, quæ iam verè fuerat inflicta, fuiſſe nullam, ſed potius ſeipſos laqueo peccati inuoluerint. Et idem prorſus de Petro, & Franciſco, & Antonio, & quouis alio poſteriore clerici percuſſore eſt neceſſariò dicendum. Si ſententia illius canonis eſſet non lata, ſed à iudice ferenda, poſſet optimè iudex ſua diſsimulatione ſeruare delinquẽtem ne in pœnam illius canonis incidat. At, quum non ferenda, ſed lata ſit illius canonis ſententia, apertè

conuincitur

conuincitur iudicis diſsimulationem nihil agere ad præſeruandum delinquētem, ne incidat in illius canonis pœnam. C
Quia antequam iudex diſsimulare incipiat (vt dixi) iam is, qui contra canonem illum deliquit, incidit in eiuſdem canonis pœnā. Ex quibus omnibus euidenter conſtat, nunquam poſſe incipere conſuetudinem contra canonis illius ſententiam: & inde vlterius deducitur, canonem illum per nullam poſſe conſuetudinem derogari. Quæ ratio eaſdem vires habet, & eodem modo cogere poteſt de omni alio canone, qui ſententiam excõmunicationis contra quemcunq; alium ipſo facto & ipſo iure infligendam ſtatuit. Ex quo ego infero eos qui ſine vlla papæ diſpenſatione ingrediuntur vltra portas domus alicuius monaſterij ſororum ordinis ſanctæ Claræ, aut ordinis prædicatorum eſſe ipſo facto excommunicatos, quāuis propter monaſterij diſformationem & diſſolutionem, & ſuperioris prælati negligentiam & diſsimulationem, moniales ipſæ multis ſuæ domus portas aperire & liberam introeundi facultatem cõcedere conſueuerint. Nam introitus ad huiuſmodi moniali ū domos eſt ſub excõmunicationis ipſo facto incurrendæ pœna apoſtolica authoritate interdictus. Illi ergo quibus non eſt ab D
eadem authoritate apoſtolica conceſſa facultas ad intrandum in huiuſmodi monialium monaſteria, ipſo facto poſtquam eadem monaſteria intrauerint, incidunt in excommunicationem: niſi fortè intrarent, propter ignorantiam inuincibilem, putantes id ſibi licere. Nec illis poteſt vllo pacto ſuffragari longæua multorum ſine huiuſmodi licentia intrantium conſuetudo. Quia etſi multi ad huiuſmodi monaſteria ſine ſedis apoſtolicæ conceſsione intrare conſueuerint, non tamen conſueuerunt ſic intrantes ab excommunicatione præſeruari, & ab illa liberi eſſe, ſed quotquot ſic intrauerunt, in excommunicationem inciderunt, præſertim cùm non in omnibus talibus monaſteriis ſit talis conſuetudo introducta, ſed multa alia ſint ſimilia monaſteria, quæ omnem, quam debent, ſeruant clauſuram. Nam ſi apud omnia eſſet introducta talis conſuetudo, tunc (vt poſtea dicemus) excommunicatio eſſet nulla, propterea quòd præceptum de non intrando talia monaſteria, vnde excommunicatio pendet, eſſet per talem conſuetudinem ſublatum. Nam primus qui abſque ſummi pontificis licentia

A tia auſus eſt aliquod iſtorum monaſteriorum intrare, vt ex dictis conſtat, ipſo facto incidit in ſententiam excommunicationis. Et in eandem ſententiam incidit ſecundus, qui eodem modo ingreſſus eſt: quia poſt ingreſſum primi poteſtas illius canonis non eſt vllo pacto diminuta, ſed retinet eaſdem vires circa ſecundum, quas habuit circa primum. Et idem propter eandem rationem neceſſariò dicere oportet de tertio, ſicut de ſecundo, & de quarto ſicut de tertio, & ita de omnibus conſequenter. Quia per nullum proximè ſequentem decreſcit magis canonis aut legis poteſtas, quàm per proximè præcedentem illum. Franciſcus Zabarella Cardinalis in proœmio Clementinarum.§. Vniuerſitati, refert Matthæum quendam hanc noſtrã tueri ſententiam, dicitque illum ad huius ſententiæ probationem citare capitul. Si quis venerit, de maioritate & obedientia, & capitul. Veſtra, de locato, & capitul. ſecund. de conſtitutionibus libro ſexto, & capitul. Catholica. xj. diſtinct. Sed certè (vt ingenuè loquar) nullus illorum textuum poteſt vllo pacto huic ſententiæ fauere. Nam illud capit. Si quis venerit, licet probet homines poſſe cogi ad *Franciſc. Zabarel.*

B obſeruationem epiſcopalis ſtatuti, non tamẽ probat quòd ante talis ſtatuti receptionem, aut poſt illius receptionem, ſuccedente poſtmodum conſuetudine contraria, incidant in pœnam ab eodem ſtatuto decretam. Alij textus ab eo citati (vt notum eſſe poteſt cuicunque illos diligenter conſideranti) nihil prorſus ad rem iſtam faciunt. Huius Matthæi ſententiam ſequitur Andræas Tiraquellus in commentariis ſuper legem, Si vnquam. C. de reuocandis donationibus, in verbo, Reuertatur, quum recenſet diſcrimina inter legem, quæ continet ſententiam latam, & quæ continet ferendam, diſcrimine xxiij. Sed nec iſte meliora pro ſe adducit quàm Matthæus. Et quod magis miror non citat Abbatem, qui (vt diximus) contrariam tenet ſententiam: qui tamen Tiraquellus aliâs ſolet eſſe in citationibus tam prolixus, vt ſæpe faſtidium præbeat. *Andræas Tiraquellus.*

Sed videamus quid pro ſe offerat Panormitanus, vt ſuam ſententiam meritò tueri videatur. Non enim gratis & ſine ratione id dixit, ſed motus ex ſententia capituli, Cùm multæ. decimaquinta quæſtione octaua, vbi concilium Toletanum nonum, ex cuius capite decimo ſumptus

eſt ille textus, præcipit vt filij clericorum ex deteſtando C
connubio nati, maneant in ſeruitute eius eccleſiæ, de cuius ſacerdotis vel miniſtri ignominia nati ſunt. Hæc lex (vt Panormitanus ait) pœnalis eſt, & latam ſententiam continens: per longæuam tamen conſuetudinem derogata eſt, vt eſt manifeſtum. Huic argumento multipliciter reſpondere poſſumus. Primò dicendo legẽ illam non obligaſſe vnquam, quia non à generali, ſed à prouinciali concilio fuit condita, & fortè fuit per ſummum pontificem reuocata, aut per reges omnino repulſa, & minimè recepta. Quod vel ex eo ſuſpicari licet, quòd ex nulla fide digna hiſtoria conſtat illius legis vſum fuiſſe vnquam in Eccleſia, nec ſaltem in Hiſpania, in qua fuit illud concilium celebratum, & pro cuius remedio fuerat illud decretum conditum. Et certè ego libentius crederem legem hanc fuiſſe à regibus prorſus reiectam, quia non de eccleſiaſticis perſonis aut de rebus eccleſiaſticis ſed de merè laicis decernit, & ſubditos regiæ poteſtatis ſine illius culpa minuit. Nam etſi clerici ſint eccleſiaſticæ poteſtati ſubiecti, illorũ tamen filij antequam ad eccleſiæ miniſterium admittãtur, ſeculari poteſtati ſubduntur. Cùm igitur illi in ſeruitutem eccleſiæ traduntur, D conſtat iniuriam per hoc ſeculari poteſtati fieri, quia ſine illius culpa ſubditi illius remouentur ab illa. Præterea, etſi concedamus poteſtatem eccleſiaſticam potuiſſe talem legem, regibus etiam inuitis, condere, & aliquando executioni mandatam fuiſſe, nihil tamen per illam contra noſtram concluſionem agi poteſt. Quia lex illa, vt ex verbis illius facilè cognoſci poteſt, non latã ſed ferendam ſententiam continet. Verba enim illius legis hæc ſunt. Proles autem aliena pollutione nata non ſolum hæreditatem nunquam accipiet, ſed etiam in ſeruitute eius Eccleſiæ, de cuius ſacerdotis vel miniſtri ignominia nati ſunt, iure perenni manebũt. Hactenus verba legis. In his verbis duæ pœnę cõtra filios clericorũ decernuntur. Prima eſt priuatio hæreditariæ ſucceſsionis: & hęc per ſentẽtiã latã exprimitur. Quia licet per verbũ futuri temporis pœna illa ſtatuatur, tamen quia præcedit negatio vniuerſalis, cõuincitur ſententiã latam illic cõtineri, iuxta ea, quæ cap. vij. huius ſecundi libri diximus. Secunda pœna eſt illa, per quam eoſdẽ clericorum filios eccleſiæ ſeruituti ſubdit. Sed hæc ſententiam ferendam

Reſponſio prima.

Reſponſio ſecunda.

A dam continet: quia per verbum futuri temporis affirmatiuè poſitum & ſine vlla præcedenti negatione ſtatuitur. Nam huiuſmodi verbum, vt capite primo huius ſecundi libri diximus, ſemper ſententiam denotat ferendam. Etſi res eſt dubia, vt ibidem diximus, ſemper eſt interpretandum ſententiam contineri ferendam, & non latam. Eſt ergo lex illa ita interpretanda, vt iudex, ad quem hæc res ſpectat, poſtquam legitimè cognouerit prolem eſſe à clerico in ſacris conſtituto genitam, illam eccleſiæ ſeruituti adiudicet. Sed quia hæc lex pœnalis potuit per ſententiam latam ſicut per ferendam ſtatui, & tunc maneret plena vis argumenti, ideo aliter adhuc & melius reſpondeo. Dato igitur, diſputationis gratia, quòd lex illa ſententiam contineat latam, dico illam non fuiſſe derogatam per conſuetudinem illi contrariam, ſed quia eccleſia, ad quam illa filiorum ſeruitus pertinebat, non exigendo talem ſeruitutem, videtur apertè renunciaſſe iuri ſuo. Quando autem eccleſia cœpit non exigere illam ſeruitutem, nihil contra legem faciebat, aut omittebat. Quoniam lex illa non præcipiebat eccleſiæ, vt ſeruitutem filiorum exigeret, ſed ſolùm conſtituebat filios illos in ſeruitute eccleſiæ. Qua conceſsione eccleſiæ data, poterat illa non exigere ſeruitutem illam, ſatis ſibi eſſe putans, quòd parata erat recipere illos filios in ſeruos, quum patres offerrent illi, aut ipſimet filij ſe ipſos in ſeruos illi dederent. Et ita conſtat falſum eſſe quod poſtea in ſui fauorem Panormitanus addit, dicens eccleſiam non exigendo contrauenire illi legi. Quia (vt dixi) lex illa non præcipit eccleſiæ vt exigat, ſed ſolùm dat illi ius & poteſtatem ad exigendum ſi velit, cui iuri illa renunciare videtur, cùm non exigit. Ex quibus apertè conuincitur, legem illam non eſſe derogatam per cõtrariam conſuetudinem, ſed per conſuetudinem non exigendi derogatum eſt ius quod eccleſia habebat ad exigendum. Vt autem quod dico apertius oſtendam, inſpiciamus, vt ſuprà fecimus de excommunicatione, primam exactionis omiſsionem: quando videlicet primò neglexit exigere alicuius filij ſeruitutem. Per talem omiſsionem nulla incipit conſuetudo contra legem: quia etſi eccleſia tunc non exegit ſeruitutẽ filij, filius tamen verè erat ſeruus eccleſiæ. Quia ſi lex illa (vt ſupponimus) continet ſen-

Reſponſio tertia.

B

tentiam latam, non indiget aliquo hominis miniſterio ad C illius executionem, & inde vlterius ſequitur, vt antequam eccleſia exigat, ille filius ſit eccleſiæ ſeruus,& eccleſia habeat verum illius dominium, licet non habeat illius poſſeſsionem. Nam ſimile cōtingit, iuxta omnium opinionem,in hæretico, aut in eo qui crimen læſæ maieſtatis commiſit,qui antequam fiſcus ab illo bona exigat, ille eſt priuatus dominio bonorum ſuorum, & fiſcus habet dominium illorum,quamuis non habeat poſſeſsionem. Ad eundem modum etiam tunc quando eccleſia primò omiſit exigere ſeruitutem alicuius filij clerici,eccleſia habebat dominium illius filij, licet non habebat poſſeſsionem, Ex quo apertiſsimè conuincitur, quòd per illam primam exactionis omiſsionem, nulla incepit conſuetudo contra ſeruitutis legem: quia per talem omiſsionem eccleſia non amiſit dominium illius filij clerici, quamuis(vt dixi)non acceperit poſſeſsionem illius. Et idem per omnia dicere oportet de ſecunda exactionis omiſsione, aut negligentia: quia eadem eſt ratio de ſecunda, quæ fuit in prima: & de tertia,quæ fuit in ſecunda: & ſic conſequenter de reliquis omnibus,quouſque veniatur ad vltimam, quæ facit complementum conſuetudinis,id eſt,quæ ſimul cum aliis ſufficeret ad perfectam producendum conſuetudinem. Nam in D qualibet illarum omiſsionum, aut negligentiarum vſque ad vltimam, ſemper Eccleſia quamuis non exigat ſeruitutem filij, habet illius filij dominium. Et inde ſequitur, per nullam illarum omiſsionum incipere conſuetudinem contra legem, quia per nullam illarum fit, aut omittitur aliquid contra legem, cùm lex illa) vt apertiſsimè conſtat) non præcipiat fieri exactionem ſeruitutis, ſed ſolùm conſtituat ipſos filios in ſeruitute, quæ ſeruitus in omnibus illis omiſsionibus & negligentiis (vt probatum eſt) ſemper manſit, quamuis talis ſeruitutis poſſeſsio (vt iam ſuprà dixi) non fuit tradita eccleſiæ. Sed dices. Quomodo igitur lex illa ſuas vires adeò amiſit, vt nihil prorſus efficere valeat, ſi illa neque per legem aliam,neque per cōtrariam conſuetudinem fuit reuocata?Reſpondeo legem illam eſſe reuocatam per tacitam Eccleſię renunciationem, qua iuri ſuo ſe renunciaſſe oſtendit. Hæc autem iuris renunciatio ex ipſa cōſuetudine non exigēdi oſtenditur.Con-

ſuetudo

A ſuetudo illa non exigendi ad hoc ſolum valet, vt per illam intelligamus Eccleſiam renunciare iuri ſuo. Quia in qualibet exactionis omiſsione aut negligentia oſtendit ſe renunciare dominio alicuius filij clerici, quod ſibi erat lege conceſſum, & legis authoritate acquiſierat. Poſtquam tot vicibus exigere neglexerit, quot ſufficiant ad efficiendum in ea re conſuetudinem, tunc apertè re ipſa declarat ſe renunciare iuri ſuo. Hac renunciatione per talem conſuetudinem declarata, per ipſam renunciationem reuocatur lex, quę filios clericorum faciebat ſeruos eccleſiæ. Quia eccleſia nolente accipere filios clericorum in ſeruos, eò ipſo ceſſat lex, quæ illos faciebat ſeruos eccleſiæ. Nam vt quis aſſequatur nouum in re aliqua dominium, non ſatis eſt quòd res ſit illi donata ab eo, qui donare poterat, ſed oportet vt ille, cui donatur, illi donationi conſentiat, & illam admittat. Quia ſi ille non conſentit donationi, & illam recuſet, non acquiret dominium, quamuis alter donet. Quum igitur eccleſia per multas exactionis negligentias tacitè oſtendit ſe nole accipere in ſeruos filios clericorum, ſtatim ceſſauit virtus legis, quæ illos eccleſiæ ſeruos facie-
B bat. Reuocatur itaq; lex per tacitam eccleſiæ renunciationem, qua illa renunciauit dominio, quod lex illi concedebat. Renunciatio autem illa innoteſcit per conſuetudinem non exigendi, quod erat illi per legem conceſſum. Manet igitur firma & conſtans noſtra ſententia, qua dicimus legem pœnalem, quæ ſententiam continet latam, nunquam reuocari per ſolam conſuetudinem.

Alterum ego volo contra hanc meam ſententiam obiicere argumentum, quod magis vrgere videtur quàm illud quod Panormitanus contra illam obiecit. Aliquæ ſunt excommunicationis pœnę per ſententiam latam à iure ſtatutæ, quæ tamen per conſuetudinem contrariam abrogatæ ſunt: ergo lex pœnalis ſententiam latam continens, poteſt derogari per conſuetudinem. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur per exempla illarum excommunicationum, quæ olim (vt dicitur) latæ ſunt contra non reuelantes ſimoniam, & contra aliquid dantes pro impetranda aliqua gratia aut iuſtitia in curia Romana, quę omnes, propterea quòd illarum vſus receſsit, omnium cōſenſu dicuntur eſſe ſublatæ. Poteſt etiam dari exemplū de illa excom-

municatione,quæ in vltimo concilio Lateranenſi ſub Leone decimo ſeſsione nona lata eſt contra eos qui imprimunt, aut imprimi faciunt librum aliquem ſine præuia legitima examinatione libri. Vt apertè ad hoc argumentum reſpondeam, & clarius meæ opinionis ſententia intelligatur, oportet conſiderare duo in huiuſmodi legibus pœnalibus, quæ ſententiam continent latam. Primum eſt id quod lege præcipitur. Alterum eſt ipſa excommunicatio, aut quæuis alia pœna, quæ contra illius præcepti tranſgreſſorem ſtatueretur. Si primum eſt ſola lege humana & non diuina præceptum, prout eſt reuelatio ſimoniæ,& examinatio libri imprimendi,per cõſuetudinem poterit huiuſmodi obligatio tolli. Ablata talis præcepti obligatione, eo ipſo tollitur obligatio pœnæ, quæ fuerat contra tranſgreſsionem præcepti ſtatuta. Talis igitur obligatio pœnæ non tollitur per conſuetudinem,quæ ſit contra ſolam pœnam, ſed per conſuetudinem contra id, propter quod fuit pœna ſtatuta, & ex quo pœna pendebat. Et vt rem hanc manifeſtius declarem, ſupppono aliquem certum numerum operationum aut omiſsionum eſſe neceſſarium & ſufficientem ad complendam conſuetudinem,quæ valeat derogare legi. Sit igitur diſputationis gratia tertia operatio aut omiſsio. Primus ergo, qui librum imprimendum examinare omiſit,incepit conſuetudinem contra examinationem libri faciendam, ſed ſic examinare ex induſtria omittens peccauit, & per conſequens fuit excõmunicatus. Quia circa primum illum lex illa plenam tunc habebat obligandi poteſtatem, cùm legiſlatoris poteſtas non penderet ex voluntate & conſenſu illius. Et idem dicendum eſt de ſecundo & tertio, qui librum imprimendum examinare ſciens omiſit. Nam vterque illorum, ſic omittendo examinationem facit contra pręceptum de examinatione facienda, & peccauit: ſed neuter illorum euaſit excommunicationem. Ecce iam in tertio completam & perfectam conſuetudinem cõtra examinationem librorum imprimendorũ,& nondum inceptam cõſuetudinem contra excõmunicationẽ. Quia (vt iam dixi) tertius qui omiſit, fuit excõmunicatus. Si poſt iſtos tres alius quartus omittat examinare librum imprimendum, iam ille ſic omittendo non peccat: quia per conſuetudinẽ quę (vt ſuppoſui) fuit cõpleta

A in precedẽtibus tribus omiſsionibus, fuit taliter ablata obligatio præcepti de examinatione librorum, vt iam nullam habeat poteſtatem obligandi quartum. Tali ergo obligatione præcepti ſublata, tollitur etiam poteſtas excommunicationis, quæ ex illa obligatione præcepti pendebat: quia excommunicatio nõ poteſt eſſe niſi pro peccato mortali. Iſte ergo quartus eſt primus, qui omittens libri examinationem deſiit excommunicari. Et inde conuincitur excommunicationem illam à iure latam non eſſe abrogatam per conſuetudinem contra illam ſolam, cùm ſit ille primus, qui excommunicari deſinit: ſed eſſe ſolùm abrogatam per reuocationem præcepti, ex quo pendebat excommunicatio. Præceptum ergo de examinatione librorum tollitur per conſuetudinem non examinandi: poteſtas verò excõmunicationis tollitur per reuocationnem illius præcepti. Et hoc idem dicendum eſt de omnibus excommunicationibus, quę conſuetudine accedente ſublatæ ſunt. Quod ergo dixi, legem pœnalem, quæ ſententiam continet latam, non poſſe per conſuetudinem derogari, ita intelligi volo, vt obligatio pœnæ non tollatur per conſuetudinem, quæ ſit contra ipſam pœnam ſolam. Nam ſi

B conſuetudo ſit contra præceptum, propter cuius tranſgreſſionem imponitur pœna, poterit ipſa pœna mediatè tolli per ablationem talis præcepti. Sed manente obligatione præcepti nunquam per ſolam conſuetudinem contra pœnam tolletur obligatio pœnæ à iure impoſitæ. Si tamen lex pœnalis ſtatuit pœnam à iudice inferẽdam, poterit derogari poteſtas legis in ordine ad pœnam inferendam per ſolam conſuetudinem contra ipſam pœnam, manente adhuc obligatione eiuſdẽ legis in ordine ad id, propter quod imponitur pœna. Vt, gratia exẽpli, ſi ad euitanda ſuperflua & exceſsiua mulierum ornamẽta, lex præciperet nullam mulierem portare monilia aurea, & quæ portauerit priuari illis, & inſuper duodecim aureos ducatos ſoluere fiſco: manente obligatione huius legis ad non portandum monilia, & manente virtute & poteſtate illius legis ad priuationem illorum, poteſt derogari poteſtas illius legis ad exactionem decem ducatorum aureorum per ſolam conſuetudinem non exigendi illos.

Secunda concluſio. Si lex pœnalis ſtatuat pœnã aliquam

contra reum certam & taxatam à iudice inferendam, non C poteſt iudex ſine culpa ſua pœnam illam remittere. Hæc

Prima ratio. cõcluſio multipliciter probatur. Primò ex primatu & principatu, quem lex habet ſupra iudicem, ſicut ſupra eos, qui à iudice iudicandi ſunt. Non eſt enim lex ſubiecta iudici, ſed iudex eſt ſubiectus legibus, vt ſecundum illas iudicare teneatur, & nõ ex arbitrio ſuo: quia ſæpe iudicium illius ira, aut odio, aut cupiditate, aut libidine deprauari poteſt. At lex poſtquã ſemel ex conſilio & recta ratione inſtituta eſt, nullo iſtorum affectuũ ſubiicitur, ſed ſemper in eodẽ permanet ſtatu: & inde euenire neceſſe eſt, vt iudex ſecundum

Ariſtot. illam iudicans errare nõ poſsit. Ideo Ariſtoteles in quinto Ethicorum cap. vj. dicit nõ eſſe permittendũ vt homo dominetur, ſed ratio: quia homo in ſuam ſolùm vtilitatẽ ordinabit dominium, & fiet Tyrannus. Et libro ij. Politicorum cap. viij. iterum ſic ait. Non ſecundum legem ſcriptam iudicare, ſed ſecundum quod ſibi videtur, periculoſum eſt. Et lib. iij. Politicorum rurſum ait. Nihil adeo vt leges rectè poſitæ debent dominari. Ille autem qui reipublicæ præeſt, ſiue vnus hic ſit, ſiue plures, in iis poteſtatem habere debet, de quibus leges exactè cauere non poſſunt, ex eo, quia non D facilè ſit generali ſermone ſingulos caſus comprehendere. Et capite xij. eiuſdem libri eandem ſententiam fortius confirmat, ſic inquiens. Qui legem præeſſe iubet, videtur iubere Deum præeſſe & leges: qui autem hominem iubet præeſſe, adiungit & beſtiam. Libido quippe talis eſt: atque ira obliquos etiam agit viros optimos, qui ſunt in poteſtate. Propter quod mens abſq; appetitu lex eſt. Hactenus Ariſtoteles, qui tantam tribuit legi iuſtæ poteſtatem & gloriam, vt aliter quàm illa decernit, iudicare non permittat, & qui ſecundum illam iudicauerit, quaſi Deum, aut loco Dei præſidentem eſſe pronuntiet. Et huic Ariſtotelis ſententiæ conſentit id, quod Pauſanias Pliſtanactis (vt Plu-

Pauſanias. tarchus refert) ad quendam interrogantem cur ex priſcis legibus nullam mouere apud Spartiatas liceret, quia leges,

Plutarc. inquit, hominum, non homines legum dominos eſſe oportet. Ex iſtorum omnium ſententia conſtat, leges eſſe ab omnibus ſeruandas, & non pro iudicis arbitrio infringendas. Peccat ergo iudex, qui pœnam à lege ſtatutam reo infligere negligit, aut illi remittit. Quia leges humanæ

(vt

A (vt libro primo apertiſsimè probauimus) obligant ſubditos illarum tranſgreſſores ad culpam aliquando venialem, aliquando mortalem: iuxta varietatem verborum quibus illæ vtuntur,& rerum de quibus decernunt. Sicut ergo cæteri ſubditi peccant, quum leges in his, quæ ad eos ſpectant, tranſgrediuntur: ita etiam oportet vt iudices peccent, quum tranſgrediuntur leges in his, quæ illos facere oportet. Vbi autem lex pœnalis ſententiam ferendam continet, iudicem reſpicit, & non reum: & ad iudicem verba referuntur, & non ad reum. Quoniam (vt capitulo ij. huius ſecundi libri diximus) quando lex ſententiam ferendam continet, reus contra legem agens, non tenetur ſibi ipſi inferre pœnam, quamuis pecuniaria ſit, niſi poſtquam fuerit à iudice ad illam damnatus. Obligat autem huiuſmodi lex aliquem ad pœnæ inflictionem, & non reum, ergo iudicem. Ab hac tamen ſententia excipere oportet eas leges, quæ ex intentione ipſius legislatoris manifeſtis verbis declarata, non obligant ſubditos ad peccatum, prout ſunt ſtatuta fratrum minorum, & fratrum prædicatorum, quæ (vt libro primo diximus) non
B obligant ad culpam. Et ſicut non obligant ſubditos, ita nec eorum prælatos: & inde ſequitur vt iſtorum ordinum prælati remittentes reis pœnas in ſuis ſtatutis expreſſas, ex ſola ratione talium ſtatutorum non peccent. Sed vbi leges obligāt ad culpam præſides perinde ac ſubditos, peccaret iudex qui reo pœnā à lege expreſſam & taxatā remitteret. Et huic ſententiæ fauet Auguſtinus, qui ſuper illud pſalmi quinquageſimi ſeptimi. Molas leonum confringet dominus, hæc ait. Iudex enim non poteſt niſi legibus ſuis iudicare. Hæc ille. Et idem dicit apertius in capitulo, In iſtis, quarta diſtinctione. Præterea, Iudex remittens reo pœnam à lege ſtatutam, nocet illi, quem reus offenderat, & non reddit illi ius ſuum, ergo iniuſtè agit, & per conſequens peccat. Nam ille, qui ab alio offenſus eſt, ius habet petendi à iudice iniuriæ ſibi illatæ ſatisfactionem. Deus enim ait ſe pro nobis vindicaturum iniurias noſtras, & ideo præcipit, vt non ſumamus manibus noſtris vindictam de inimicis noſtris, ſed omnem noſtram vindictam illi relinquamus. Non voſmetipſos defendentes chariſsimi (ait Paulus) ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim:

Auguſti.

Secunda ratio.

Rom. 12.

Deut.32. Mihi vindictam,& ego retribuam , dicit dominus. At,qui C
vindictam à iudice petit,à Deo,cuius loco & nomine iudex
præeſt,petere videretur. Nam iudex ille (vt Paulus ait) Dei
Rom.13. miniſter eſt,vindex in iram ei,qui malum agit. Quæ verba
Anſelm. interpretans Anſelmus in commentariis ſuper epiſtolas
Pauli,ait. Ideo princeps ſeculi eſt miniſter Dei,vt vice eius
interim vltionem faciat , & iudicium eius præfiguret.
Quoniam fortia quæque crimina quę vindicari vult Deus,
non per antiſtites & rectores eccleſiarū,ſed per mundanos
iudices voluit vindicare. Et hoc ſciens Apoſtolus , rectè
eum miniſtrum nominat,& vindicē in eum qui malè agit.
Hæc Anſelmus. Ex quibus verbis conſtat eum,qui à iudice
vindictam , hoc eſt , ſuæ iniuriæ ſatisfactionem petit , ius
ſuum petere, & per conſequens iudicem obligatum ad hoc
illi reddendum. Quod ſi non fecerit , iniuſtè faciet , & iniuriam
paſſo nocebit. Quia non reddit illi iniuriæ recompenſationem
, quæ eſt per legem ſtatuta. Lex enim , quæ
iubet punire eum qui alteri iniuriam infert, quandam per
hoc reddit illi , qui eſt paſſus iniuriam , honoris reſtitutionem
, dum punitione illa declarat iniuriatorem iniuſtè
feciſſe,& offenſum fuiſſe iniuſtè iniuria affectum. Et inde D
euidenter conuincitur iudicem , qui pœnam contra eum,
qui alium offendit , à lege ſtatutam remittit , iniuſtè agere,&
per conſequens peccare. Rurſum , Iudex qui reo pœnam
à lege ſtatutam dimittit , etſi nemini particulari noceret,
toti tamen reipublicæ , cui præeſt , nocere conuincitur.
Expedit enim reipublicæ crimina publica puniri , vt
alij pœnæ timore perterriti , à vitiis abſtineant. Si autem
crimen aliquod publicum impunitum relinqueret iudex,
ipſa impunitate non paruam aliis præberet delinquendi
occaſionem , quæ magnum inferret reipublicæ nocumentum.
Ideo Deus in lege veteri, poſtquàm præceperat vt is,
qui populum à Dei lege auertere curaret, interficeretur,&
lapidibus obrueretur , ſtatim cauſam huius punitionis ex-
Deut.13. plicans ſubdidit. Vt omnis Iſraël audiens timeat, & nequaquam
vltra faciat quippiam huius rei ſimile. Accedit
ad hæc omnia , quòd iudex negligens punire reum iuxta
pœnam à lege ſtatutam, punitur ipſe à ſuperiore, & aliquando
eadem pœna , quam lex contra reum ſtatuerat , &
ipſe reo inferre neglexerat. Nam facientes & conſentien-

Tertia ratio.

tes

A tes par pœna conſtringit, vt docet Paulus ſic inquiens. Non ſolùm qui talia agunt, digni ſunt morte, ſed qui agentibus conſentiunt. Conſentire autem, vt ibidem ait gloſſa, eſt tacere quum poſsis arguere. Ex quibus conuincitur Paulum Burgenſem in additione prima ſuper Leuitici caput vigeſimum malè intellexiſſe literam illius capituli, & iniuſtè reprehendiſſe Nicolaum Lyranum, qui iuxta veram verborum ſignificationem literam illam interpretatus eſt. Et vt apertius oſtendam iniuſtam eſſe Pauli Burgenſis reprehenſionem, operæpretium erit ipſam ſacram literam hîc ob oculos ponere. Poſtquã dominus præceperat vt populus occideret, & lapidibus obrueret eum, qui dediſſet de ſemine ſuo idolo Moloch, ſtatim cõtra populum hoc facere negligentem, hæc quæ ſequuntur, ait. Quòd ſi negligens populus terræ, & quaſi parui pendens imperium meum dimiſerit hominem, qui dedit de ſemine ſuo Moloch, nec voluerit eum occidere, ponam faciem meam ſuper hominem illum, & cognationem eius: ſuccidámq; & ipſum, & omnes qui conſenſerunt ei, vt fornicaretur cum Moloch de medio populi ſui. Hactenus verba ſacræ ſcripturæ. Circa quam, B indoctis & parum in ſacra ſcriptura verſatis proſpicere volens, ne quid à litera longiſsimè alienum ſuſpicentur, admonere decreui, vt intelligant fuiſſe tunc apud gentes nefandam & horribilem idololatriam, qua parentes filios ſuos (quos hîc appellat ſeminis nomine) dæmoniis ſacrificabant: & hanc idololatriam hoc loco vocat fornicationem. Moloch autem erat nomen idoli, cui illud tam horrendum ſacrificiũ offerebatur. Hoc præmonito, veniamus ad ſententiam Nicolai Lyrani, qui illam ſacram literam interpretans, hęc ait. Et quo patet, quòd illi qui debent corrigere crimina, ſi negligant, conſentientes reputantur, & eandem pœnam incurrunt. Hæc ille. Quam ſententiam reprehẽdere cupiens Paulus Burgenſis in additione prima illius cap. hæc inquit. Ex hac litera non habetur, quòd negligẽtes crimina eandem pœnã incurrant, ſed ſolùm ſi ſunt conſentientes. Dicitur enim in litera. Succidámq; ipſum, & omnes qui conſenſerunt ei. Non enim dixit. Et omnes qui neglexerint, ſed qui conſenſerint. Ex quo patet, quòd negligentes licet ſint digni pœna, non tamen eandem pœnam incurrunt ſicut tranſgreſſores, niſi cũ hoc ſint con-

Rom. 1.

Leui. 20.

Nicolaus Lyran.

Paulus Burgen.

ſentientes. Hactenus Burgenſis. Quo loco nõ poſſum non mirari, quòd Mathias Doring, qui Nicolai Lyrani patrocinium contra Paulum Burgenſem ſuſcepit, nihil hoc loco, vbi iuſtam habebat tutelã, pro illo reſpondet, cùm tamen alibi iniuſtam ſumens cauſam illum pro viribus tueri nitatur. Paulus Burgenſis (vt ex illius verbis conſtat) putat non eſſe dicendum conſentientem, niſi qui præcipit, aut conſulit, aut aliquid aliud ſimile facit: & non qui tacet cùm loqui deberet, aut qui omittit facere id quod erat facere obligatus. Qua in re illum apertiſsimè falli conuincitur per id, quod ex gloſſa ad Romanos primo citauimus. Conſentire eſt tacere cùm poſsis arguere. Et in cap. Qui alios, de hæreticis, ſic dicitur. Qui alios ab errore non reuocat, ſeipſum errare demonſtrat. Et in cap. Error. lxxxiij. diſtin. Error, cui non reſiſtitur, approbatur, & veritas quum minimè defenſatur opprimitur. Negligere quum poſsis perturbare peruerſos, nihil eſt aliud quàm fouere. Et multò apertius eſt quod ait Gregorius in cap. Conſentire, eadem diſtin. Conſentire, inquit ille, videtur erranti, qui ad reſecanda quæ corrigi debent, non occurrit. Deniq; hoc ipſum apertè docet regula iuris in ſexto, quæ ait. Qui tacet, conſentire videtur. Et certè ſi Paulus Burgenſis diligenter (vt oportebat) literam illam ſacram ſuprà citatam inſpexiſſet, euidenter intellexiſſet, eos illic dici conſenſiſſe qui fuerunt negligentes occidere hominem qui dederat de ſemine ſuo Moloch. Nam aliàs nulla illic ſtatueretur pœna contra populum illum negligentem. Quod autem ſic conſentientes eadem ſint pœna puniendi, qua facientes puniri deberent, apertè docet Paulus, qui de ſic conſentientibus (vt gloſſa ibidem interpretatur) loquens, dicit eos dignos eſſe morte, deinde ac illi qui mala faciunt. Et in capit. Facientis. lxxxvj. diſtinct. dicit Ioannes papa huius nominis octauus. Facientis culpam proculdubio habet, qui quod poteſt corrigere negligit emendare. Hæc ille. Si eandem habet culpam, conſequens eſt vt eadem ſit pœna puniendus. Sed hoc licet ſemper obſeruatur in iudicio diuino, propterea quòd illud ſit certiſsima & infallibilis regula: in iudicio tamen humano nõ ſeruatur perpetuo tenore, ſed aliquando eadem pœna, aliquando alia punit conſentientes, & per conſequens iudices, qui pœnam à lege ſtatutam reo infligere

Marginalia: *Mathias Doring.* (beside "mirari"); C (right, line 1); D (right, beside "aperte docet regula"); *Roma. 1.* (beside "aperte docet Paulus")

gere

A gere negligunt. Et hæc pœnarum differentia inde euenit, quòd(vt aliàs dixi) nulla lege naturali, quæ eadem eſt apud omnes, probari poteſt aliquod crimen eſſe hac aut illa pœna puniendum. Quia licet lex naturalis ſit, vt crimina puniantur, qua tamen pœna ſint illa punienda, lex naturalis non docet. Et ideo optimè potuit lex aliquando ſtatui, quæ iudices negligentes eadem pœna puniri præceperit, qua eſſent malefactores puniendi: & rurſus alia, quæ aliquando iudices alios negligentes alia pœna præciperet eſſe puniendos. Eadem pœna punitur iudex, qui crimen punire neglexit in caſibus legum hîc expreſſarũ, videlicet. l. Nulli. C. Ne ſacrum baptiſma reiteretur. l. Seruos. C. Ad legem Iuliam, de vi publica. l. vnica. C. de priuatis carceribus inhibendis. l. Sancimus. C. de iudiciis. Et in cap. Vt clericorum mores, de vita & honeſtate clericorum. Ex iure regni Caſtellæ in cõpilatione antiquarum pragmaticarum, pragmatica lvij. quæ eſt de præfectis vrbium, capit. xxv. præcipitur vt iudex, qui blaſphemo pœnam à lege regni decretam infligere neglexerit, eadem pœna puniatur, qua blaſphemus eſſet iuxta legem puniendus. Sed ex his particulari-

B bus legibus non licet inferre regulam generalem, vt ſemper iudex negligens punire reum, ſit eadem pœna puniendus, qua reus puniri debuiſſet. Quia inde ſequeretur iudicem, qui latronem aut homicidam occidere neglexit, eſſe morte puniendum: quod iure humano minimè probatur. Præterea, ſunt aliæ particulares leges, quæ iudices negligentes non eadem pœna, ſed alia longè diuerſa punire iubent. Nam in l. Nemo venerantis. C. de paganis, iubetur vt iudex negligens inferre pœnã, quæ illic contra idololatras decernitur, quinquaginta libras auri fiſco reddere cogatur. Ex iure regni Caſtellæ iudex, qui clericorũ concubinis non infert pœnam à lege eiuſdem regni ſtatutam, non punitur eadem pœna, qua illa eſſet punienda, ſed alia longè diuerſa: vt patet. l. xxj. & xxiij. & xxiiij. titulo tertio, libro primo ordinationum regalium. Ex quibus omnibus conuincitur falſum eſſe quod Felinus Hoſtienſem (vt ipſemet ait) ſequutus dicit in capit. Qualiter. §. Ad corrigendos, de accuſationibus, iudicem negligentem ſemper eadem pœna eſſe puniẽdum, qua reus puniri debuiſſet. Quia licet in caſu, de quo decernitur in l. Nulli. C. Ne ſanctum baptiſma reiteretur,

Felinus. Hoſtiẽſis.

tur, hoc fieri præcipiatur, ex illo tamē particulari caſu non C
licet (vt dixi) colligere ſemper ſic eſſe faciendum: præſertim cùm argumentum ab identitate rationis (vt libro primo capite ſeptimo dixi) in legibus pœnalibus ſit prorſus inualidum. Sed his omiſsis, quæ occaſio oblata me dicere coegit, oportet vt ad tertium principale argumentum, quo ſecundam concluſionem probare nitebar, meam reuocem diſputationem. Nihil enim intereſt ad oſtendendas illius argumenti vires, quòd iudex reum pœna legis punire negligens eadem pœna puniatur, qua ille puniendus eſſet, aut alia. Satis enim eſt quòd huiuſmodi iudex ſemper ſiue eadem ſiue alia pœna puniri iubeatur, vt inde cōſtet illum iniuſtè feciſſe, & per conſequens peccaſſe, quum pœnam contra reum lege ſtatutam illi dimiſit. Nam ſi illa pœnæ remiſsio non fuiſſet iniuſta, non iuberet lex vt iudex propter illam puniretur.

Contra hanc ſecundam concluſionem argui poteſt ab exemplo Dei, qui ſæpe peccatoribus pœnam, quam merentur, remittit in hac vita, quum eorum peccata diſsimulat,
Ezech.18 vt vel ſic eos ad pœnitentiam adducat. Nolo mortem pec-
Treno. 3. catoris, inquit Deus, ſed magis vt conuertatur & viuat. Et D
ipſimet peccatores hoc agnoſcentes, dicunt. Miſericordia domini, quia non ſumus conſumpti. Ergo iudex humanus poterit diuinam miſericordiam imitari, & pœnam remittere, vt hac pietate & benignitate reum ad emendationem adducat. Sed hoc argumentum parum mouet: quia non licet in omnibus Deum imitari, præſertim in illis, quæ poteſtatem reſpiciunt. Poteſt enim Deus pro arbitrio ſuo hominem occidere, quod nullus iudex etiam ſi princeps ſit, licitè facere poteſt. Deus enim omnia poteſt, & punire & parcere quando voluerit: quia in his omnibus ſupremam ille habet poteſtatem, ita vt quodlibet iſtorum propter nullam aliam cauſam ſit iuſtum dicendum, niſi quia eſt à Deo volitum. Et ideo quia vtriuſque illorum iuſtitia ex ſola illius pendet voluntate, ideo vtrunq; illorum iuſtè facere poteſt.
Sapiē. 11. Et hoc ipſum apertè oſtendit ſapiens, quum ait. Diſsimulas peccata omnium, quia omnia potes. Ecce reddit rationem quare diſsimulat & non vult aliquando punire peccata, quia omnia poteſt. Et inde ſequitur, vt iudex humanus, quia non habet plenam poteſtatem, ſed ſubditur legi, non

poſsit

A poſsit pœnam à lege ſtatutam remittere. Eſt tamen hac ratione aliquod inter iudices diſcrimen: quòd licet inferiores iudices propter defectum poteſtatis, cùm ſint legibus ſubiecti, non poſsint cõtra legem facere, princeps verò qui ſupremam & plenam habet in republica poteſtatem, poterit in legibus ſuis diſpenſare, & per conſequens pœnam à lege ſtatutam remittere, quando hoc viderit reipublicæ, cuius curam gerit, expedire: dummodo is, qui paſſus eſt iniuriam aut damnum, velit pœnam remittere. Hanc ſententiam docet ſanctus Thomas, ſecunda ſecundæ quæſt. lxvij. artic. iiij. & poſt illum Felinus in cap. Qualiter & quãdo. §. Ad corrigendos, de accuſationibus. Sed hoc loco admonere decreui lectorem, vt bene intelligat id, quod ex ſententia ſancti Thomæ nunc dixi. Quoniam illæ duæ conditiones, non ſunt ſemper ſimul neceſſariæ, vt princeps poſsit pœnam à lege ſtatutã remittere, ſed aliquando vna, aliquando altera, aliquãdo ambæ. Quæ diuerſitas oritur ex diuerſitate eorum, quibus pœna per legem ſtatuta adiudicatur, & qui ex tali pœnæ remiſsione lædi poſſunt. Si pœna imponitur propter bonum publicum & priuatũ, vt princeps talem B pœnam remittere poſsit, ambæ conditiones ſunt neceſſariæ, videlicet quòd expediat reipublicæ talem pœnam remittere, & iniuriam paſſus conſentiat tali remiſsioni. Nam ſine illius conſenſu princeps non poſſet remittere, quia damnum ſine culpa illius non poteſt illi inferre, niſi eſſet neceſſarium reipublicæ: quia tunc commune bonum eſt præferendum particulari. Si pœna impoſita eſt à lege pro ſolo bono communi totius reipublicæ, tunc ſolus princeps qui bonum commune curat, poterit pœnam remittere non expectato aut requiſito alterius conſenſu, quando id reipublicæ expedire cognouerit. Si verò pœna eſt à lege impoſita, & non toti reipublicæ, ſed ſoli particulari perſonæ adiudicata, princeps non poterit illam poſt crimen à reo commiſſum remittere ſine conſenſu illius, cui eſt per legem adiudicata, niſi (vt dixi) propter bonum reipublicæ commune illam remittere oporteret. Nam poſtquam reus crimen commiſit, ille cui lex pœnam adiudicauit, etſi non habeat ſtatim dominium & ius in pœna illa, habet tamen ius ad illam. Quo iure non poteſt princeps illum priuare ſine culpa illius. Ita ſentit & docet Felinus in loco proximè citato,

S. Thom.
Felinus.

citato,& pro hac ſententia citat textum in l.Venia.C.de in ius vocando,& dicit Baldum,& Angelum,& Salicetum ſuper textum illum idem docere. Citat etiam Dominicum in capit.Authoritate,de priuilegiis libro ſexto, & Baldum in l.Reſcripta.C.de precibus imperatori offerendis. C

Sed nunquid ille cui pœna eſt per legem adiudicata, poterit illam proprio arbitrio remittere? Alicui fortè videbitur illum ex arbitrio ſuo id ſemper facere poſſe, quia quilibet poteſt renunciare iuri ſuo, vt dicitur in capit. Statuimus, de regularibus. Sed contrariũ fortè alij ſentient, quia talis pœnæ remiſsio vergit in damnum totius reipublicæ, cuius intereſt vt crimina publica puniantur, ne aliis detur occaſio delinquendi. Et ideo licet poſsit renũciare iuri ſuo remittendo pœnam, quæ ſibi eſt adiudicata, non tamen poteſt iuri totius reipublicæ, cui expedit vt crimina non ſint impunita. Huic quæſtioni non poteſt dari vnica & vniuerſalis reſponſio, propterea quòd nihil eſt de huiuſmodi re vniuerſaliter lege aliqua definitum. Hoc ſolum poteſt vniuerſali propoſitione ſecurè dici, nunquam hanc pœnæ remiſsionem poſſe iuſtè fieri, quando lege definitum eſt talem remiſsionem non eſſe faciendam. Sunt autem leges D aliquæ particulares tam ex iure communi quàm particulari, quæ huiuſmodi remiſsionem in rebus de quibus illæ loquuntur, omnino fieri prohibent. Nam in capit. Statutum. §. Si quid autem, de reſcriptis, libro ſexto, hæc verba habentur. Nulla eorum quibus reſtitutio facienda fuerit remiſsione vllatenus profutura eidem. Et in capit. Exigit. §. vltimo. de cenſibus, eodem libro, hæc verba referuntur. Nulla eis in hoc dantium remiſsione, liberalitate, ſeu gratia valitura. In quibus duobus locis apertiſsimè prohibetur, ne is cuius intereſt poſsit pœnam remittere. Gloſſa in illo capitulo, Statutum, in verbo, Remiſsione, quærit an poſtquam ille recepit quod lege ſibi reddi præcipitur, poſſit iterum donare illi à quo recepit,& dicit ſe credere quod poſsit donare. Quia (vt ait) hoc illi non prohibetur. Et poſtea in prædicto capitul. Exigit, in fine mittit lectorem ad ea quæ dixerat in capit. Statutum, tanquam idem putet eſſe dicendum in vtroque. Quantum attinet ad caſum illius capit. Statutum, ego libenter conſentio gloſſæ dicenti illũ qui accepit quod iudex ſibi reſtituit, poſſe illud eidem

iudici

A iudici poſtea donare, præſertim ſi tunc ille nullam coram eodem iudice proſequeretur litem. Sed in caſu alterius capitul. Exigit, ego puto non eſſe idem dicendum, quia in hoc capit. Exigit, non ſolùm prohibetur remiſsio pœnæ, ſed liberalitas, & gratia illius. Donatio autem etſi non comprehendatur ſub nomine remiſsionis, bene tamen intelligitur nomine liberalitatis, & gratiæ. In Clementina, Nolentes, de hæreticis, præcipitur inquiſitoribus hæreticorum ne prætextu officij inquiſitionis quibuſuis modis illicitis ab aliquibus pecuniam extorqueant. Et poſtea hæc quæ ſequuntur verba ponuntur. Quòd ſi ſecus in his vel eorum altero fecerint, excommunicationis ſententiæ eos ſubiacere decernimus ipſo facto. A qua nō poſsint abſolui, præterquam in mortis articulo, donec illis à quibus extorſerint, plenè ſatisfecerint de pecunia ſic extorta. Nullis priuilegiis, pactis, aut remiſsionibus ſuper hoc valituris. Hæc in Clemētina illa. In Concilio Lateranenſi ſub Leone decimo celebrato, in ſeſsione nona præcipitur, vt nullus librum aliquem ſine legitima examinatione præuia imprimere audeat, & tandem hæc verba ponuntur. Qui autem

B ſecus præſumpſerit vltra librorum impreſſorum amiſsionem, & illorum publicam combuſtionem, ac centum ducatorum fabricæ Baſilicæ principis Apoſtolorum de vrbe ſine ſpe remiſsionis ſolutionem, ac anni continui exercitij impreſsionis ſuſpenſionem, excommunicationis ſententia innodatus exiſtat. Hæc ibi. In quibus verbis etiam prohibetur pœna remitti. Præter hos quatuor caſus mihi non occurrit alius in iure communi, quo prohibeatur is cui pœna eſt reddenda, ne illam remittat. Sed ex iure ſpeciali ſcio eſſe alias multas leges, quarum aliquas hîc citari decreui, vt inde diſcat lector quid de aliis ſimilibus ſentire debeat. In conſtitutionibus ſcholaſticæ vniuerſitatis Salmanticenſis æditis, per Martinum Papam huius nominis quintum, capite xiij. poſtquam præcipitur, vt quilibet doctor aut magiſter Cathedram primæ legens quolibet anno faciat vnam repetitionem de materia lectionum illius anni, tandem imponitur pœna per hæc verba. Quod ſi non fecerit, de ſalario eidem aſsignato & debito decem francos ipſo facto amittat, applicandos vniuerſitatis arcæ, nulla remiſsione eidem aliquatenus profutura. Hæc in

conſtitutione illa. Et in cap.xxj.ſtatuitur pœna contra doctorem aut magiſtrũ,aut quemlibet alium ſtudentem concubinam publicè tenentem, & contra rectorem aut ſcholaſticum, qui prædictam pœnam nõ mandauerit executioni, & tandem hæc dicit. Nulla ſibi aut alicui ex prædictis remiſsione aliquatenus profutura. Hæc ibi. Ex legibus regni Caſtellæ, eſt aliud exemplum in cõpilatione pragmaticarum antiquarum,pragmatica xlvj.vbi fures damnantur ad ſeptuplum Regis cameræ applicandum. Sed quia in aliquibus oppidis ex regis priuilegio eſt illud particularibus perſonis applicatum,ideo lex præcipit, vt is cui pœna applicata eſt,non poſsit illam condonare. C

In his pœnis quæ per huiuſmodi leges ſtatuuntur, cenſeo illum,cui pœna eſt per legem adiudicata, non poſſe illam remittere: quia hoc eſt illi per legem interdictum, & non poteſt contra legis præceptum agere. Quòd autem dicitur quemlibet poſſe renunciare iuri ſuo, tunc ſolùm verum eſſe fateor, quando non fuerit lege prohibitus.. Nam ſicut lex prohibet aliquas perſonas,vt puta minores viginti quinque annis,ne donare poſsint, ita quum id viderit expedire, poterit prohibere alias perſonas ne poſsint remittere. D In aliis autem pœnis quæ ſunt alicui certæ perſonæ per legem adiudicatæ, in quibus nulla lex talium pœnarum remiſsionem prohibet, credo quemlibet poſſe remittere pœnam,quæ ſibi fuerit per legem adiudicata. Quia in omnibus quæ diuinæ legi non repugnant,quod nõ eſt lege humana prohibitum,intelligitur conceſſum. Quòd autem obiicitur talem pœnæ remiſsionẽ vergere in damnum reipublicæ, cuius intereſt vt crimina puniantur, hoc parum mouet. Quia licet perſona illa priuata cui lex pœnam adiudicauerat,eandem pœnam remittat,non propter hoc erit crimen impunitum, ſicut eſſet ſi iudex qui eſt perſona publica, remitteret pœnam. Nam quando iudex damnauit reum ad pœnam alteri ſoluendam, tunc puniuit eum per talem condemnationem,& ſic non poterit verè dici impunitus. Quòd autem alius remittat illi pœnam ſibi per legem & iudicem adiudicatam, nihil refert ad punitionem quæ publica fit authoritate & non priuata. Quoniam ſi ille recepiſſet pœnam ſibi adiudicatam, & poſtea donaſſet reo, (vt gloſſam ſentire diximus) etiam ſi eſſet prohibitus remittere,

A mittere, non malè feciſſet, quia non erat prohibitus donare: ergo remittendo pœnam, quando hoc non eſt ſibi lege aliqua prohibitum, non malè facit. Quia ſecluſa omni prohibitione quantum ad punitionem attinet, nihil refert an pœna à priuata perſona cui eſt adiudicata, remittatur, an poſtquam fuerit accepta iterum illi donetur.

Ex his quæ de iudice in hac ſecunda concluſione dicta ſunt, infero iudicem qui reo pœnam remittit ſine conſenſu illius, cui ex decreto legis erat per iudicem adiudicanda, aut non vult condemnare reum ad illam, obligari in conſcientia ad reddendum illi tantum quantum erat illius pœnę æſtimatio. Hoc corollarium apertè probatur per ea quæ definiuntur in cap. vltimo, de iniuriis & damno dato, vbi inter alia hęc habentur. Si culpa tua datum eſt damnum, vel iniuria irrogata, ſeu aliis irrogantibus opem fortè tuliſti, aut hæc imperitia tua, ſiue negligentia tua euenerunt, iure ſuper his ſatisfacere te oportet. Hactenus verba textus. Iudex qui reo pœnam alteri adiudicādam remittit, peccat, vt in ſecunda concluſione dictum eſt, & damnum alteri infert, quia priuat illum commodo pœnæ, quæ

B ex legis decreto erat illi adiudicāda, ergo obligatur illi ad reſtitutionem. Si verò iudex non remittit, ſed negligit condemnare reum ad pœnam à lege decretam, per hanc ſuam negligentiam infert damnum illi cui ex legis decreto pœna erat adiudicanda: ergo etiam obligatur illi ad reſtitutionem. Eadem ratione obligabitur ad reſtitutionem teſtis, ex cuius teſtimonio poſſet conuinci reus condemnandus ad pœnā alteri reddendam, ſi requiſitus ab actore & mandatus à iudice noluit dicere verū teſtimoniū, quādo illud ex præcepto iudicis dicere dicebatur. Nam huiuſmodi teſtis (vt re ipſa conſtat) damnum infert illi cui pœna, qua plecteretur reus conuictus, ęrat ex præcepto legis adiudicanda: & hoc damnum infert non ſine culpa ſua, ſed cum magna culpa. Quia teſtis tenetur reddere teſtimonium quando ſuperior cui ſubeſt, illud ab eo exigit iuxta ordinē iuris, videlicet in manifeſtis, & de quibus infamia præceſſit. Nam de his intelligēdum eſt, quod Auguſtinus ait in epiſtola ad Caſulanum præſbyterum. Vterque reus eſt, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia & ille pro- *Auguſtinus.*

deſſe non vult, & iſte nocere deſiderat. Hæc Auguſtinus, & citantur à Gratiano in capit. Quiſquis. xj. q. iij. Circa hoc negotium, quod de teſtium obligatione nunc ſe per occaſionem obtulit, volo referre rem geſtam, de qua fui conſultus, vt ad illius exemplum lector de aliis ſimilibus cenſere poſsit. In multis regni Caſtellæ oppidis, lex quædam municipalis habetur regis authoritate cõfirmata, qua præcipitur, vt ſi debitor creditori obligatione manu notarij ſcripta aſtrictus, noluerit illi infra tempus obligationis debitum ſoluere, & creditor tunc petierit à iudice executionem fieri pro ſolutione habenda, debitor cogetur à iudice ſoluere integrum debitum creditori, & in pœnam delicti exiget iudex ab eodem debitore inſuper decimam totius debiti partem. Vt ſi, gratia exempli, debebat centum ducatos, cogetur reddere integros illos centum creditori, & iudici alios decem ducatos. Contigit autem in quadam huius regni ciuitate creditorem quendam petere à iudice executionem contra debitorem ſuum fieri, propterea quòd tempus quo ille ſoluere tenebatur, iam erat elapſum. Debitor autem timens & apertè cognoſcens ſe non ſolùm ad integrum debitum creditori ſoluendum, ſed ad decimam inſuper iudici reddendam fore cogendum, quia valde magna erat debiti quantitas, mendacium quoddam finxit, quo ſoluens creditori integrum debitum, à decimæ partis pœna quæ iudici iure debebatur, poſset eripere. Dixit iudici ſe non recuſare ſolutionem, imò eſſe paratiſsimum ad reddendum quicquid creditori debebat, & ſe non eſſe in culpa propter ſolutionem prorogatam: ſed culpam fuiſſe creditoris, qui ſæpe rogatus ab eo vt rationem cum eo poneret, & quod ſuum eſſe conſtitiſſet, reciperet. Et vt fides huiuſmodi verbis daretur, protulit tres falſos teſtes, qui à iudice requiſiti & iuramento præuio interrogati, dixerunt ſe iſtorum omnium teſtes fuiſſe. Quo audito teſtimonio iudex definitiua ſententia, illum à culpa & per conſequens à pœna liberum eſſe pronunciat. Quidam iſtorum teſtium poſtea ad cor rediens culpam ſuam agnouit, & pœnitentia ductus cupiens ſcire quam in ſe portaret obligationem, me conſuluit vt à me diſceret an ad aliquam reſtitutionem faciendam obligaretur. Cui ego reſpondi debitorem illum pro quo falſum reddiderat teſti-

A monium, eſſe in conſcientia obligatum ad reddendum illi iudici decimam debiti principalis partem, quam illi ex legis decreto ſoluere tenebatur, & quam iudex ab illo erat paratus exigere, & exegiſſet niſi debitor falſo teſtimonio ſe ab illa pœna liberaſſet. Si debitor ille hãc reſtituerit pœnam iudici, dixi teſti ad nullã reſtitutionẽ illum eſſe obligatũ iudici, ſed ſolùm Deo quẽ per falſum teſtimoniũ offendit. Si verò debitor ille noluerit decimam quæ ad iudicem iure pertinebat, illi reſtituere, dixi teſti illum eſſe obligandum ad reſtituendum iudici integram decimam partem, quam propter teſtium fialſitatem amiſit. Nam (vt dicitur in capit. vlt. §. vlt. de iniuriis & damno dato) qui cauſam damni dat, ipſum damnum dediſſe videtur. At falſi illi teſtes cauſam damni, quod iudici illatum eſt, dederunt, quia niſi illi falſum dediſſent teſtimonium, iudex damnum illud non pateretur. Obligantur ergo illi ad integram damni ſatisfactionem, tanquam qui verè damnum dederunt, niſi debitor in cuius commodum damnum alterius ſuccesſit, reſtituere velit. Et ex hac ſententia poſſunt multæ aliæ ſimiles deriuari.

B Tertia concluſio. Si lex pœnalis ſtatuit pœnam à iudice inferendam, ſed non certam aliquam aut taxatam, iudex poteſt aliquando pœnam temperare, prout qualitas & circunſtantia delicti patitur. In his enim pœnis quæ non ſunt per legem expreſſæ, ſed iudicis arbitrio relinquuntur, oportet vt iudex ſemper præ oculis habeat id quod Iacobus Apoſtolus ait. Iudicium ſine miſericordia illi qui non facit miſericordiam. Superexaltat autem miſericordia iudicium. Et in huiuſmodi pœnis, quæ non ſunt per legem definitæ, intelligendum eſt quod ait Marcellus iuriſconſultus in l. Reſpiciendum, ff. de pœnis, Plane (inquit ille) in leuioribus cauſis proniores ad lenitatem iudices eſſe debent: in grauioribus pœnis ſeueritatẽ legum cum aliquo temperamẽto benignitatis ſubſequi. Hæc ille. Quæ verba de pœnis, quæ ſunt arbitrio iudicis relictæ, intelligenda eſſe puto, & non de aliis quæ ſunt per legem expreſſæ. Hanc tamen lenitatem non poteſt præſtare iudex poſt datam ſententiã. Quia ſiue pœna fuiſſet à lege taxata, ſiue illi commiſſa, ſi ſemel ſententiã dixit, iam nõ poteſt pœnã per ſuam ſententiã declaratã minuere: niſi eſſet in crimine hæ- *Iacob. 2.*

reſis. Nam in illo crimine hoc eſt ſpeciale, vt definitum eſt in capit. Vt commiſsi. §. vltimo, de hæreticis, lib. vj. In aliis autem criminibus ſolùm ante datam ſententiam, poteſt & debet iudex ex iuſta cauſa legum ſeueritatem temperare, quando pœnæ ſunt illius arbitrio commiſſæ. Sed in his pœnis licet poſsit iudex temperare ſententiam cum miſericordia, non tamen poteſt omnem pœnam remittere. Quia etſi lex iudicis arbitrio comittat pœnæ qualitatem & quantitatem, non tamen illi liberum relinquit vt puniat, vel non puniat. Et inde conuincitur iudicem in hac parte eſſe legi ſubiectum, & per conſequens non poſſe totam remittere pœnam, niſi fortè crimen eſſet nimium leue & ſine proximi iniuria, aut aliqua notabilis occurreret circunſtantia, quæ merito conuinceret pœnam eſſe prorſus remittendam. Princeps autem qui (vt dicitur in l. Princeps. ff. de legibus) non eſt legibus ſubiectus, poterit omnem huiuſmodi pœnam remittere, prout in ſecunda concluſione diximus de pœna per legem taxata. Pro qua ſententia eſt textus in capit. Niſi ſpecialis, de officio legati, quo loco Abbas poſt gloſſam annotat hunc textum optimè huic ſententiæ fauere. C

Sed ſi lex pœnalis ſtatuat pœnam aliquam certam ſub diſiunctione, nunquid iudex poterit ex illis mitiorem ſemper eligere? Hanc quæſtionem mouet Abbas, & reſpondit illi in cap. Inter cęteras, de reſcriptis, vbi Cinum & Bartolum ſecutus ſic diſtinguendo reſpondet. Si verba dirigũtur ad iudicem, vt puta dicendo. Puniat iudex reum hac aut illa pœna, dicit optionem dari iudici, vt quã malluerit, eligat. Pro qua ſententia citat l. Si fugitiui. C. de ſeruis fugitiuis. Si autem verba diriguntur ad reum, tunc datur electio ipſi reo, vt in l. Quicunque. C. eodem titulo, vbi gloſſa in verbo, vel viginti ſolidos, dicit electionem dari reo. Sed hoc vltimum dictum Abbas limitat, niſi verba illa paſſiuè dirigantur ad reum: quia tunc (vt ait) non eſt electio danda reo, ſed iudici. Nam in cap. Sicut, de Iudæis, ponitur pœna ſub diſiunctione per hæc verba. Si quis autem huiuſmodi decreti tenore cognito (quod abſit) contraire præſumpſerit, honoris & officij ſui periculum patiatur, aut excommunicationis ſententia plectatur, ſi præſumptionem ſuam digna ſatisfactione correxerit. Et gloſſa hoc loco dicit in D

electione

A electione iudicis eſſe puuire reum altera ex illis duabus pœnis, quam ille malluerit: Sed propter textum illum non erat opus, vt Abbas adderet talem limitationem priori ſententię: Quia cùm actio & paſsio mutuas agentis & patientis relationes includant, neceſſarium eſt vt verba paſsiuè prolata inſinuent ipſum agentem à quo pati dicitur, cùm patiens ſine agente eſſe non poſsit. Verba igitur legis quæ paſsionem aliquam ſignificant, potius ad agentem dirigun tur quam ad ipſum patientem, & per conſequens magis ad iudicem quàm ad reum, præſertim quando actio illa à qua paſsio illa dependet, non poteſt reo, ſed ſoli iudici conuenire. Tales ſunt paſsiones illę quæ in illo capit. Sicut, exprimuntur: quoniam (vt apertiſsimum eſt) nullus ſeipſum poteſt excommunicare, nec poteſt ſeipſum authoritatiuè & per ſententiam honore priuare. Quia tunc idem eſſet iudex & reus, imò idem eſſet in propria cauſa iudex, quòd ordo rectæ iuſtitiæ non patitur. Et inde conuincitur verba illa proximè citata ex capit. Sicut, de Iudæis, non eſſe directa ad reum, ſed ad iudicem, qui pœnas illas infligere debet.

B

An is qui apud iudicem pro reo intercedit, vt pœna per legẽ ſtatuta illi remittatur, peccet & teneatur ad reſtitutionẽ faciendam illi cui pœna ex legis decreto erat adiudicanda.

CAP. XIII.

EX occaſione eorum quæ in ſecunda præcedentis capituli concluſione dixi, oritur quæſtio non paruam inutilem continens difficultatẽ de illis qui pro reis intercedũt, vt iudices illis parcant & prorſus impunitos aut mitius punitos quàm leges præcipiunt, illos dimittant. De talibus merito dubitatur, an ſic intercedentes peccent. Quia ſi iudex pœnam remittens peccat, neceſſariò ſequitur, vt is qui hoc pro hac cauſa apud iudicẽ intercedit, etiam peccet. Conſequentia iſta ex eo eſt manifeſta quòd nemini licet rogare alium vt faciat, quod iuſtè facere non poteſt. Nam qui

ſic rogat, apertè conſentit facto alterius, & inde deducitur vt eiuſdem ſit conditionis qui alium rogat, cuius eſt ille alius qui precibus iſtius flectitur vt aliquid faciat. Ex quo euidenter conuincitur, vt ſi is qui aliquid facit, peccat, etiam peccet is qui illum vt ſic faceret, rogauit. Nam hac de cauſa omnes theologi concorditer docent conſulentem eſſe enumerandum, inter eos qui participes ſunt peccati ab alio perpetrati, ita vt cōſulens peccet eodē genere peccati perinde ac alius qui facit. At, rogans multo fortius vrget quàm conſulens: quia rogans, præter nudum conſilium quod conſulens præſtare ſolet, addit etiam preces, quæ potentiſsimę eſſe ſolent, prę ſertim circa illum qui bene afficitur erga rogantem. Hoc ſolùm intereſſe video inter conſulentem & rogantem quòd conſulens eo ipſo quod conſulit videtur dicere bonum eſſe quod conſulit: rogans autem non ſemper hoc facit, ſed aliquando, etiam ſi dicat eſſe malum, petit vt fiat. Hoc tamen eſt illis commune quòd ambo ſunt efficaces ad mouendum animos aliorum. Quiſquis igitur alium vt malè faciat, rogat, eodem illaqueatur peccato, quo ſi alius id quod ab eo precibus petiuit, fecerit. Et inde è contrario ex oppoſito conſequentis D inferendo oppoſitum antecedentis neceſſario etiam ſequi oportet, vt ſi is qui rogauit, non peccat: ille etiam qui rogatus facit, non peccet. Quòd autem is qui rogat, non peccet: inde probatur quòd multi ſancti viri miſericordia moti ſæpe rogauerūt iudices, vt ſceleratiſsimis hominibus parcerent, & legum duritiam in illis non exercerent. Nam (vt alios multos qui hoc fecerunt, & quotidie faciunt, præter- eam) beatus Auguſtinus ſæpe, quæ ſua erat clementia, pro ſceleratiſsimis hominibus (vt epiſtolæ illius teſtantur) iudices rogauit. Epiſtola ſiquidem 158. Marcellinum tribunum rogat vt Donaſtitas, qui propter grauiſsima quę commiſerāt ſcelera, digni erant morte, citra mortis pœnam puniat. Epiſtola 159. iterum eundem Marcellinum obſecratur vt Donaſtitas qui ſe atrocia crimina commiſiſſe, fuerant in quæſtione confeſsi, pœna mortis quam optimè merebantur, non puniret. Epiſtola 160. rogat Apringium iudicem, vt Circūcelliones grauiſsima ſcelera confeſſos, mitiori pœna, quā eorum crimina exigebant, punire dignaretur. Et multa alia ſanctorum virorum exempla quotidie videmus

A mus,qui pro ſua manſuetudinę & clemētia iudices rogant, vt ſceleratis hominibus parcant, ne integro legis rigore eos puniant. Hanc quæſtionem olim propoſuit Auguſtino Macedonius Iudex Cæſareus in Africa,vt conſtat ex epiſtola eiuſdem Macedonij quæ eſt liij. in libro epiſtolarū Auguſtini. In qua epiſtola primùm quæſtione propoſita deinde probare nitens iniuſtum eſſe pro malefactoribus intercedere, hæc quæ ſequuntur ait. Quemadmodum nos poſſumus ex religione contendere,vt nobis qualecunque illud crimen fuerit, dimittatur, quod vtique cùm impunitum volumus, probamus. Et ſi conſtat non minus authorem quàm probatorem teneri in omnibus quæ peccantur, certum eſt nos culpæ ſocietati vinciri, quoties eum impunitum eſſe cupimus, qui culpæ tenetur obnoxius. Tum præterea accedit hoc quod grauius eſt, nam omnia peccata videntur veniabiliora,cùm is qui reus eſt,correctionem promittit. Verùm nunc vt mores noſtri ſunt, & ſceleris pœnam cupiunt homines relaxari, & id propter quod ſcelus admiſſum eſt, poſsidere. Pro his quoque interueniendum putat ſacerdotiū veſtrum, de quibus adeò futuri nulla ſpes
B eſt, vt etiam in præſenti eadem criminis ratio perſeueret. Nam qui tam peruicaciter tenet propter quæ crimē admiſit,oſtendit ſe vbi licentia fuerit,ſimilia peccaturū. Ob hæc igitur conſulo prudentiam tuam, & hoc ambiguo quo laboro, abſolui deſidero, nec ob aliam cauſam conſultum re putes.Cæterùm hoc mihi propoſitū eſt, vt interceſſoribus, præſertim talis meriti qualis tu es,etiā gratiam agam.Pleraque enim quæ ſponte facere videri nolo,ne remiſsio ſeueritatis alios armet in crimina; opto bonis interceſſoribus relaxare,vt quod libens cōcedo,ſalua ſeueritate iudicij, alterius merito videatur indultum.Hactenus Macedonius. Cuius verba tam prolixè citaui:quia mihi digna viſa ſunt, vt ab omnibus præſertim iudicibus legerentur. Huic quæſtioni per Macedonium motæ, Auguſtinus per valde longam epiſtolam reſpondet,quæ eſt liiij.in volumine epiſtolarum ſuarū. Sed quæ ille longa & prolixa epiſtola tractauit, ego quatuor concluſionibus, quæ totam illius ſententiam cōplectantur,breuiter & ordinate præſtringam.Nam ex iis quæ ab illo Rheticorum more diffuſè tractata ſunt, nullus niſi vir doctus & diſertus ſit, poterit plenam huius

quæſtionis definitionem colligere. Vt igitur minus doctis C
ſubueniam, decreui ea quæ Auguſtinus prolixa & diffuſa
diſputatione tractauit, didaſcalico, hoc eſt doctrinali ſtylo
in ordinem redigere, & aliqua inſuper addere, quæ ad clariorem intelligentiam, & pleniorem huius quæſtionis definitionem mihi viſa ſunt neceſſaria.

Concluſio prima.

Prima concluſio. Nullus poteſt apud iudicem intercedere, vt homini ſcelerato tota pœna per legem conſtituta remittatur, niſi fortè pro illo roget à quo offenſus eſt, non vt impunitus euadat, ſed vt hac ratione oſtendat charitatem quam ad illum habet, vt vel ſic erubeſcat eſſe inimicus. Hæc concluſio iuxta hunc verborum tenorem, quo eam nunc propoſuimus, non reperitur in Auguſtino, ſed ex multis dictis & factis illius plenè colligitur. Prima huius concluſionis pars probatur eo argumento, quod nos in principio huius quæſtionis fecimus. Non licet rogare iudicem, vt faciat quod iuſtè facere non poteſt. At totam remittere homini ſcelerato pœnam à lege ſtatutam, iudici non licet: quia non eſſet miſericordia, ſed iuſtitiæ relaxatio: & inde omnibus malis daretur occaſio, vt ſpe plenæ remiſsionis per interceſſores obtinendæ, quæcunq; ſcelera D
committere auderent. Præterea, ſi iudex poſſet propter aliorum interceſsionem omnem remittere pœnam, periret omnis legum authoritas, quia non deerit vnquam qui pro quouis ſcelerato homine intercedat. Protegunt enim ſe inuicem mali. Vnde beatus Gregorius libro xxxiij. moralium, capite etiam xxxiij. ait.

Gregorius.

Quos ſimilis actus ſociat, concordi pertinacia etiam defenſio peruerſa conſtipat, vt de facinoribus ſuis alterna ſe inuicem defenſione tueantur. Sibi enim quiſq; metuit, dũ admoneri vel corrigi alterum cernit: & idcirco contra corripientium verba vnanimiter aſſurgit: quia ſe in altero protegit. Hæc Gregorius. Ne igitur omnis legum pœnalium virtus & poteſtas per interceſſores pereat, neceſſe eſt vt iudex ad nullius interceſsionem poſsit totam pœnam à lege decretam remittere. Et ſi ille hoc non poteſt, conſequens eſt vt nec interceſſor poſsit pro hac re interuenire. Et hoc ſe ſentire apertè innuit Auguſtinus, qui quoties per epiſtolas ſuas pro aliquo apud iudicem interceſsit, nunquam rogauit vt nulla pœna puniretur, ſed ſolùm vt iudicij ſeueritas mitigaretur.

Nam

A Nam in illis tribus ſuis epiſtolis quas ſuprà memoraui, videlicet 158.159.& 160.nihil aliud à iudicibus rogat quàm vt Donatiſtæ,& Circumcelliones qui atrocia crimina confeſsi fuerant,pœna mortis non puniantur. Et in epiſtola 54. vbi ex profeſſo de hac re diſſerit, ſemper dicit neceſſariam eſſe criminum punitionem,quamuis non ſemper oporteat eam ſecundum legum ſeueritatem, ſed aliquando iuxta Chriſtianam manſuetudinem exercere. Nam circa medium illius epiſtolæ, poſtquàm aliqua ratione oſtenderat non eſſe criminum ſocietate obſtrictos, qui pro ſceleratis intercedunt, hæc quæ ſequuntur ait. Nec ideo ſanè fruſtra *Auguſti.* inſtituta ſunt poteſtas regis, vis gladij cognitoris,vngulæ carnificis, arma militis, diſciplina dominantis, ſeueritas etiam boni patris. Habent iſta omnia modos ſuos,cauſas, rationes,vtilitates.Hæc cùm timentur,& coërcentur mali, & quietius inter malos viuunt boni:nõ quia boni pronuntiandi ſunt, quia talia metuendo non peccant (Non enim bonus eſt quiſpiam timore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ) verum tamen non inutiliter etiam metu legum humana coërcetur audacia,& vt tuta ſit inter improbos innocentia,
B & in ipſis improbis dum formidato ſupplicio frænatur facultas,inuocato Deo ſanetur voluntas.Hec Auguſtinus. Et poſtea aliquibus interpoſitis eandem ſententiam repetens ad illius confirmationem citat Paulum ad Romanos dicentem. Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. *Rom.13.* Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac,& habebis laudem ex illa.Dei enim miniſter eſt tibi in bonum.Quòd ſi malum feceris,time: non enim fruſtra gladium portat: Dei enim miniſter eſt, vt vindex in iram ei qui malum agit. Et poſt hæc Pauli verba ſuam interpretationem ſubiungit Auguſtinus dicens. Hæc verba Apoſtoli vtilitatem veſtræ ſeueritatis oſtendunt. Proinde ſicut dilectionem iuſsi ſunt tenentibus debere qui timent, ita dilectionem iuſsi ſunt timentibuus debere qui terrent. Nihil nocendi cupiditate fiat, ſed omnia conſulendi Charitate, & nihil fiat immaniter, nihil inhumaniter. Hactenus Auguſtinus. Ex cuius verbis apertiſsimè conſtat illum in hac eſſe ſententia, vt non velit omnem punitionem per interceſſores excludi,ſed ſolùm vt ſeueritas legum temperetur. Et multa alia ad hanc rem pertinentia in illa epiſtola dicit, quæ

in ſecunda concluſione citabuntur, & ex illis veritas huius C
primæ concluſionis multo clarius eluceſcet. De hoc tamen admonere decreui lectorem, vt ſi illam Auguſtini epiſtolam legerit, aduertat illud ibidem ab illo dici impunitum, non quòd omni prorſus punitione caret: ſed quòd multo mitius quàm criminis qualitas exigebat, aut quam leges ſtatuerant, punitur. Nam quia pœna quam patitur, ſi ad criminis meritum comparetur, ferè nulla eſt, ideo crimen tale impunitum eſſe dicit. Alioqui ſibi ipſi contradiceret, qui ſemper oſtendit aliquam punitionem eſſe neceſſariam. Et hæc mea interpretatio quòd ſit menti Auguſtini conformis, ex aliis illius verbis quæ infrà citabo apertiſsimè conſtare poterit. Altera primæ concluſionis pars eſt, quòd ex fonte charitatis procedere poteſt, vt quis roget totam pœnam à lege ſtatutam dimitti ſcelerato homini: vt, gratia exempli, cùm quis pro inimico à quo læſus eſt, orat ne pœna vlla illi irrogetur: quia ex animo & gratis dimittit offenſam contra ſe factam, & inſuper orat iudicem, vt reipublicæ offenſam illi remittat. Hic enim ſic intercedens non ſolùm non peccat, ſed magno apud Deum dignus eſt præmio: quia hoc D
faciens, impleuit ſimul & præceptum & conſilium Dei
Mat. 5. dicentis. Diligite inimicos veſtros, & benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, vt ſitis filij patris veſtri, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Qui ſic ex charitate impunitatem inimici ſui petit à iudice, non ideo peccatum impunitum eſſe orat, quia ſibi placet: ſed vt bonitate ſua vincat malitiam alterius, & benefaciendo illi, cogat illum ad pœnitentiam peccati quo illum offendit. Quia ergo peccatum quod inimicus commiſerat, illi diplicet, & illud abominatur, ideo recuſat facere quod alius fecit, & non vult vindicare offenſam, nec reddere illi ſimile malum, ſed bonum pro malo. Hanc enim ſolam cauſam reddit Auguſtinus Macellino tribuno ſcribens epiſtola 158. propter quam intercedit pro Donatiſtis hæreticis, qui propter atrocia crimina quæ contra catholicos ſe feciſſe fuerant confeſsi, optimè mortem merebantur, vt citra mortis ſupplicium puni-
Auguſti. rentur. Sic enim ait. Pœna ſanè illorum quamuis de tantis
ſcele

A ſceleribus confeſſorum, rogo te vt præter ſupplicium mortis ſit, & propter conſcientiam noſtram, & propter catholicam manſuetudinem commendandam. Ipſe enim fructus ad nos peruenit confeſsionis illorum, quia inuenit Eccleſia catholica vbi ſuam erga atrociſsimos inimicos ſeruet atque exhibeat lenitatem. In tanta quippe crudelitate quæcunq; præter ſanguinem vindicta proceſſerit, magna lenitas apparebit. Quòd etſi modo quibuſdam noſtris illa atrocitate commotis videtur indignum, & quaſi diſſolutionis & negligentiæ ſimile, tranſactis tamen motibus animorum qui recentioribus factis ſolent turbulentius excitari, egregiè luculenta bonitas apparebit, & ob hoc magis eadem geſta legere atque oſtendere delectabit. Hæc Auguſtinus. In quibus verbis duo potiſsimum annotare oportet. Primum eſt, quòd dicit ſe ideo pro illis rogare, vt eccleſia ſuam erga inimicos charitatem oſtendat, & luculenta bonitas illius aliis ſit conſpicua. Et propter eandem cauſam etiam rogaſſet omnem pœnam illis remitti, niſi crimina eſſent tam atrocia, vt apertè agnoſceret non expedire reipublicę illa eſſe impunita. Nam quum
B talia ſunt crimina, & ſi pro illis Deum orare expediat, & ſic res præmio digna: apud homines fortè nō expedit pro illis quamuis inimicis ſic pro illis intercedere, vt tota pœna illis dimittatur. Alterum illic annotandum eſt quod ait. In tanta crudelitate quæcunque præter ſanguinem vindicta proceſſerit, magna lenitas apparebit. In quibus verbis apertè oſtenditur verum eſſe quod proximè antea admonui. Nam quia tanta eſt hæc lenitas, ideo epiſtola 54. hanc lenitatem vocat impunitatem. Sed hoc dimiſſo ad primum reuertamur, quòd de interceſsione pro inimicis facienda diximus. Nam quòd hac ratione pro illis apud iudices intercedere ſit bonum, vt ipſis inimicis charitas oſtendatur, quatenus illi aut alij hoc exemplo prouocati iniurias dimittere diſcant, idem Auguſtinus iterum epiſtola 159. eidem Marcellino de eadem re ſcribens ait. Ad hoc enim & mitiſsimi homines facinus occultatum diligenter atq; inſtanter examināt, vt inueniant quibus parcant. Vnde plerunq; neceſſe eſt, exerceatur acrius inquiſitio, vt manifeſtato ſcelere ſit vbi appareat manſuetudo. Omnia quippe bona opera amant in luce conſtitui, non propter humanam gloriam,

 ſed

ſed vt videāt, ait dominus, bona opera veſtra, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Et ideo non ſuffecit Apoſtolo monere, vt manſuetudinem ſeruaremus, ſed vt eam etiam notam omnibus faceremus. Manſuetudo, inquit, veſtra nota ſit omnibus hominibus. Et alio loco. Manſuetudinem oſtentantes ad omnes homines. Hactenus Auguſtinus, qui apertè declarat quo fine & quam ob cauſam liceat pro inimicis apud humanos iudices intercedere. C

Mat. 5. *Philip. 4.* *Titum 3.*

Concluſio ſecunda. Secunda concluſio. Quando meritò ſperatur de emendatione hominis qui crimen aliquod commiſit, licitè poteſt qui hanc ſpem habet, pro illo apud iudicem intercedere, vt mitiori pœna quàm à lege ſtatuta eſt, puniatur, præſertim ſi pœna per legem ſtatuta eſt pœna mortis. Sed ante huius concluſionis declarationem & probationem volo admonere lectorem, vt non putet ſemper iudicem eſſe obligatum ad minuendum pœnam legis, quoties interceſſor iuſtè pro illa intercedit. Quia iudex & interceſſor valde diuerſos habent fines, & circa diuerſa obiecta verſantur: & hinc euenit, vt quod vni licet alteri nō liceat: & quod vnus iuſtè petit, alius iuſtè neget. Interceſſor D ſiquidem, vt in plurimum, ſolùm reſpicit bonum proximi pro quo intercedit: iudex verò non hoc ſolùm reſpicit, ſed totam rempublicam cuius curam gerit. Ex quo diuerſo fine conſtat ſæpe euenire poſſe, vt interceſſor ex pietate motus & proximi emendationem intendens iuſtè pro illo intercedat, quia ſperat indulgentia illi conceſſa fore emendandum, iudex autem timens ex tali remiſſione incommodum aliquod eueniat reipublicæ quam tuendam ſuſcepit, iuſtè neget quod alius petit. Quæ iudicem circa inflictionem pœnarum facere oporteat, proximè præcedenti capite diximus: nunc de iis ſolùm quæ interceſſoribus licent, diſſerimus. Hac igitur admonitione præmiſſa meam hanc ſecundam concluſionem probo. Quilibet homo poteſt à iudice iuſtè petere vt faciat quod iuſte facere poteſt. Iudex autem poteſt ex iuſtis aliquibus cauſis pœnam legis minuere. Ergo dum tales cauſæ adſunt, quilibet iuſtè poterit iudicem intercedere, vt legis rigorem temperet. Quòd autem iudex poſsit pœnam à lege decretā ex cauſa iuſta minuere, omnes iuriſperiti fatentur, & probant per l. Quid ergo. §. Pœna grauior. ff. de his qui

notan

A notantur infamia: & per l. Et ſi ſeuerior, & l. Si Poſsidonium. C. Ex quibus cauſis irrogetur infamia. Si verò iudex ſine cauſa pœnam à lege decretam minueret, dicũt quidam illum effici infamem. Hoc enim tanquam rem notatu dignam annotat Felinus in capitul. Qualiter & quando. §. Ad corrigendos, de accuſationibus: & dicit hoc idem annotaſſe Hoſtienſem in capitul. De cauſis, de officio delegati. Et pro hac ſententia citat textum, quem dicit eſſe optimum, in l. Seruos. C. Ad legem Iuliam de vi publica. Sed miror quòd textum illum dicat eſſe optimum ad probandum regulam illam generalem. Fateor quidem legem illam infligere pœnam infamiæ iudici, qui neglexerit punire reum iuxta eiuſdem legis tenorem. Sed inde non eſt ſumenda regula, vt ſemper iudex pœnam legis infligere negligens infamiæ notam incurrat. Nam hac ratione etiam oportet dicere omnem huiuſmodi negligentem iudicem eſſe puniendum pœna quinquaginta librarum auri, quæ eſſent fiſco reddendæ. Quia in l. Nemo venerantis. C. de paganis, tali pœna iubetur puniri iudex qui pœnam in eadem lege ſtatutam infligere neglexerit. Non tamen oportet (vt apertè conſtat) hanc pœnam omni iudici negligenti imponere: & eadem ratione conuincitur, vt non oporteat infamem reputare omnẽ iudicem, qui pœnam à lege decretam ſine cauſa minuerit. Nam ex ſingulari aliqua inferre vniuerſalem propoſitionem, peſsima eſt conſequentia. Et hinc ſicut ex multis aliis rebus apertiſsimè oſtenditur vtiliſsimum eſſe iuriſperitis, ſi antequam ad iuris vtriuſque notitiam capeſſendam accederent, dialecticam plenè nouiſſent. Diſcerent enim optimè argumentari, & intelligerent ſe in his quæ non ſunt apertè definita, ſed ab eis per rationes & argumenta ex textibus deducuntur, ſæpiſsimè falli. Ego itáque intelligens argumentorum vim & poteſtatem cogor, propter hanc cauſam ab illis aliquando diſcedere: in his quæ non ſunt per textum expreſſum definita, nec poſſunt bona conſequentia ab illis deduci. Et ita in præſenti negotio cenſeo non eſſe dicendum infamem omnem iudicem, qui ſine cauſa pœnam à lege ſtatutam minuerit. Quia nulla eſt lex quæ hoc cõtra omnem iudicem vniuerſaliter ſtatuat, ſed ſolùm contra illum particularem de quo loquitur prædicta l. Seruos. Quæ autem ſint cauſæ iuſtæ, propter quas

Felinus.

Hoſtieſis.

B

quas iudex poteſt minuere pœnam, explicat gloſſa in illa C prædicta l.Quid ergo. §. Pœna grauior. Felinus autem in loco proximè citato enumerat ſeptem cauſas, propter quas iuſtè poteſt iudex pœnam augere aut minuere. Sed illas omnes ſic miſcuit, & indiſtinctè poſuit, vt non diſtinxerit illas, propter quas poteſt iudex augere pœnam ab illis, propter quas poteſt minuere. Non enim omnes eidem ſeruiunt negotio, ſed aliquæ ſunt iuſtæ cauſæ ad augendum pœnam, aliæ verò ad minuendum. Ego nunc non differo de augmento pœnarum quæ ſunt per leges ſtatutæ, ſed de ſola illarum diminutione: & ideo eas ſolas cauſas dinumerabo, propter quas iuſtè poteſt iudex minuere pœnam à lege ſtatutam.

Prima cauſa propter quã iudex poteſt minuere pœnam legis.

Prima cauſa eſt ætas vt puta ſenectus, vel pueritia. De pueritia definitur apertè in l.Auxilium.§.In delictis. ff. de minoribus. De ſenectute dicitur in l. Diuus Adrianus.ff. de termino moto. Et præter hæc legum teſtimonia, ratio naturalis docet iuſtum eſſe vt huiuſmodi ætatibus pœna legis minuatur. Quia huiuſmodi ætates non habent tantas vires, quantas habent adoleſcentia & iuuentus: & ideo illæ non ſunt tam atrocibus pœnis puniendæ. D

Secunda cauſa.

Secunda cauſa eſt paupertas, ita vt ſi lege aliqua definita eſſet pœna pecuniaria contra alicuius certi criminis reum, & ille eſſet tam pauper vt non eſſet ſoluendo, aut data pecunia nihil aut valde parum ſibi poſtea ad victum ſupereſſet, iuſtum eſt vt iudex circa iſtum talem legem temperet, & minorem ab illo pecuniam exigat, aut prorſus remittat. Pro hac re eſt textus apertus in l.Illicitas.§.vltimo.ff.de officio præſidis.

Abbas.

Quam legem Abbas in capitul. Niſi ſpecialis, de officio legati, notat tanquam ſingularem & dicit eam valere ad hoc, quod propter inopiam pœna pecuniaria non commutatur in corporalem. Et in hoc caſu eſt aliud notandum, quòd ille cui propter inopiam eſt pœna pecuniaria diminuta, aut prorſus remiſſa etiam ſi poſtea venerit ad pinguiorem fortunam, non tenebitur ad pœnam illam ſoluendam. Quia per inopiam illam non ſolùm fit inanis actio ad petendum pecuniam, ſed remittitur debitum, & prorſus tollitur actio. Nam verba legis vltima hoc apertiſsimè definiunt, ſic dicentia. Remiſſa propter inopiam mulcta, à prouincias regentibus exigi non

A non debet. Et hoc eſt particulare in ſolo debito quod contractum eſt ratione pœnæ, quia in debito quod contrahitur ratione mutui, aut ratione emptionis, aut venditionis, aut alia ſimili ratione, quamuis propter inopiam debitoris ceſſet actio, non tamen ideo intelligitur eſſe remiſſum: ſed quando debitor peruenerit ad pinguiorem fortunam, tenebitur ſoluere creditori, vt dicitur in capitul. Odoardus, de ſolutionibus.

Tertia cauſa eſſe poteſt doli defectus, vt puta quia non ex deliberatione aut præmeditato conſilio, ſed ex quodam impetu, aut ſubita animi perturbatione ex dolore concepta, crimen commiſit. Tunc enim ſicut culpa eſt leuior, ita ratio naturalis docet, vt pœna ſit mitior. Et huic rationi naturali accedit legis decretum quod habetur in l. Abſentem. §. vltimo. ff. de pœnis, cuius verba quia breuia ſunt, & notatu digna hic inſerere placuit. Refert, inquit Vlpianus iuriſconſultus, an in maioribus delictis conſulto aliquid admittatur, an cauſa. Et ſanè in omnibus criminibus diſtinctio hæc pœnam, aut iuſtam eligere debet, aut temperamentum admittere. Hæc Vlpianus. Et pro- *Tertia cauſa.*

B pter hanc cauſam iuſtum eſſe puto, vt ille qui ſe defendendo alium occiderit, quamuis aliter ſe defendere potuiſſet, mitiori pœna puniatur quàm illa quæ per leges contra homicidas ſtatuitur. Quia etſi hominem occidit, & ſic occidendo peccauit, id tamen non ex conſilio & deliberatione, ſed ex paſſione quadam fecit, vepotè ab illo prouocatus ad iram. Hanc tertiam cauſam, quam nos dicimus doli defectũ, Felinus non enumerauit quum iuſtas cauſas mutandi pœnam legis, recenſet. De qua re non poſſum non mirari cur illam omiſerit, cùm tam manifeſtam in ſe habeat rationem, & tam aperta ſit lex quæ illi patrocinetur.

Quarta cauſa eſſe poteſt conſuetudo quæ nõ ſit mala: ita docet Abbas in cap. Ea quæ, de ſtatu monachorũ. Et pro hac ſententia citat textum, in cap. Cùm cõtingat, de foro competenti, & capitulo, Inquiſitionis, de accuſationibus. Sed ſi conſuetudo eſſet mala, vt puta quia imponit nimis leuem aut nimis grauem pœnã, dicit talem conſuetudinem non eſſe iuſtam cauſam ad minuendum pœnam legis. Et hanc talem malam conſuetudinem dicit reprobari in prædicto capitulo, Ea quæ. Et certè ſi conſuetudo non eſt mala, *Quarta cauſa.*

ratio

ratio naturalis docet, vt per illam poſsit pœna legis minui. C Quia ſi conſuetudo poteſt in aliis derogare legi, conſequens eſt, vt etiam poſsit derogare in pœna à lege ſtatuta. Si lex ſtatuit, vt qui ſacrilegium committit, ſoluat triginta libras argenti, & longæua conſuetudine ſeruatum ſit, non ſolui, niſi decem libras, ipſa conſuetudo cogit iudicem, vt legis ſeueritatem temperet non exigendo à ſacrilego niſi decem libras.

Quinta cauſa. Quinta poteſt eſſe cauſa iuſta minuendi pœnam à lege ſtatutam, ſi iudex qui pœnam infligere debet, non habet poteſtatem infligendi pœnam legis. Vt gratia exempli, ſi quis laicus commiſiſſet crimen, cui debetur ex legis decreto pœna mortis, & iudex qui illum damnare debet, eſt in ſacris conſtitutus, non debet illum pœna mortis, ſed alia mitiori pœna punire: quia iudici eccleſiaſtico ſententiam ſanguinis dicere non licet. Et pro hac ſententia eſt textus apertiſsimus in capitulo, In Archiepiſcopatu, de raptoribus. Ex quo textu colligitur vnum ſingulare etiam notandum, videlicet, quòd iudex delegatus poteſt minuere pœnam legis, quod aliâs non contingit, vt notatur per Ioannem Andræam in cap. De cauſis, de officio delegati. In D caſu autē illius capituli, In Archiepiſcopatu, archiepiſcopus ille delegatus à rege Siciliæ nō poterat damnare ad pœnā mortis, ideo dicitur illi vt pœnam mitiorem imponat.

Alias cauſas refert Archidiaconus in capitul. penultimo, diſtinct. lxxxij. & in cap. Innocens, ſecunda ſecundæ, quæſt. iiij. ſed eas omnes ex induſtria hîc enarrare omitto, propterea quòd præſenti negotio non conueniunt. Nam ego impręſentiarū de illis ſolis cauſis diſſero, propter quas licet iudici pœnā legis minuere. Pœnæ autem, de quibus in prædictis locis Archidiaconus diſſerit, nō mitigantur per iudicem, ſed per alias poſteriores leges, quæ priorū legum rigorem temperāt. Aliæ etiā ſunt cauſæ ad augendum pœnam legis, ſed quia præſenti argumento non ſeruiunt, ideo illas omnes prætermitto. Sed in omnibus iſtis cauſis hoc aduertendùm eſt, eas tūc ſolùm eſſe iuſtas ad minuēdum pœnam legis, quando lex ipſa nō exprimeret, nullam aliam debere pœnā imponi: aut manifeſta prohibitione prohiberet pœnam mutari, prout dicitur in capit. Super eo, de raptoribus. Tunc enim non liceret legē tranſgredi pœnam mutando.

Declar

A Declaratis igitur cauſis propter quas iuſtè poteſt iudex pœnam legis minuere, opus eſt vt ad ſuſceptum argumentum, quod nobis præbuit occaſionem prædictas cauſas dinumerandi, diſputationem noſtram reuocemus. Iudex poteſt (vt modò oſtendimus) ex iuſtis cauſis pœnam legis minuere: ergo alius iuſtè poterit illum rogare, vt aliqua iuſta cauſa accedente pœnam legis temperet, prout noſtra ſecunda concluſio definit. Præterea, Is qui pro alio apud iudicem intercedit, vt per indulgentiam à iudice impetratam, illum à peccato conuertat, magnum opus charitatis facit, videlicet conuertere peccatorem à peccato, & illum emendare. Qui conuerti fecerit peccatorem, inquit Iacobus Apoſtolus, ab errore viæ ſuæ, *Iacob. 5.* ſaluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. Interceſſor ergo, qui pro illo, quem ſperat à peccato conuertendum, intercedit, non ſolùm hoc faciendo non peccat, ſed potius meretur. Hoc tamen tunc ſolùm verum erit, quando ille hac potiſsimum intẽtione pro illo orat, vt per impetratam à iudice pœnę diminutionem, illum à peccato conuertat, & meliorem faciat. Mul-
B tum enim intereſt, quo fine res hæc agatur. Nam licet interceſſor ſperet alium de crimine emendandum, ſi tamen ille non ideo intercedit vt emendetur, ſed vt malum aliquod per illum poſtea operetur, iniuſtè faciet: non tamen quia interceſsio ex ſe mala ſit, ſed quia ad malum finem ordinata. Rurſum, ad huius concluſionis probationem ſunt multa Auguſtini teſtimonia, quibus ille apertiſsimè docet, quid & qua intentione apud iudicem pro ſceleratis hominibus intercedendo petere oporteat. Nam in illa epiſtola 54. reſpondens argumentis, *Auguſtinus.* quæ Macedonius per epiſtolam ſuam obiecerat, & reddens cauſas iuſtæ interceſsionis, ait. Ideo quippe, quantum facultas datur, pro peccatis omnibus intercedimus, quia omnia peccata videntur veniabiliora, quum is, qui reus eſt, correctionem promittit. Hæc tua eſt, hæc & noſtra ſententia. Nullo ergo modo culpas, quas corrigi volumus, approbamus: nec quod perperam committitur, ideo volumus impunitum eſſe, quia placet: ſed hominem miſerantes, facinus autem ſeu flagitium deteſtantes, quanto magis nobis diſplicet vitium, tanto minus volumus

inemendatum interire vitioſum. Hæc Auguſtinus. In quibus verbis id aduertere oportet, quod ſuprà in prima concluſione admonui, impunitum hoc loco ab Auguſtino non dici, quòd nullo modo punitur, ſed quòd non iuxta legis ſeueritatem punitur. Nam poſt hæc illius verba, quæ modò citauimus, pauculis interiectis ſubdit. Morum porrò corrigendorum nullus alius quàm in hac vita locus: nam poſt hanc quiſque id habebit, quod in hac ſibimet conquiſierit. Ideo compellimur humani generis charitate interuenire pro reis, ne iſtam vitam ſic finiant per ſupplicium, vt ea finita non poſsint finire ſupplicium. Hæc ille. Et in his verbis id annotare oportet illum dicere hoc ſolùm rogare pro reis, ne mortis ſupplicio puniantur. Non enim omnem, ſed ſolam mortis excludit pœnam, & ob eam ſolam cauſam, vt per huius indulgentiæ medium illi emendentur, & ſic mortem æternam euadant. Et poſtea diſſerens quomodo Deus parcat peccatoribus eorum peccata diſsimulans, & quomodo ſic diſsimulando (vt Paulus ait) per patientiam ſuam adducit eos ad pœnitentiam, hæc ait. Ad hãc volumus adduci pro quibus interuenimus, non eorum peccatis vel parcimus vel fauemus. Nam quoſdam, quorum crimina manifeſta ſunt, & veſtra ſeueritate liberatos, à ſocietate tamen remouemus altaris, vt pœnitendo placare poſsint, quem peccando contempſerant, ſéque ipſos puniendo. Nam nihil aliud agit, quàm veraciter pœnitet, niſi vt id quod malè fecerit, impunitum eſſe non ſinat. Eo quippe modo ſibi non parcenti ille parcit, cuius altum iuſtúmque iudicium nullus contemptor euadit. Hæc Auguſtinus. Et poſt multa in eadem epiſtola dicens iuſtam eſſe poteſtatem gladij, & punitionem, qua per talem poteſtatem mali feriuntur, ſtatim ſubdit. Sed huic ordinationi rerum humanarum contrariæ non ſunt interceſsione epiſcoporum. Imò verò nec cauſa nec locus intercedendi vllus eſſet, ſi iſta non eſſent. Tanto enim ſunt intercedentium & parcentium beneficia gratiora, quanto peccantium iuſtiora ſupplicia. Hæc ille. Si epiſcopi intercederent vt reis omnis proſſus remitteretur pœna, contrariæ proculdubio eſſent epiſcoporũ interceſsiones poteſtati regis. Verùm quia non omnem, ſed aliquam pœnã remitti petunt, ideo Augſtinus cenſet nõ eſſe cõtrarias, ſed idẽ ſen-

tientes,

A tientes, veluti miſericordia puniens, & iuſtitia parcens. Nam hoc ipſe poſtea aliquibus interiectis declarat, ſic dicens. Prodeſt ergo & ſeueritas veſtra, cuius miniſterio quies adiuuatur & noſtra: prodeſt & interceſsio noſtra, cuius miniſterio ſeueritas temperatur & veſtra. Non vobis diſpliceat quòd rogamini à bonis: quia nec bonis diſplicet quòd timemini à malis. Nam hominum iniquitatem etiam Apoſtolus Paulus non tantùm de iudicio futuro, verùm etiam de poteſtatibus veſtris ſecularibus terruit, aſſerens & ipſas ad diſpenſationem diuinæ prouidentiæ pertinere. Hæc Auguſtinus. Et citatur hec vltima verba à Gratiano in capit. Prodeſt, 23. q. v. Et poſt pauca iterum denique ait. Ita formidetur vltio cognitoris, vt nec interceſſoris religio contemnatur: quia plectendo & ignoſcendo hoc ſolùm bene agitur, vt vita hominum corrigatur. Hactenus Auguſtinus. In quibus verbis id, quod in duabus præcedentibus concluſionibus diximus, complexus eſt. Dicit enim non eſſe dandam integram pœnæ remiſsionem, ſed plectendo & ignoſcendo bene tunc agi. Dicit etiam quo fine vtrunque agere oporteat: quia vt vita hominum corrigatur. *Roma. 13.*

B tur. Nam hac ratione interceſſor intercedere, & iudex punire ſimul & parcere debet, vt reus corrigatur. Et quia poſt mortem non eſt corrigendi locus aut tempus, ideo hoc ſolum petit, & pro hoc ſolo intercedit, & intercedendum eſſe docet, vt is, de quo ſpes emendationis habetur, quamuis crimen morte dignum commiſerit, mortis pœna non puniatur, vt tempus illi ad pœnitentiam & emendationem concedatur.

Sed fortè contra hanc noſtram ſecundam concluſionem quis arguet non eſſe licitum intercedere, ne pœna mortis puniatur reus ille, qui dignus eſt illa. Quia talis interceſsio ſub tam grauibus pœnis eſt per legem interdicta, vt ex ipſis pœnis, iuxta ea quæ libro primo capite quinto diximus, facilè conſtet prohibitionẽ illam obligare ad culpam mortalem. Nam in l. Quiſq; cum militibus. C. Ad legem Iuliam maieſtatis, Imperatores Honorius & Archadius poſtquã graues pœnas ſtatuunt contra eos, qui con iurationem contra principẽ fecerint, aut dederint vel ſuſceperint iuramentum de morte, non ſolùm imperatoris, ſed etiã virorum illuſtrium, & ſenatorum, hæc quæ ſequuntur

addunt. Denique iubemus etiam eos notabiles eſſe ſine vę- C
nia, qui pro talibus vnquam apud nos interuenire tentauerint. Hoc imperatores illi. Quæ verba citantur à Gratiano in capit. Si quis, vj. q. j. Ecce vides pœnam infamiæ interceſſori impoſitam, quæ non niſi pro peccato mortali inferri poteſt: & inde videtur colligi, vt qui ſic intercedit, mortaliter peccet. Hoc tamen argumentum parum nos mouet, quia etſi lex illa ab imperatoribus illis condita quoad forum exterius aliquid valeat, quoad forum tamen ſecretum, quod ad conſcientiam ſpectat, nihil prorſus valet. Non enim poteſt imperator prohibere, ne quis opera charitatis & pietatis faciat. At rogare pro reo vt illi remiſsione data poſtea dignam faciat pœnitentiam, & emendationem ſuſcipiat (vt in principio huius ſecundæ concluſionis oſtendimus) opus eſt charitatis: non poteſt ergo Imperator prohibere ne fiat. Deus permittit, & (vt verius dicam) pręcipit aut cõſulit vt oremus pro iis qui illum offendunt: & imperator non permittet ſe orari pro illis à
Math.5. quibus offenſus eſt? Diligite inimicos veſtros (ait Chriſtus redemptor noſter) benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. Qui proxi- D
mum perſequitur, Deum proculdubio offendit: Deus ergo præcipit, aut conſulit vt illum oremus pro illis à quibus offenditur. Cur ergo non patietur imperator ſe rogari pro illis à quibus offenſus eſt? Nónne Deus maior eſt imperatore? Nónne offenſa contra Deum eſt multo maior offenſa contra imperatorem? Sed ne legem illam omnino iniuſtam eſſe accuſemus, & imperatores de nimia arrogantia aut ſeueritate notemus, in eorum excuſationem dicimus, ideo tales interceſsiones ab eis merito prohiberi, quia non poſſunt cognoſcere corda interceſſorum, & ideo neſcire poſſunt qua intentione pro aliis interueniant, an videlicet vt illi emendentur & dignam Deo pro ſuo peccato ſatisfactionem reddãt, an verò vt amplius lædere poſsint. Et quia eorum intentio cognoſci non poterat, in tam atrocis criminis deteſtationem, & horrorem potuerunt omnem interceſsionem prohibere. Deus autẽ qui optimè corda omniũ intuetur, non ſolùm non prohibet, ſed pręcipit aut conſulit vt illum oremus pro peccatoribus qui illum offendũt. Hac igitur ratione moti admittimus prohibitionem illam
quæ

A quæ continetur in prædicta l. Quiſquis cum militibus, eſſe iuſtam: ſed non inde trahenda eſt conſequentia vniuerſalis ad omnia crimina, ita vt in nullo crimine pro reo intercedere liceat. Non eſt enim æquum, vt eadem de omnibus criminibus ratio habeatur. In illis igitur criminibus, in quibus lex intercedere prohibet, fateor non eſſe licitum pro reis intercedere, præſertim apud homines, qui corda non poſſunt agnoſcere. In aliis verò criminibus, vbi nulla eſt prohibitio, ipſa interceſſio hac ratione intelligi poteſt eſſe conceſſa, quòd non eſt prohibita. Præterea, contra eandem ſecundam concluſionem arguitur ex prohibitione diuina: quia non ſolùm homo, ſed etiam Deus aliquando prohibet orare pro peccatoribus. Nam quia filij Iſraël idola colebant, ideo iratus dominus ait Hieremiæ prophetæ. Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem & orationem. In quibus verbis videtur dominus prohibere Hieremiam vt non oret pro populo Iſraël, qui idola colebat, & inde propter eandem rationem videretur colligi, vt pro nullo homine idola colēte ſit orandum. Et indè vltrà ſequi videretur, vt pro nullo tali *Hiere. 7.*
B ſit apud homines intercedendum. Reſpondeo, illa verba domini ad Hieremiam non dicunt prohibitionem, ſed ſolam admonitionem, quod ex his, quæ ſequuntur, apertiſsimè conſtat. Nam cauſam reddens cur non debeat pro populo illo orare, ait. Quia non exaudiam te. Admonet igitur illum, vt pro illo populo non oret, ne tempus in tali oratione terat, cùm talis oratio nihil ſit profutura illi, pro quo rogaret. Quòd ſi adhuc contendat quis in illis Dei verbis, non ſolam admonitionem, ſed præceptum aut prohibitionem manifeſtari, nolo ſuper hac re contendere cum illo, ſed dico Deum talem orationem prohibuiſſe, quia populus ille in ſuo peccato perſiſtebat adeò obſtinatus, vt de emendatione illius nulla iam haberetur ſpes. Et iuxta hunc ſenſum interpretatur locum illum beatus Hieronymus, ſic dicens. Ne videatur rogans propheta nō impetrare quod poſtulat: præcipit Deus, ne pro populo peccatore, & nullam agente pœnitentiam deprecetur. Hæc Hieronymus. Ex cuius interpretatione conſtat, nihil contra meam ſecundam concluſionem agere, quòd Deus Hieremiæ prophetæ prohibuerit orare pro populo: quia mea ſecun- *Hierony.*

M 3

dà concluſio tunc dicit licere pro reo intercedere, quando de illius emendatione ſperatur, vt puta quia illum de peccato pœnitet, & emendationem promittit, quorum neutrum in populo illo tunc erat. C

Concluſio tertia. Tertia concluſio. Quando reus aliquis emendationem recuſat, & ſic eſt induratus in peccato quod commiſit, vt de illius correctione meritò deſperetur, non licet orare pro eo, etiam ſi ſit mortis pœna plectendus. Hæc concluſio ſequitur ex alia proximè præcedente. Nam ſi hac ſola ratione (vt pluribus Auguſtini teſtimoniis in ſecunda concluſione probaui) licet pro reis orare, vt illi corrigantur, ergo quando meritò de illius correctione deſperatur, non licebit pro illis orare. Præterea, iudici non licet talibus reis parcere, ergo nec interceſſori licebit pro talibus intercedere. Conſequentia iſta eſt nota ex illo, quod à principio huius capituli probaui, rogantem pro alio eiuſdem eſſe conditionis & meriti, cuius eſt ille, qui precibus eius motus aliquid facit. Quia qui rogat (vt ibidem diximus) potentior eſt cæteris paribus, quàm qui conſulit. Antecedens probatur per cap. Facientis, 86. diſtinctione. Nam qui tali in peccato obſtinato parceret, non miſericors, ſed potius crudelis diceretur. Eccleſia enim Chriſti ſpõſi ſui lenitatẽ imitari cupiens, etſi circa multos ſceleratos viros mãſuetudinem ſuam oſtendat, circa illos tamen, de quorum emendatione deſperat, ſeueritatem exercet. Nam ob hanc cauſam hæreticum relapſum iudicio ſeculari tradit ab illo damnandum: quia cenſet illum indignum, cui amplius venia concedatur, propterea quòd de illius emendatione deſperat. Propter eandem cauſam clericũ incorrigibilem tradit etiam poteſtati ſeculari ab illa iudicandum, quia cùm incorrigibilem eſſe agnoſcat, venia indignum eſſe iudicat. Nullus ergo pro aliquo intercedere debet, vt venia illi concedatur, quem Eccleſia venia indignum eſſe iudicat. Rurſum, Deus etſi pientiſsimus ſit, & ſæpe peccata hominum diſsimulet propter pœnitentiam, non tamen vult vt rogemus illũ pro iis, qui in peccato perſiſtunt, & emendari nolunt. Vult quidem Deus orari pro peccatoribus, vt ipſe dignetur illis pœnitentiam inſpirare, & ad illam faciendam iuuare: non tamen vult Deus rogari, vt illis non pœnitentibus & in peccato perſiſtentibus parcat. Nam qui D

A ſic Deum oraret, iniuriam illi faceret, putans illum tam remiſſum vt peccatoribus obſtinatis indulgere, & mala impunita relinquere velit. Verebar, inquit Iob, omnia opera mea, ſciens quia non parceres delinquenti. Quæ verba interpretans Gregorius in moralibus ait. Delinquenti dominus nequaquam parcit: quia delictum ſine vltione non deſerit. Aut enim ipſe hoc homo in ſe pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcitur: quia nullatenus ſine vindicta relaxatur. Hæc Gregorius. Iniuſtum ergo à Deo peteret, qui illum oraret, vt peccatorem in peccato obſtinatum ſine vlla ſui peccati vltione impunitum relinqueret. Nam propter hanc ſolam cauſam (vt in præcedenti concluſione ex Hieronymi teſtimonio probauimus) Deus præcepit Hieremiç prophetæ, vt non oraret pro populo Iſraël, quia in ſuis peccatis perſeuerabat, & emendari nolebat. Si Deum, qui pientiſsimus & ſummè potens eſt, orare non licet, vt parcat illi, qui in peccato perſeuerat, multò minus licebit intercedere pro tali apud iudicem humanum, qui hanc non habet poteſtatem, vt tali peccatori parcere poſsit: præſertim quum

Iob 9. *Gregorius.*

B iudex humanus precibus flecti poſsit ad iniuſtum aliquid faciendum. Et hæc concluſio etiam eſt ex mente Auguſtini in illa epiſtola quinquageſima quarta, vbi ſic ait. Plurimum autem intereſt, quo animo quiſq; parcat. Sicuti enim eſt aliquando miſericordia puniens, ita & crudelitas parcens. Nam, vt exempli gratia manifeſtum aliquid ponam, quis non crudelem verius dixerit eum, qui puero pepercerit volenti obſtinatiſsimè de ſerpentibus ludere? Quis autem non miſericordem qui talia prohibens, contemptorem verborum verberibus emendauerit? Et ideo non vſq; ad mortem protendenda eſt diſciplina, vt ſit cui prodeſſe poſsit. Hæc Auguſtinus. In quibus verbis id potiſsimum annotare oportet, quod ait, crudelem eſſe eum, qui puero in malo obſtinato parcit, & miſericordem, qui verberibus emendat. Crudelis ergo cenſendus eſt interceſſor, qui pro peccatore in peccato obſtinato interuenit vt non puniatur; & miſericors eſt, qui petit illum puniri, vt punitus emendetur. Et poſt aliqua in eadem epiſtola, poſtquàm de illis, quorum emendatio ſperatur, diſſeruit, de quibus nulla emendationis ſpes meritò haberi poteſt, hæc quæ

Auguſti.

ſequuntur ait. Quòd ſi tanta eſt peruerſitas & impietas, vt C
ei corrigendæ nec diſciplina poſsit prodeſſe nec venia, à bonis tamen intentione atq; conſcientia, quam Deus cernit, ſiue ſeueritate, ſiue lenitate, non niſi officium dilectionis impleatur. Quod autem in epiſtola ſequitur, vbi dicis: Verum nunc vt mores noſtri ſunt, & ſceleris pœnam cupiunt ſibi homines relaxari, & id propter quod ſcelus admiſſum eſt poſsidere, peſsimũ hominum genus commemoras, cui pœnitendi medicina omnino non prodeſt. Si enim res aliena, propter quam peccatũ eſt, cùm reddi poſsit nõ redditur, non agitur pœnitẽtia, ſed fingitur. Si autẽ veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum: ſed (vt dixi) cùm reſtitui poteſt. Hæc Auguſtinus. Ex cuius verbis conſtat illum in hac eſſe ſententia, vt nec iudex poſsit pœnam aliquam remittere, nec interceſſor pro illa remittãda iudicem rogare, quando is, pro quo rogatur, non vult recedere à peccato, propter quod eſt infligenda pœna. In eadem ſententia eſt beatus Hieronymus, imò Paulus in epiſtola
Hierony. ad Philemonem, quam idem Hieronymus interpretatur, & in qua Paulus Philemonem rogat pro Oneſimo ſeruo illius fugitiuo, qui fugiens, aliqua rei domeſticę ipſius Phi- D
lemonis ſurripuerat, & illa omnia luxurioſè viuendo prodegerat. Sed poſtea Paulum Romæ & in vinculis prædicantem audiens, credidit in Chriſtum, & ab eodem Paulo baptizatus dignam fecit pœnitentiam, qua veterem vitam adeò renouauit, vt de illius conuerſione ipſe Paulus dignatus ſit reddere teſtimonium. Pro hoc itaq; Oneſimo ſeruo
Ad Philemonem. ad Philemonem illius dominum epiſtolam ſcripſit Paulus per eundem Oneſimum miſſam, in qua pro illo intercedit Paulus, hæc inter alia dicens. Gaudium enim magnum & conſolationem in charitate tua, quia viſcera ſanctorum requieuerunt per te frater. Propter quod multam fiduciam habens in Chriſto Ieſu, imperandi tibi quod prodeſt propter charitatem, magis obſecro, cùm ſis talis vt Paulus ſenex, nunc autem & vinctus Ieſu Chriſti. Obſecro te de meo filio, quem genui in vinculis, Oneſimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & tibi & mihi vtilis eſt, quem remiſi tibi. Tu autem illum, id eſt, mea viſcera ſuſcipe, quem ego volueram mecum detinere, vt pro te mihi miniſtraret in vinculis euangelij. Sine conſilio au-

A tem tuo nihil volui facere, vt non quaſi ex neceſsitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium. Hactenus Paulus. Super hanc Pauli epiſtolam Hieronymus valde luculẽtam edidit interpretationem, &: inter alia interpretans verba illa: Propter quod multam fiduciam habens, &c. hæc ait. Quantum igitur ad peccatum & ad facinus pertinet, quo dominum læſerat, veniam non meretur: quantum verò ad Apoſtoli teſtimonium, qui ſcit eum plenè eſſe conuerſum, grandi pondere premitur qui rogatur: vt qui è ſeruo fugitiuo atq; raptore, miniſter Apoſtoli factus erat (Quod autem aliud habebat Apoſtolus miniſterium niſi euangelij Ieſu Chriſti?) iam non quaſi à domino, ſed quaſi à conſeruo, & coeuangeliſta, ignoſcetur ei, qui ſeruus eſſet Chriſti, ſimiliter & miniſter. Hæc Hieronymus. Ex cuius verbis conſtat Oneſimum illum, ſi in peccato perſeueraſſet, fuiſſe indignum, cui venia concederetur, & per conſequens vt pro illo rogaretur, poſt pœnitentiam verò & melioris vitæ conditionem, dignum eſſe effectum vt pro illo rogaret Paulus, & veniam impetraret. Et certè ſi Pauli verba diligenter inſpiciantur, hoc ipſum apertè declarant: quoniam pro Oneſimo ſeruo intercedens, non refert ſerui ætatem longæuam, aut ægritudinem, aut multos labores in fuga perpeſſos, ſed ſolùm offert ſerui cõuerſionẽ, tantámq; illius emendationem, vt ex fugitiuo ſeruo & fure ſit factus miniſter Apoſtoli in vinculis exiſtentis. *Hierony.*

B

Quarta concluſio. Nullus licitè poteſt pro reo intercedere, vt illi venia concedatur, quando ex veniæ conceſsione proximo damnum infertur. Poteſt enim in multis caſibus proximus lædi in pecuniis aut aliorum ſimilium bonorum poſſeſsionibus ex hoc ſolo quod reo parcitur, & pœna, qua dignus erat, illi remittitur. Si pœna, qua reus iuxta legis præceptum puniendus eſt, ſit per eandem legem Petro adiudicata, & iudex precibus alterius inclinatus reo pœnam illam remitteret, Petrus ex tali pœnæ remiſsione læderetur. Quia id quod lex illi conceſſerat, ſine culpa illius auferretur ab eo. Idem contingeret, ſi fur aliquis ſurripuiſſet à Petro aliquam auri aut argenti quantitatem, aut mutuo eam à creditore accepiſſet, & poſtea captus diceret ſe nihil habere ad reſtituendum furtum, aut ad reddendum mutuum, & ob hanc cauſam iudex ab interceſsio- *Concluſio quarta.*

ne alicuius victus illum liberum abire fineret. Nam ex tali dimiſsione apertè læditur Petrus, ſi fur ille habet vnde reſtituere aut reddere poſsit. Et niſi manifeſtis indiciis illius inopia demonſtrari poſſet, ſemper de fure præſumendum eſt, illum negare quod habet, vt ſic negando poſsit furtiuè retinere quod furto ſurripuit. Quia (vt dicitur regula octaua de regulis iuris in ſexto) Semel malus ſemper præſumitur eſſe malus. In his aut aliis ſimilibus caſibus, in quibus proximus læditur, ſi reo pœna remittitur, non poteſt aliquis pro reo intercedere vt pœna illi remittatur aut minuatur. Quia etſi pro reo intercedere ſit aliquando opus charitatis & pietatis, non tamen quando per talem interceſsionem alter læditur proximus. Qui enim veram vni vult exhibere pietatem, oportet vt illam ſine alterius damno impendat, ita vt non ſit vni miſericors, & alteri crudelis. Nam (vt ait Paulus) non ſunt facienda mala, vt inde eueniant bona. Malum quidem eſt proximum lædere, hoc ergo facere non licet, vt hac via alteri proximo charitatem aut pietatem exhibeamus. Qui præcipit nobis vt proximum diligamus, non vnum aut alterum tantùm dixit, ſed omnem. Non minus obligatur quiſq; diligere proximum, qui læditur ex indulgentia reo conceſſa, quam ipſum reum, & inde ſequitur, vt etiam obligetur non intercedere pro reo, ne ſi id, quod pro illo petit, impetrauerit, alterum proximum lædat. Præterea, Iudex (vt in proximè præcedenti capite probauimus) non poteſt remittere aut minuere pœnam reo, ſi inde alius læditur proximus, & ſi contra ius remitteret, peccaret, & obligaretur in conſcientia ad plenam damni reſtitutionem alteri faciendam. Ergo is, qui pro huiuſmodi reo intercedit, etiam peccat, & obligatur ad reſtitutionem damni illati perinde ac iudex. Conſequentia iſta probatur per ea, quæ in principio huius capituli diximus, vbi apertè oſtendimus rogantem tantundem valere ad mouendum animum alterius & plus quàm conſulentem. At de conſulente omnes Theologi concorditer ſentiunt illum eſſe obligatum reſtitutioni perinde ac ille, qui conſilio eius perſuaſus, intulit alteri damnum. Nam inter multos, quos cum fure currentes aut participantes dicunt, etiam conſulentem enumerant. Et hæc omnia apertè probantur per

Rom. 3.

C

D

capit.

A capit. finale de iniuriis & damno dato. §. vltimo, vbi hæc verba habentur. Qui occaſionē damni dat, ipſum damnum dediſſe videtur. Sed quod de interceſsione dixi, tunc ſolùm intelligendum eſſe volo, quando iudex non remiſiſſet pœnam, niſi fuiſſet ab interceſſore attractus & allectus. Nam ſi iudex fuiſſet abſque alterius precibus facturus, quamuis interceſſor pro huiuſmodi pœnæ remiſſione rogans peccet, non tamen obligatur ad illius damni reſtitutionem, quia tunc ipſe non eſt occaſio illius damni. Et hæc ſententia pluribus Auguſtini teſtimoniis comprobatur. Nam in illa epiſtola 54. poſtquam dixerat pœnitentiam non agi, ſed fingi, ſi res aliena, quæ malè & cum peccato ablata eſt, non reſtituatur, cùm reſtitui poteſt, hæc quæ ſequuntur adiungit. Plerunque enim qui aufert, amittit, ſiue alios patiendo malos, ſiue ipſe malè viuendo, nec aliud habet vnde reſtituat. Huic certè non poſſumus dicere, redde quod abſtuliſti, niſi cùm habere credimus & negare. Vbi quidem ſi aliquos ſuſtinet repentè cruciatus, dum exiſtimatur habere quod reddat, nulla eſt iniquitas: quia etſi non eſt vnde luat ablatam pecuniam, meritò tamen, dum eam per moleſtias corporales redhibere *Auguſti.*
B compellitur, peccati, quo malè ablata eſt, pœnas luit. Sed inhumanum non eſt etiā pro talibus intercedere, tanquam pro reis criminum. Non ad hoc vt minimè reſtituant aliena, ſed ne fruſtrà homo in hominem ſæuiat, ille præſertim, qui iam remiſit culpam, ſed quærit pecuniam, etſi fraudari metuit, non expetit vindicari. Hæc Auguſtinus. Et paucis interpoſitis ſubdit. Sed pro iſtis magis apud eos, qui repetunt, quàm apud eos, qui iudicant, intercedere conuenit, ne ipſe videatur auferre, qui cùm habet poteſtatem, non cogit reddere, quāuis in cogendo ita debeat adhibere integritatem, ne amittat humanitatem. Illud verò fidētiſsime dixerim, eū qui pro homine ad hoc interuenit, ne malè ablata reſtituat, & qui ad ſe confugientē quantum honeſtè poteſt, ad reſtituendum non compellit, ſocium eſſe fraudis & criminis. Nam miſericordius opem noſtram talibus ſubtrahimus, quam impendimus. Hæc Auguſtinus. Et poſt aliqua iterum ait. Ad ſummam igitur neq; apud tales, ſi qui reperiūtur qualē te eſſe gaudemus, neq; apud ipſos, qui magno ſtudio aliena ac nihil profutura, multóq; etiam perniculoſa

ac perniciosa petunt, neque apud cor meum, cui teſtis eſt Deus, auſim dicere, ſentire, decernere, interueniendum eſſe pro aliquo, vt quod ſcelere abſtulit, ſceleris impunitate poſsideat. Sed vt remiſſa iniuria, quod iniurioſè abſtulit, reddat, ſi tamen habet quod abſtulit, vel aliud vnde illud reſtituat. Hactenus Auguſtinus. Ex cuius verbis conſtat, pro quo reo, & quando, & quantum intercedere liceat. C

An reus excuſetur per ignorantiam à pœna per legem ſtatuta.

CAPVT XIIII.

POSTQVAM in duobus præcedẽtibus capitulis declaraui quando & quomodo reus poſsit ex iudicis arbitrio & poteſtate à pœna per legem ſtatuta iuſtè eripi: nunc iam opus eſt vt diſſeram de circunſtantiis delictorum, quæ meritò poſſunt delinquentes à pœna legis liberare. Et primò de ignorantia diſſeram, deinde de criminis occultatione: quoniam hæ duæ ſolæ ſunt, quæ aliquam videntur præſtare poſſe pœnæ excuſationem. Vt autem de ignorãtia D certam aliquam ſententiam reddere valeam, oportet prius annotare multiplicem eſſe ignorantiam, multiplicémque pœnam. Pœna quidem, quæ ad præſentem ſpectat diſputationem, duplex eſſe poteſt: vna eſt quæ propter peccatum & ad illius punitionem ſtatuitur, & hæc eſt quæ ſola (vt aliàs dixi) verè & propriè dicitur pœna. Altera eſt, quæ non propter peccatum, ſed propter aliquam iuſtam cauſam ſtatuitur, & infligitur, prout eſt irregularitas, interdictum, indignitas ad ſacerdotium, aut prælationem, quas omnes frequenter ſine peccato, quamuis non ſine iuſta cauſa, multi patiuntur. Ignorantia autem multo magis eſt varia, & multo plures habet diſtinctiones, atque diuiſiones. Primò quidem ex parte ipſius ignorantis illam diuidit Ariſtoteles in ignorantiam negationis, & ignorantiam diſpoſitionis. Ignorantia negationis eſt ſola priuatio notitiæ alicuius rei aut circunſtantiæ illius. Et hæc ignorantia ab aliis vocatur neſcientia. Ignorãtia diſpoſitionis vocatur ab Ariſtotele illa, qua quis iudicat de re aliqua aliter quàm illa ſe habeat, quam ignorantiam ipſe Ariſtoteles dicit vocari decep

Ariſtot. lib. 1. poſteriorum. cap. 12.

A deceptionem, & nos poſſumus etiã illam vocare errorem. Hæ duæ ignorãtiæ per hoc ab inuicem diſtinguntur, quòd qui iuxta primam illarum rem aliquam ignorat, nullum prorſus de illa habet iudicium; ſiue verum, ſiue falſum: qui verò iuxta ſecundam ignorantiæ ſpeciem rem ignorat, aliquod habet de illa falſum iudicium. Iuxta primã ignorantiam, quæ negationis dicitur, intelligendum eſt id, quod dominus per Hieremiam prophetam ait. Ecce ego *Hiere. 5.* adducam ſuper vos gentem de longinquo, cuius ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur. Iuxta ſecundam ignorantiæ ſpeciem, quæ dicitur deceptio, aut error, intelligitur id, quod damnatos falſa & inutili pœnitentia ductos apud ſe dicere refert ſapiens. Ambulauimus vias *Sapien. 5.* difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Nam damnati, dum in hoc mundo viuebant, non ſolam priuationem ſcientiæ, ſed deceptionem & errorem habuerunt, putantes vitia, quibus erant affecti, nihil illis obſtare, quominus ad æternam peruenirent fœlicitatem. Secundò adhuc, ex ratione eorum, quæ ignoranti accidere poſſunt, diuiditur ignorãtia in affectatam & craſſam ſiue ſupinam.

B Ignorantia affectata dicitur illa, quam aliquis diligit ſcientiam recuſans, & illam odio habens, ita vt non ſolùm neſciat, ſed ipſam neſcientiam procuret fugiendo ab omnibus, à quibus diſcere poſſet. Et hæc bifariam contingit: quia aliquando aliquis vult ignorare, ob hoc ſolum, quòd putat ſcientiam fore noxiam, & ita vult ignorare, non vt malum faciat, ſed potius vt malum euitet. Talis fuit Paulus, qui nolebat audire doctrinam Chriſti, & perſequebatur eos, qui illam prædicabant: hoc tamen non faciebat vt liberius peccaret: quia (vt ipſe teſtatur) abundantius æmu- *Gal. 1.* lator exiſtebat paternarum traditionum: ſed ideo ignorare volebat, quia putabat ſe offendere Deum, ſi talem didiciſſet doctrinam. Alio modo contingit ignorantia affectata, quando quis propter hanc ſolam cauſam vult ignorare, vt liberius peccet. Nam qui ſic obſtinatus eſt in peccato, vt in illo perſiſtere firmiſsimè decreuerit, non vult, ſed potius abhorret ſcire illa, per quæ poſſet à voluntate peccandi reuocari. Nam de huiuſmodi peſsimò peccatore loquebatur propheta regius, quum dixit. Noluit intelligere vt bene ageret. Quare autem noluit ad bene *Pſal. 35.*

agend

agendum intelligere, verbis ſequentibus declarauit,ſic inquiens. Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo: aſtitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odiuit. Ideo noluit intelligere malum eſſe quod agebat, ne hac ratione reuocaretur ab iniquitate, quam operari ſtatuerat, & quam vnicè diligebat. Huiuſmodi enim homines ſunt, qui (vt ait Iob) dicunt Deo. Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Ignorantia craſſa ſiue ſupina eſt, qua quis propter negligentiam aut pigritiam adiſcendi neſcit ea quæ ſcire deberet. Recuſat itaque adiſcere, non quidem propterea quòd odio habet ſcientiam,ſed quia horret pœnam, quam ſubire oportet in adiſcendo. Et propter hanc negligentiam & deſidiam, vnde hæc ignorantia ortum habet, vocatur ipſa ignorantia ſupina. Nam quia illi, qui ſupini iacent, otioſè, molliter, atque negligenter, & ſine vlla cura degere videntur, ideo à re ipſa ſumpto vocabulo, ipſi ocioſi & negligentes ſupini dicuntur. Et inde eadem ratione deductum eſt, vt ſupina dicatur ignorantia, quæ ex ocio & negligentia oritur, & ab eiſdem fouetur. l. Nec ſupina. ff. de iuris & facti ignorantia. Dicitur etiam craſſa hæc eadem ignorantia, propterea (vt ego arbitror) quòd ocioſitas & negligentia, minimáque rerum cura, ſolet craſſos homines facere. Abbas in capitulo, Apoſtolicæ, de clerico excommunicato miniſtrante, reddit aliam iſtorum vocabulorum rationem, quam hîc referre contempſi, propterea quòd à proprietate latini ſermonis longiſsimè abeſt. Petrus Ancharanus in capitulo, Vt animarum, numero tertio de conſtitutionibus, libro ſexto, definiens ignorantiam ſupinam ſiue craſſam, ſolùm illam definit per particulare exemplũ, ſic inquiens. Craſſa & ſupina ignorantia eſt, quando quis ignorat quod publicè factum eſt in ciuitate, vt notatur xxxviij. diſtinctione in principio: & infrà. Qui matrimonium accuſare poſſunt, capitul. Cùm in tua, vel non intelligere quod omnes intelligunt. Hæc ille. Per hanc definitionem ille comprehendere voluit ignorantiam craſſam & ſupinam tam facti quàm iuris: ita vt ignorare quod publicè factum eſt in ciuitate, ſit ignorantia facti: non intelligere quod omnes intelligunt, ſit ignorantia iuris. Quàm peſsima ſit hæc definitio, facilè quiſque intelliget, ſi aduertat in illa definitione

Iob 21.

Petrus de Ancharano.

C

D

A finitione ſolos aliquos particulares caſus explicari, in quibus ignorantia craſſa & ſupina reperitur, ſed non reddit id, quod omni ignorantiæ ſupinæ & craſſæ conuenire poſſit. Eſt enim aliqua craſſa & ſupina facti ignorantia, per quam quis ignorat, non quod publicè, ſed quod occultè ſit in ciuitate. Nam ſi epiſcopus ſine vlla præuia examinatione de doctrina aut ſcientia Petri idiotæ presbyteri, & prorſus ignorans illum eſſe doctum aut indoctum, conferret illi beneficium cum animarum cura, talis ignorantia, quam epiſcopus haberet de dignitate Petri, eſſet craſſa & ſupina, quamuis illa indignitas non eſſet publica toti ciuitati. Poteſt etiam è contrario contingere vt aliquis non habeat craſſam & ſupinam facti ignorantiam, quamuis ignoret quod publicè factum eſt in ciuitate. Quia ſi aliquis iudex omnem, quam poteſt, impendens diligentiam, vt ſciat quis fuit patrator criminis alicuius publicè in foro commiſsi, & nullus viginti teſtium, qui aderant, vult indicare criminis authorem, nec crimen ipſum, tunc iudex non dicetur habere ignorantiam craſſam aut ſupinam, quamuis ignoret id, quod publicè fa-
B ctum eſt. Nulla enim ratio patitur vt ille dicatur, craſſam aut ſupinam habere ignorantiam, qui omnem adhibuit diligentiam, vt ſciret quod ignorat. Imò poſſet eſſe vt iudex ignorans quod publicè factum eſt, non dicatur craſſam aut ſupinam facti ignorantiam habere, quamuis nullam ad ſciendum præſtiterit diligentiam. Nam ſi omnes viginti teſtes, qui crimen publicè committi viderunt, coniurent de ſecreto ſeruando, ita vt nullus eorum velit alicui alteri reuelare crimen commiſſum, tunc iudex nullam poterit accommodare diligentiam, vt crimen & illius patratorem agnoſcat: cùm nullus ad illum de crimine commiſſo rumor peruenerit, propter nimiam eorum, qui viderunt, taciturnitatem. Et inde conuincitur, vt iudicis illius ignorantia non ſit dicenda craſſa aut ſupina, quamuis publicè factum ſit quod ignorat. Quia ignorantia craſſa & ſupina ſemper eſt cum negligentia, & cum culpa, quando eſt (vt poſtea dicemus) circa id, quod quis ſcire obligatur. Vbi igitur nulla poteſt notari negligentia, ibi non poteſt eſſe craſſa aut ſupina ignorantia. Eodem modo poteſt conuinci, malam eſſe illam de-

finitionem

finitionem pro alia parte, quæ reſpicere videtur ignorantiam iuris craſſam, qua dicit ignorantiam craſſam eſſe non intelligere, quod omnes intelligunt. Nam qui ſine culpa ſua eſt mente captus, non intelligit quod omnes intelligunt, & tamen non habet ignorantiam craſſam, aut ſupinam. Quia talis ignorantia ſemper eſt cum culpa, quam non poteſt habere mente captus. Poteſt etiam aliquis craſſam iuris habere ignorantiam, quãuis non omnes, ſed paucíſsimi ſciant quod ille ignorat. Nam ſi pauci eſſent epiſcopi, pauci etiam curati, qui ſcirent ea, quæ ad ſuum ſtatum ſunt neceſſaria, & reliqui omnes ignorantes nollent diligentiam ad diſcendum adhibere, omnes illi dicerentur craſſam habere ignorantiam, quamuis de nullo illorum verè dici poſsit illum ignorare, aut non intelligere quod omnes intelligunt. Ex quibus omnibus apertiſsimè cõuincitur, ignorantiam craſſam aut ſupinam malè definiri per comparationem ad ſciẽtiam, quam ferè omnes alij habent de re illa, quæ eſt ab aliquo ignorata. Per hoc ſolum craſſa declaratur alicuius ignorantia, ſi nullam aut valde modicam ille adhibuit diligentiam, vt ſciret quod ſcire debebat. Probabilis ignorantia dicitur illa, quæ remanet poſtquam aliquis debitã adhibuit diligentiam, vt ſciret: prout fuit ignorantia Iacob putantis ſe dormire cum Rachele, quando pro illa fuit ſuppoſita Lya. Hîc tamen annotare oportet, non eſſe neceſſariam ſupremam & nimis curioſam diligentiam ad ſciendum, ſed ſatis eſſe mediocrem, vt quis non dicatur craſſam, ſed probabilem habere ignorantiam. Quia non omnis negligentia, ſed ſolùm ſumma eſt quæ facere poteſt craſſam ignorãtiam. Nam in l. Nec ſupina. ff. de iuris & facti ignorantia, ſupina ignorantia, & ſcrupuloſa inquiſitio reiiciuntur tanquam duo extrema vitioſa, inter quæ duo eſt tanquam medium neceſſarium diligentia mediocris. Deinde in l. Regula. §. Sed facti. ff. eodem titulo, apertè declaratur illam ſolam ignorãtiam, quæ ſecum habet ſummam negligentiam, eſſe dicendam ignorãtiam ſupinam. Nam dicit hanc ſolam facti ignorantiam, quæ ex ſumma oritur negligentia, poſſe nocere. Et in illa prædicta l. Nec ſupina, dicitur ſupinam facti ignorantiam non eſſe ferendam. Ex quibus duabus legibus conuincitur tunc ſolùm craſſam aut ſupinam dicendam eſſe ignorantiam,

quando

A quando valde magna fuerit negligentia ad ſciendum quod ſcire oportebat. Tertiò poteſt diuidi ignorantia ex parte obiecti, circa quod verſatur: ita vt quædam dicatur ignorantia facti, altera dicatur ignorantia iuris. Hanc diuiſionem reddit, & de vtraque præbet exempla Paulus iuriſconſultus in lege prima. ff. de iuris & facti ignorantia. Ignorantia iuris eſt illa, per quam aliquis dicitur ignorare id, quod eſt à iure decretum, videlicet iuris præceptum aut prohibitionem. Hæc autem ignorantia eſt multiplex, iuxta multiplicantem iuris, quod ignorari poteſt. Eſt enim ius naturale, & ius diuinum poſitiuum, & ius humanum. Ius naturale eſt illud, quod ex ipſius naturæ inſtitutione prouenit, & hoc eſt omnibus commune, vt dicitur in capitulo, Ius naturale, diſtinctione prima. Et hoc etiam eſt ius diuinum, quia Deus ipſe, qui naturam condidit, eſt iuris naturalis author & inſtitutor. Si igitur ius illud ad conditorem referas, diuinum dicetur: ſi verò ad tempus ſui ortus illud comparare velis, naturale dicetur: quia ſimul cum ipſa oritur natura, & non poſtea per aliquam ſiue humanam, ſiue

B diuinam legem. Nam licet præcepta legis naturalis ſint à Deo in Decalogo legis expreſſa, ante tamen quàm Decalogus ille in tabulis lapideis ſcriberetur, fuerat in tabulis cordis ſcriptum, ſimul cum ipſa natura formatum. Et hinc eſt, quòd licet nullum fuiſſet ius ſcriptum, ſemper tamen maneret ius naturale: quia illud perire non poteſt, eò quòd ſit neceſſarium, & ab ipſa natura inſeparabile. Ius diuinum poſitiuum eſt ius non neceſſariò coniunctum naturæ, ſed ab illa ſeparabile, & à Deo pro tempore conditum, prout eſt præceptum de baptiſmo, aut de confeſsione in lege euangelica, & multa præcepta ceremonialia pariter & iudicialia, quæ fuerunt olim ſolis Iudæis data. Ius humanum eſt illud, quod non à Deo, ſed ab homine conditum eſt, ſiue illud ſit eccleſiaſticum, ſiue ciuile. De his omnibus contingit, haberi ignorantiam, aliquando culpabilem, aliquando inculpabilem. Ignorantia iuris naturalis nunquam poteſt eſſe ſine culpa præcedente: quia vt illud quis ſciat, non habet opus exteriore aliquo præceptore, à quo illud diſcat, ſed ab ipſamet natura quiſque illud diſcere poteſt. Cùm enim

gentes (inquit Paulus) quæ legem non habent, natura- C
Rom.2 liter ea, quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Et ob hanc cauſam libro primo capite primo dixi non eſſe opus aliqua publicatione pro lege naturæ, ſicut pro aliis legibus pro tempore conditis. Aliquando tamen hæc iura naturæ ab aliquibus peccatoribus ignorantur, quia nimia illorum malitia ſic obſcurauit eorum intellectum, vt non intelligant ea, quæ natura docente ſunt per ſe clariſsima. Nam furtum facere, ius naurale
Plutarchus in vita Lycurgi. prohibet. Lacedæmones tamen (vt Plutarchus eſt author) furta facere non ſolùm non prohibuerunt, ſed perſuaſerunt, hac tamen lege id facere ſuadebant, vt ſi quis in furto fuiſſet deprehenſus, multis verberibus flagitio afficeretur, propterea quòd negligẽter, ineptéq; fuerit viſus furari. Adulterium facere, etiam lex naturalis prohibet, tamẽ Plutarchus refert eoſdem Lacedæmones ſuas vxores amicis ſuis communicaſſe. Dicit etiam licuiſſe apud illos probo cuique viro, qui fœcundam aliquam pulchrámque mulierem alteri nuptam admiraretur, marito illius ſuadere, vt cum ea ipſe coiret, tanquam in ſolo fertili & pulcho bonos D
filios ſaturus atq; facturus. Gentes quaſdam in Africa, Au-
Pomponius Mela libr. 1. cap. 8. gilas dictas, refert Pomponius Mela, quorum fœminis ſolenne eſſe dicit, vt nocte, qua nubunt, patent ſtrupo omnium, qui cum munere aliquo acceſſerint: & illam, quæ cum pluribus concubuerit, maius decus conquiſiiſſe ait, & impoſterum ad perpetuam pudicitiam legibus ſeueriſsimis illas cogi teſtatur. Parentes reuereri ius naturale docet: at Garamantici Aethiopes (ſi Solino credimus) con-
Solinus cap. 43. trariam conſuetudinem perpetuò ſeruant. Nam (vt ille ait) matrimonia priuatim neſciunt, ſed omnibus vulgo in venerem licet. Inde eſt quòd filios matres tantùm recognoſcunt. Nam paterni nominis nulla reuerentia eſt. Quis enim verum patrem nouerit in hac luxuria inceſti laſciuientis? Ea propter Garamantici Aethiopes inter omnes populos degeneres habentur: nec immeritò, quia afflicta caſtitatis diſciplina, ſucceſsionis notitiam ritu improbo perdiderunt. Hactenus Solinus. Hæc tamen tam improba ignorantia ex peſsima illorum malitia, quæ illorum excæcat intellectus, ortum habet. Nam hanc eſſe

tam

A tam peſtiferæ ignorantiæ certiſsimam originem, teſtatur Paulus Apoſtolus, qui de huiuſmodi gentibus diſſerens, ait. Quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, vt gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Hæc Paulus. Iuris diuini poſitiui ignorantiam poſſe haberi, apertiſsimè probatur exemplis tam multarum gentium, quæ prorſus ignorant baptiſmum, & confeſsionem in peccatorum remiſsionem. An autem talis ignorantia poſsit ſine culpa haberi, an non quæſtio eſt non parum difficilis, & quæ longiorem requirit diſputationem? Sunt aliqui non contemnendæ authoritatis theologi, qui dicunt nunquam poſſe contingere, vt aliquis ſine culpa ſua ignoret, præceptum diuinum de baptiſmo, aut aliud ſimile diuinum ius poſitiuum. Ad quod dicendum hac mouentur ratione, quòd ſi is qui ius diuinum ignorat, facit quod in ſe eſt, vt illud ſciat, vt puta cauendo reliqua peccata, & ſcientiam ſibi neceſſariam petendo à Deo, tunc Deus illuminabit illum aut interna inſpiratione, aut mittendo illi hominem qui illum do-

B ceat: prout factum eſſe conſtat cum Cornelio illo Centurione, ad quem Deus miſit Petrum Apoſtolum qui illum doceret. Si verò is qui ius diuinum ignorat, non facit quod in ſe eſt vt illud ſciat, tunc hæc negligentia erit illi peccatum, quia non ſe præparat ad diſcendum ea quæ ſunt illi neceſſaria. Præterea, facienti quod in ſe eſt, Deus ſemper ſubuenit: quia (vt Auguſtinus ait) benefacere ſemper Deus paratus eſt, ſed malitia hominum prohibetur. Et propheta regius ait. Prope eſt dominus omnibus inuocantibus eum in veritate: deprecationem eorum exaudiet. Ex quibus verbis apertè conuincitur illum qui iuris diuini ſententiam à Deo (vt decet) petit, impetraturum quod optat. Rurſum, Ioannes Apoſtolus ait. Non neceſſe habetis vt aliquis doceat vos, ſed ſicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium. Hæc Ioannis verba apertiſsimè probant illum qui eſt in gratia & habet ſpiritus ſancti vnctionem, ſcire omnia quæ ſunt ad ſuæ animę ſalutẽ neceſſaria: quia ſi aliquid tale ignoraret, non eſſet in gratia, aut illlud non eſſet neceſſarium ad animæ ſalutem. Et inde è contra-

Rom. 1.

Act. 10.

Pſal. 144

1. Ioan. 2.

rio ſequitur, vt ſi aliquod tale ignoret, non ſit in gratia. Sed hæç omnia argumenta non bene probant, prædictam ſententiam quæ dicit ignorantiam iuris diuini non poſſe eſſe in aliquo, ſine culpa illius. Fateor quidem illum qui non facit quod in ſe eſt, vt ius diuinum ſciat, peccare: quia non apponit eam quam obligatur facere diligentiam. Sed quod debitam diligentiam adhibenti, & facienti quod in ſe eſt Deus per ſe, aut per alium ſtatim & ſine vllo interuallo reuelet ius diuinum, argumenta non probant. Bene quidem probant argumēta neceſſariò alterum duorum ſub diſiunctione euenire, quòd Deus reuelabit facienti quod in ſe eſt, aut quòd non imputabit illi ad culpam talem ignorātiam. Nam licet facienti quod in ſe eſt ſtatim ſine vllo temporis interuallo Deus concedat gratiam, non tamen ſtatim ſine temporis interuallo, ſed potius temporis ſucceſſu ſui iuris ſcientiam reuelat. In qua temporis ſucceſsione ille ignorans (vt conſtat) eſt ſine culpa, præſertim mortali: quia iam fecerat totum quod in ſe erat, vt ſe à peccato mundaret. Et, vt rem hanc manifeſtiorem faciam, ipſum Cornelium Centurionem quem ad ſuæ ſententię probationem afferunt, in exemplum propono. Hic enim non in eo temporis articulo quo eleemoſynas dedit, nec continuo poſt orationes ab eo factas reuelationem fidei accepit, ſed iuſſum eſt illi vt mitteret viros in Ioppen, & accerſiret Simonem, qui vocatur Petrus. Quo Dei mandato audito mittit viros, qui vocarent Petrum, quo adueniente & docente, Cornelius didicit quod ſcire cupiebat. In illo medio tempore quo Cornelius ſeruos ſuos miſit vocare Petrum, antequam Petrus veniret, Centurio ille ignorabat ius diuinum, & fidei noſtræ myſteria, hæç tamen ignorantia erat ſine culpa ſua, quia illo tempore medio Cornelius fecerat quicquid facere tenebatur pro culpa depellenda. Nam (vt ſacra de illo teſtatur ſcriptura) iam tunc erat vir religioſus, & timens Deum, & faciens eleemoſynas, & deprecans Deum ſemper. Quæ omnia apertè declarans illum eſſe virum iuſtum, & Dei gratiam ſecum habentem, qui tamen eo tempore legem Dei ignorabat. Sed ignorantia illa non imputabatur illi ad culpam, quia pro illa depellenda fecerat quicquid facere obligabatur. Et fortè hoc animaduertis

[Margin: C; Act. 10; D]

A maduertit Ioannes Gerſon in lectione ſecunda, de vita ſpirituali animæ, quando non abſolutè, ſed ſub diſiunctione dixit, apud facientem, quòd in ſe eſt nullam eſſe ignorantiam inuincibilem facti aut iuris in lege diuina, aut agentem ex tali ignorantia nunquam peccare. Poſſet igitur dici Deum non permittere, vt faciens quod in ſe eſt longo tempore laboret ignorantia iuris diuini, ſed ante modicum tempus illuminabit illum, aut per ſe; aut per alium. Nec miretur aliquis quòd ad hanc doctrinam præſtandam aliquod temporis ſpatium decurrat, quia ſolenne eſt à Deo petita non ſtatim dare, ſed aliquando differre, vt magis deſiderentur, & poſtea accepta magis æſtimentur. Vnde Auguſtinus ſuper Ioannem interpretans illa Chriſti verba: Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis, ait. Accepit autem quando debet accipere: quædam enim non negantur, ſed vt congruo dentur tempore, differuntur. Hæc Auguſtinus. Hoc tamen annotare oportet, quòd ſicut dicimus Deum non permittere facientem quod in ſe eſt, diu laborare ignorantia legis diuinæ, ita oportet dicere Deum non permiſſurum, vt ille ſic ignorans moriatur antequam ſit de fide Chriſti ſufficienter inſtructus, vt in illo ſpem ſuam ponere ſciat, ſine cuius meritis ſaluari non poteſt. Nam niſi ita faciendum eſſe dicamus, anguſtiæ nobis erunt vndique: quoniam neceſſarium erit fateri illum ſine fide mediatoris ſaluari, aut cum gratia decedentem condemnari, aut facientem quod in ſe eſt carere Dei gratia, quorum quodlibet aſſerere impium eſſet & hereticum. Hæc de ignorantia iuris diuini obiter per occaſionem dicta ſufficiant, nec volui hac in parte lõgiorem facere diſputationem, ne longiſsimè à ſcopo principalis quæſtionis diſcederẽ. Nam hoc ſolum in præſenti capitulo potiſsimum quæritur: An ignorantia poſsit reum à pœna per legem ſtatuta excuſare. Ad cuius quæſtionis definitionem nihil aut parum iuuat ſcire, an ignorantia iuris diuini poſſit alicui ſine culpa ſua contingere. Quia etſi illa contingere poſſet ſolum liberaret à pœna æterna, de qua nos impræſentiarũ non quærimus, ſed de pœna tẽporali per legem humanam ſtatuta. Ius humanũ poſſe ignorari, manifeſtius eſt quàm vt probari oporteat, ſed an illud poſsit ignorari

Ioannes Gerſon.

Ioannes 16. Auguſtinus.

B

ſine peccato, ab aliquibus dubitatur. Et fortaſſe alicui videbitur talem ignorantiam eſſe peccatum, quia in l. Leges ſacratiſsimæ, C. de legibus, dicitur leges debere ab omnibus intelligi, vt vniuerſi præſcripto earum manifeſtius cognito vel inhibita declinent, vel permiſſa ſectentur: & cap. j. de conſtitutionibus, præcipitur vt canonum ſtatuta ab omnibus cuſtodiantur, non poſſent autem ab omnibus cuſtodiri, niſi ab omnibus ſciantur, ergo omnes illa ſcire tenentur. Contrariũ tamen fortius perſuadetur, quia ſi ignorantia iuris humani ſemper eſſet peccatum, vix vllus ſine peccato eſſet: quia nullus eſt qui totum ius humanum memoriter teneat. Deinde, obligare omnes ad ſciendũ omnia ſtatuta humana, eſſet iugum grauiſsimum & importabile ſuper ceruices ſubditorũ imponere, imò eſſet laqueum conſcientiis illorũ parare, à quo nullus eripi poſſet. Nam tanta eſt legum, & canonum multitudo, vt ſi omnes eſſent ſub pœna peccati mortalis obligati ad ſciendũ illa omnia, ferè omnes damnarentur, & charitas quę eſt finis cuiuslibet legis etiam diuinæ læderetur. Omnis autem lex eatenus præciſè eſt bona, & obligare poteſt, quatenus participat de charitatis lege, quæ eſt finis præcepti, & iuxta quam cætera moderari debent. Pro certa huius quæſtionis definitione admonere prius oportet lectorem vt aduertat, non omnes leges humanas obligare ad peccatum mortale, ſed multas eſſe quę nullam peccati, pręſertim mortalis obligationem in ſe continent: Quia materia illarum eſt leuis, & indigna, vt propter illam culpæ mortalis obligatio ſtatuatur, aut verba quibus vtitur legiſlator non ſunt talia, qualia erant neceſſaria ad ſimilem obligationẽ exprimendã, de quibus omnibus ſuprà diſſerui lib. j. cap. v. Huiuſmodi leges, ſicut nullam habent peccati obligationem in ordine, ad id quod per illas decernitur, ita non obligant vt ſciantur. Quia hac ſola ratione leges obligant ſubditos ad illarum ſcientiam, quia obligant ad illarum obſeruationẽ. Vbi igitur illarum obſeruatio non obligat ad peccatum, conſequens eſt, vt nec illarum ſcientia obliget ad peccatum. Alię ſunt leges obligantes ad peccatum mortale, & iſtæ ſunt duplices. Quædam ſunt quæ non omnibus ſtatibus, ſed aliæ aliis perſonarum ſtatibus conueniunt. Nam quędam ſunt leges quæ ſolis prætoribus vrbium, aliæ quæ ſolis præſidibus prouinciarum,

A clarum, aliæ quæ ſolis notariis & tabellionibus, aliæ quæ ſolis aduocatis, aliæ quæ ſolis tutoribus, aliæ denicq; aliis ſolis particularibus perſonarum ſtatibus datę ſunt. Has leges particulares illi ſoli, ad quos illæ diriguntur, ſcire tenentur. Tutor obligatur ſcire eas leges quę illum ad peccatum obligant, quoniam ſi illas ignoraret, minimè illas ſeruare poſſet. Idem dicendum eſt de aduocato, in illis quæ ad illum pertinent, & de tabellione circa illa quæ tabellionatus officium reſpiciunt, & de monacho circa illa, quæ ad ſui monachatus profeſsionē attinēt, & de epiſcopo circa illa quæ canones illum facere præcipiunt, & conſequenter idem dicere oportet de reliquis omnibus perſonis in particulari aliquo ſtatu, aut officio conſtitutis, circa ea quæ ad ſuum ſtatum aut ſuum officium ſpectant. Omnes enim (vt beatus Thomas docet) tenentur ſcire ea quæ ad ſuum ſtatū pertinent. Quia omnes tenentur ſcire illa ſine quibus non poſſunt opus ad quod obligantur, exequi. Si quis autem aliquod quod iuxta ſuum ſtatum illi lex facere præcipit, ignorauerit, talis ignorantia eſt illi peccatum. Alię ſunt leges vniuerſales, quæ non de aliquo ſtatu particulari, aut de

Tho. 1. 2. q. 76. ar. 2.

B aliquo ſpeciali ſtatuunt, ſed in vniuerſum quid ſit ab omnibus faciendum decernunt. Et huiuſmodi leges, ſi tales ſunt quæ ad peccatum mortale obligent, omnes ſcire tenentur illas ſub pœna peccati mortalis, niſi forte quis velit abſtinere ab illis operationibus, circa quarum iuſtitiam leges illæ verſantur, diſponendo qualiter illas iuſte facere oporteat. Nam in talibus operationibus, etſi huiuſmodi ſint vt ab omnibus fieri poſsint, nullus obligatur leges, quæ de rebus illis diſponunt, ſcire, niſi quando voluerit illa exercere de quibus leges illæ decernunt. Si quis, gratia exempli, non vult conducerę, neq; locare, non obligatur ſcire eas leges quas neceſſario ſeruare oportet in conductione iuſta, aut locatione. Qui verò cōducere aut locare vult, antequam aliquod illorum faciat, obligatur ſcire eas leges, quarum obſeruatio eſt neceſſaria ad iuſtam conductionem aut locationem. Et ſi illas neſcit, obligatur interrogare de illa re aliquem iuriſperitum vt ab illo diſcat ne id quod facere tentat, iniuſte faciat. Si quis non vult cum alio paciſci, non eſt illi opus ſcire eas leges quæ ad iuſta pacta faciēda ſunt neceſſariæ. Si verò paciſci optat, ne pactum

iniuſtum faciat, obligatur ſcire id quod eſt neceſſarium C
Regula optima. ad iuſtum pactum faciendum. Et, vt ſemel dicam, quiſq; obligatur ſcire illam humanam legem, cuius obſeruatio eſt neceſſaria ad iuſtè faciendum id quod facere aggreditur. Et de his ſolis legibus intelligere oportet, id quod dicitur in illa prædicta l.Leges ſacratiſsimæ,C.de legibus. Nullus enim tenetur ſcire omnes leges humanas, ſed illas ſolas quæ ſunt neceſſariæ ad iuſtè faciendum quod facere decernit, aut ad fugiendum ab eo quod fugere oportet. Et iuxta hunc modum non erit neceſſarium multas ſcire leges humanas, niſi quis velit multis ſe miſcere negotiis, quia hic eo ipſo quòd ſe multis & variis inſerit negotiis, ſe obligat ad ſciendum omnes illas leges, quæ ad illa omnia negotia iuſtè exercenda ſunt neceſſaria. Iuxta hunc modum obligationis conſtat etiam non eſſe nimium graue, aut importabile legum humanarum iugum, ſed illum ſibi ipſi imponere iugum graue, qui ſe multis & variis negotiis libenter immiſcet. Hoc tamen de ſolis legibus ciuilibus dictum eſſe volo; à quarũ exercitio & ſcientiæ obligatione multi facilè ſe ſubtrahere poſſunt. Nam de eccleſiaſticis legibus, præſertim de illis quæ ex- D communicationes, aut ſuſpenſiones, aut irregularitates ſtatuunt, multi viri doctiſsimi & verè pij ante me conqueſti ſunt: & deplorarunt tantam excommunicationum, & ſuſpenſionum, & irregularitatum multitudinem, vt multo magis graue putauerint eſſe nunc iugum legis eccleſiaſticæ, quàm olim fuit legis Moſaicæ. Nam (vt alios multos prætereàm, qui de tanta excommunicationum, & ſuſpenſionum, & irregularitatum multitudine conqueruntur, & dolent) Ioannem Gerſonem virum vtique
Ioannes Gerſon. doctiſsimum & verè pium in teſtem profero, qui lectione quarta de vita ſpirituali animæ corollario decimoquarto, hæc ait. Audiui de Papa Vrbano quinto quòd gloriabatur ſe Papam eſſe ob hanc præcipuè cauſam, quòd nullis pœnis excommunicationum & irregularitatum erat obnoxius. Qui ſi dilexiſſet proximos ſuos ſicut ſeipſum, & hoc aduertiſſet, relaxaſſet fortaſsis tot laqueos, tot onera, tot pericula ab eorum ceruicibus, vt aliquali, & ſi non pari ad ipſum, libertate gratulari potuiſſent. Hæc Ioannes Gerſon.

A Ignorantia ſolùm facti eſt illa per quam habita iuris ſcientia ignoratur rem aliquam eſſe iure præceptam aut prohibitam. Scit enim optimè aliquis neminem poſſe ſe, ſicut nec alium hominem, occidere: ac proinde ſcit non licere ſibi cibum venenoſum aut mortiferum ſumere, ſicut nec alteri porrigere. Hac tamen ſcientia ſtante neſcit aliquem certum cibum eſſe mortiferum, & per conſequens ignorat cibum illum eſſe ſibi iure diuino prohibitum. Hæc ignorantia dicitur ſolius facti ignorantia. Scit etiam idem eſſe diuino iure prohibitam omnem fornicationem, hoc eſt omnem coïtum cum ea quæ non eſt ſua, qua ſcientia ſtante poteſt ignorare illam cum qua coït, non eſſe ſuam, prout contingit patriarchæ Iacob, cui nocte nuptiarum pro Rachele ſuppoſita eſt Lya. Hæc ignorantia qua fuit deceptus Iacob, dicitur ſolùm ignorantia facti. Scit etiam alius licere ſibi in bello iuſto occidere hoſtem: ſed ſtante hac ſcientia ignorat Petrum, qui verè eſt amicus, eſſe hoſtem: propterea quòd vidit illum hoſtilia ſigna geſtantem. Talis ignorantia cenſetur ſolius facti ignorantia, & ſi hac ſola ratione illum tunc occidiſſet, ex ſola *Geneſ.32.*
B ignorantia facti illum occidiſſe diceretur. Ex quibus colligo ex tot rationibus poſſe contingere ignorantiam facti, quot poſſunt eſſe circunſtantiæ in facto ipſo, quarum quælibet poſsit augere, aut minuere bonitatem, aut malitiam actus. Poteſt enim eſſe, vt quis ſciens optimè ius diuinum interficiat aliquem, neſciens an ille eſſet ſacerdos, & an eſſet pater, & an locus in quo illum occidit eſſet ſacer. Poteſt etiam aliquis dare eleemoſynam alicui ignorans illum eſſe verè pauperem, & inimicum, & ignorans illum per talem eleemoſynæ ſuſceptionem fore à peccato reuocandum, quorum quodlibet poterat augere bonitatem illius eleemoſynæ, ſi ſciretur. Hæc tamen ignorantia facti poteſt eſſe peccatum, ſi ante operis executionem non adhibetur diligentia debita, vt cognoſcatur id circa quod verſari debet ipſa operatio. Dicitur autem ipſa ignorantia peccatum, ſiue facti ſit ſiue iuris ignorantia: non quidem propterea quòd ipſa ignorantia ſola in ſe conſiderata ſit peccatum: quia talis ignorantia cùm ſit in intellectu, ſicut ſcientia cui illa opponitur, non poteſt eſſe peccatum. Quia peccatum non eſt in intellectu, ſed in voluntate, in qua etiam eſt

Bonauentura in 2. ſent. diſt. 22. art. 2. q. 2. ad quartũ.

meritum. Dicitur ergo ignorantia peccatum (vt optimè dicit S. Bonauentura) propter negligentiam illi coniunctam, & à voluntate procedentem: quia videlicet voluntas non voluit adhibere diligentiam vt ſciret, quod ſcire tenebatur. Et ita ignorantia quæ eſt peccatum (vt ille ait) non tantùm dicit ſcientiæ priuationem, ſed etiam negligentiam ad ſcientiam neceſſariam acquirendam. Nam ille ſolus ignorando peccat, qui obligatur ſcire quod ignorat. Et hinc eſt quòd malitia ipſius ignorantiæ menſuratur per magnitudinem aut paruitatem negligentiæ, circa id quod neceſſario ſcire oportebat, & per magnitudinẽ obligationis ad ſcientiã habendam. Si obligatio ad ſcientiam eſt ſub pœna peccati mortalis, ipſa ignorantia erit peccatum mortale. Et de hac ſola ignorantia intelligendũ eſt quod Paulus ait. Ignorans ignorabitur. Ab hoc autem ignorentiæ peccato tanto magis excuſabitur ignorans, quanto maiorem adhibuit diligentiam vt diſceret. Si nullam adhibuit diligentiam pro ſcientia acquirenda, nullam etiam habebit ſui peccati excuſationem. C

Quarto modo ignorantia diuiditur ex ratione obligationis ad ſcientiam, & ſic diuiditur per ignorantiam vincibilem & inuincibilem. Hanc diuiſionem reddit magiſter ſententiarum in ij. diſtin. xxij. qui tamen non declarat quid ſit vnaquæq; illarum. Ignorantia inuincibilis eſt illa quam homo vincere nõ poteſt, faciendo quod tunc facere tenetur ad ſcientiam acquirendam. Ignorantia vincibilis eſt illa quam homo vincere poteſt, faciendo id quod tunc facere obligatur vt ſcientiam acquirat. Ex quibus definitionibus ſequitur ebrium aut furioſum conſummatum habere ignorantiam inuincibilem eorum quæ facit, quia licet culpam habeat, ex hoc quod ſe inebriauit, aut ſe in furiam iniecit, poſtquam tamen iam factus eſt ebrius aut furioſus, non poteſt vincere ignorantiam, faciendo quicquid tunc ad vincendum illam facere tenetur. Dicitur autem ignorantia vinci per acceſſum ſciẽtiæ, quia illa accedente recedit ignorantia, & manet victa: ſicut homo qui cum hoſte pugnans fugit à loco pugnæ, cedit arenæ, dicitur victus. Ad vincendum autem ignorantiam, id ſolùm quiſque facere tenetur, quod tenetur facere vt habeat ſcientiam oppoſitam. Quia igitur multa ſunt quæ homo ſcire non tenetur, ideo D

A etiam multa ſunt quorum ignorantiam vincere non obligatur. Quid autem homo facere debeat, vt ignorantiam vincere poſsit, alij aliter ſentiunt? Sunt enim qui putant ſatis eſſe cuilibet, vt viros doctos interroget, & ſic ab illis diſcat quod ſcire tenetur. Et ſi illos interrogans fuerit ab illis deceptus, dicunt non eſſe illi imputandam hanc ignorantiam. Ita ſentit Landulphus Neapolitanus.iiij.diſtinct. xv. Sed hæc illius ſententia nimis blanditur ignorantibus. Si ignorantia eſſet circa ea quæ ſunt ſolùm iuris humani, tolerari non poſſet quod ait, quanto magis ſi ignorantia eſſet circa illa quæ ſunt iuris diuini, in quibus multo fortior eſt obligatio quàm in illis quæ ſunt iuris humani? Fateor quidem neceſſarium eſſe illi qui ignorat, vt viros doctos de re illa interroget. Quia ſicut is qui corporali morbo præſertim graui & periculoſo laborat, obligatur quærere medici corporalis conſilium, quòd ſi quærere neglexerit, dicetur tentare Deum: ita qui ſpirituali morbo, hoc eſt, ignorantia laborat, tenetur ſpiritualium medicorum, hoc eſt, virorum doctorum conſilium quærere, aliâs dicetur tentare Deum. Sed hac in re ſunt multa adhuc conB ſideranda, quæ ad ignorantiam vincendam ſunt prorſus neceſſaria. Primò quidem ad omnem ignorantiam depellendam, ſiue illa ſit iuris humani ſiue diuini, non ſatis eſt vnum virum doctum conſulere, ſed oportet multos interrogare, præſertim ſi res eſt grauis & magni momenti, & de qua non inter omnes conuenit. Nam ſi res eſſet leuis & parui momenti, fatuũ putarem & nimis curioſum atque ſcrupuloſum velle omnes, aut multos viros doctos conſulere. Sicut fatuum etiam eſſet pro quolibet leui morbo corporali medicos interrogare. Si tamen res eſſet grauis longè aliter facere oportet. Tunc enim non ſatis eſt vnum conſulere, & illius conſilium ſequi, ſi audit alium ex aduerſo ſtare qui oppoſitam ſententiam doceat, ſed oportet vt multos interroget, & plurimorum conſilio acquieſcat. Neque hoc ſatis, ſed oportet ipſorum doctorum quos conſulit, vitam & merita interrogare, quia ſi fama publica eſt illos malam habere conſcientiam, non ſunt interrogandi. Non eſt enim præſumendum, vt quis aliis melius quàm ſibi conſulat. Qui ſibi nequam (ait ſapiens) cui bonus erit? Qui igitur virum aliquem doctum de re graui, & quæ conſc

Landulphus.

Eccleſ. 14

conſcientiam onerare poſsit, conſulere vult, prius de illo C
interroget, an ſit bonus ac timens Deum, perinde ac doctus. Si fama eſt illum malè viuere, aut aliis in rebus laxiorem habere conſcientiam, non eſt interrogandus. Si multi tales concorditer de re aliqua ſenſerint, non eſt propterea illorum ſententia ſecurè ſuſcipienda, ſi conſtat alios viros bonos perinde ac doctos contrarium ſentire, etiam ſi

Eccle.37. hi pauciores ſint numero quàm alij. Nam (vt ſapiens Eccleſiaſticus ait) anima ſancti viri enunciat aliquando vera, quam ſeptem circunſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum.

3.Reg.22 Pro qua re efficax teſtimonium eſt Michæas propheta cuius ſolius ſententiam res ipſa declarauit fuiſſe veriorem, quàm ferè quadringentorum prophetarum, qui contraria prædicebant. Si fortè contingat doctores pares numero, & doctrina, & bonitate contrarias tenere ſententias, & neceſſarium ſit illarum alteram ſequi, illa quæ ſecurior videbitur, erit ſuſcipienda. Si non eſt neceſſarium illarum alteram ſequi, prout contingit in contractu de vſura ſuſpecto de quo alij aliter ſentiunt: tunc ſecurius eſt à tali contractu abſtinere. Deinde, præter conſilium virorum doctorum & bonorum, ſi ignorantia eſt circa ea quæ D
ſunt iuris diuini, ad illam repellendam, & vincendam obligatur homo orare Deum, & per pœnitentiam peccatorum, ſi quæ habet, præparare ſe ad ſuſcipiendam ſcientiam, vt ſic dignus fiat cui Deus, per ſe aut per doctores quos ille interrogat, reuelet quod obligatur ſcire. Nam peccatoribus exprobrat dominus quòd ſine iuſtitia & bonitate, ſcientiam viarum Dei petant. Me etenim (inquit Deus per

Eſai.58. Eſaiam prophetam) de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt, quaſi gens quæ iuſtitiam fecerit, & quæ iudicium Dei ſui non dereliquerit. In quibus verbis apertè nos docet Deus eos qui iuſtitiam non faciunt, & iudicium Dei ſui derelinquunt, indignos eſſe vt illis Deus viarum ſuarum ſcientiam manifeſtet. Neque hoc ſolùm nocumentum ad vincendam ignorantiam præbent peccata, quòd indignos faciunt peccatores, vt Deus illis ſcientiam neceſſariam per ſe reuelet, ſed omnem inſuper illis viam præcludunt, per quam poſſent illam rectè ab hominibus diſcere. Nam eorum peccata ſæpe ſunt cauſa, vt Deus illis malos reddat doctores, à quibus, ad ſuorum peccatorum pœnam,

A decipiantur. Pro qua re apertiſsimum teſtimonium præbet Paulus in poſteriore ad Theſſalonicēſes epiſtola ſic dicens. 2.Theſ.2
Pro eo quòd charitatem veritatis non receperunt vt ſalui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio. Et hoc ipſum quod Paulus minatur Iudæis incredulis, de quibus tunc loquebatur, olim iam factum eſſe probatur apertiſsimo exemplo peſsimi Achab regis Iſraël, cui in pœnam ſuorum peccatorum dedit Deus 3.Reg.22
(vt ſacra Regum narrat hiſtoria) ſpiritum mendacem, qui deciperet quadringentos prophetas quos ille conſulturus erat. Erat quippe Achab rex peſsimus, & ideo ſuis peccatis exigentibus dedit illi Deus ſimiles illi prophetas qui illum deciperent, iuxta id quod poſtea perpetua lege ſe facturum minatus eſt per prophetā Ezechielem dicens. Qui Ezec.14.
poſuerit immundicias in corde ſuo, & ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerit contra faciem ſuam, & venerit ad prophetam interrogans per eum me, ego dominus reſpondebo ei in multitudine immundiciarum ſuarum. Et paucis interiectis ſubdit. Et propheta quum errauerit, & locutus fuerit verbum, ego dominus decepi prophetam illum. Et ex-
B tendam manum meam ſuper illum, & delebo eum de medio populi mei Iſraël, & portabit iniquitatem ſuam, iuxta iniquitatem interrogantis iniquitas prophetæ erit. Hactenus verba Dei per Ezechielem prophetam. Nec ſolùm malos mittit doctores, ſed bonos ſi quos fortaſsis peccator conſuluerit doctores, non permittit vera dicere, mutos illos faciens, & doctrinæ ſermonem ab illis ſubtrahens. Pro qua re teſtis eſſe poteſt idem propheta Ezechiel, cui dominus dixit. Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec vt vir obiurgans eos: quia domus exaſperans eſt. Quæ verba interpretans Hieronymus in commentariis ſuper eundem prophetam, ait. Tantæ ſunt amaritudines, & tantæ aduerſus Deum contentiones, vt obiurgantem non mereantur audire. Ex quo perſpicuum eſt, vbi multitudo fuerit peccatorum, indignos eſſe peccantes qui à domino corrigantur. Hæc Hieronymus. Hierony.
Denique (vt omnis peccatori obſtinato obſtruatur via quia ad ſcientiam peruenire poſsit) ſi vir doctus & bonus quem peccator conſulit, rectè reſponderit, Deus ſæpe permittit, vt peccator in ſui peccati pœnam illum aut malè aut

Pſal. 68. nullatenus intelligat. Fiat menſa eorum (inquit regius propheta) in laqueum, & in ſcandalum, & in retributionem. Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua. Et Eſaias propheta ait. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis ſuis, & auribus audiat, & corde intelligat. Quæ verba non ſunt deprecantis, ſed prædicentis ea quæ futura cernebat. Et iuxta hunc modum idem propheta in eandem ſententiam iterum in alio capitulo ait. Et erit vobis viſio omnium, ſicut verba libri ſignati, quem cùm dederint ſcienti literas, dicent: lege iſtum: & reſpondebit, non poſſum: ſignatus eſt enim. Et dabitur liber ſcienti literas, dicetúrque ei, lege: & reſpondebit, neſcio literas. Quæ verba interpretans Hieronymus in commentariis ſuper Eſaiam ait. Significanter non dixit, quòd viſio omnium prophetarum ſignata ſit cunctis legentibus, ſed vobis, inquit, erit ſignata, quibus nunc loquor, quibus hæc futura prænuncio: ſiue oculos principum veſtrorum, qui ſeſe iuxta lxx. abſcondita & arcana videre iactabant, claudet in perpetuum. Erítque, ait, vobis omnis ſcriptura ſancta clauſa atq; ſignata, vt vos qui legitis literas, & prophetarum vaticinia noſſe vos exiſtimatis, & diebus ac noctibus volumina ſcripturarum indefeſſo ore meditamini, non intelligatis quod legitis. Hæc Hieronymus. Ex his omnibus ſacræ ſcripturæ teſtimoniis apertè conuincitur ſummè neceſſarium eſſe peccatori omnium ſuorum peccatorũ pœnitentiam, vt ad veram eorum quæ ſunt ſaluationi ſuæ neceſſaria, ſcientiam pertingere poſsit. Nolo tamen dicere tanta pro hac re eſſe opus animi præparatione, quanta exigitur ad ſanctiſsimæ Euchariſtiæ ſumptionem. Non enim hîc peto ſacramẽtalem ſuorum peccatorum confeſsionem, quæ in qualibet Euchariſtiæ communione eſt neceſſaria. Neq; hîc exigo anxiam & diligentem ſuorum peccatorum inquiſitionem, vt omnium illorum pœniteat. Hoc ſolùm ab illis, qui viam certam æternæ beatitudinis ſcire optant, requiro vt ſe peccaſſe doleant, & deinceps vitam mutare firmiter ſtatuant, & ſuorum peccatorũ veniam à Deo precentur. Quod ſi fecerint, & Deum pro veritate agnoſcenda orauerint, non eſt dubium quin deprecationem eorum exaudiet dominus: quoniam propè eſt ſemper omnibus inuocantibus

Margin notes: *Eſai. 6.* *Eſai. 29.* *Hierony.*

C

D

A cantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. Si *Pſal.* 144
omni huiuſmodi diligentia adhibita, quis aliquid ad ius diuinum pertinens ignoraret, diceretur ignorantia inuincibilis. Hæc omnia quæ hactenus dixi eſſe requiſita ad neceſſariæ veritatis ſcientiam acquirendam, ad ſolam iuris diuini ſcientiam referenda ſunt. Quoniam ad ſcientiam iuris humani habendam, non eſt opus pœnitentia peccatorum, ſed ſatis eſt viros in ea re doctos conſulere.

Ad ſcientiam facti non tanta requiritur diligentia, ſed ſatis eſt, vt eam quiſque circa obiecti, aut illius circunſtantiæ cognitionem adhibeat diligentiam, quam prudentes & non nimium ſcrupuloſi viri frequenter in ea re facere ſolent. Non oportet vt quoties maritus lectum vxoris accedit, cum ea dormiturus lumine adhibito exploret, an illa quæ in lecto illo cubat, ſit vxor ſua: quia hoc prudentes viri rariſsimè faciunt, niſi cum aliqua ſe obtulit iuſta inquirendi ratio. Non eſt opus vt de quolibet cibo quem edere homo vult, medicum conſulat, vt ab illo diſcat an ille lethalis ſit: quoniam hoc nullus vir prudens facit, niſi quum fortè cibus aliquam habet infamiæ notam, aut
B quando ob ægritudinem ſuam iuſtè timet ne cibus ſibi peculiariter noceat, qui aliis bene valentibus nocere non ſolet. Non eſt neceſſarium vt quicunque rem aliquam emit, petat à venditore titulum dominij quod in re illa habet, aut veri domini commiſsionem ad vendendum: quia hæc non eſt virorum prudentum conſuetudo, niſi in re magni momenti, aut quando iuſta ſubeſt ſuſpicio furem eſſe illum qui vendit. Si quis perſonam ad beneficium aut officium aliquod eligere debet, eam debet adhibere diligentiam vt perſonæ qualitatem & merita agnoſcat, quam pro re alia paris momenti ad ſe pertinente ipſe feciſſet, aut quam vir prudens & non nimium ſcrupuloſus in re ſimili adhibere ſolet. Si ipſe optimè perſonam nouit, & idoneus eſt per ſeipſum illius merita perſcrutari, illum tentet de his quæ ad officium aut beneficium bene curandum neceſſariò exiguntur. Si ipſe per ſe ſolum perſonæ merita penetrare non valet, vnum & ſaltem alterum virum bonum & prudentem qui perſonam agnoſcant, conſulat, & iuxta illorum conſilium eligat. Nec opus eſt omnes viros

viros prudentes & bonos circa perſonæ examinationem C conſulere: quia hoc nimis anxium & ſcrupuloſum eſt, & viri boni & prudentes nunquam hoc facere ſolent. In his omnibus aut aliis ſimilibus ignorantia quæ ſimili adhibita diligentia occurriſſet, diceretur ignorantia facti inuincibilis: quia ignorans non tenebatur plura facere quàm fecit, vt illam vinceret.

Quinto modo denique ignorantia diuiditur per comparationem ad opus quod fit ab ipſo ignorante. Et ex hac ratione diuiditur ignorantia in cauſalem ignorantiam, & concomitantem. Cauſalis ignorantia eſt illa ex qua tanquam ex cauſa procedit aliqua operatio. Et hanc ignorantiam Ariſtoteles vocat antecedentem,& merito: quia præcedit, ſaltem natura, ipſam operationem, velut cauſa ſuum effectum. Dicitur autem ignorantia cauſa, non poſitiua ſed priuatiua, eo modo quo Ariſtoteles dicit abſentiam nautæ eſſe cauſam ſubmerſionis nauis. Hæc autem priuatiua nunquam dicuntur eſſe cauſæ alicuius effectus, niſi quando poſitiua illa quorum ſunt priuationes, impedirent effectum. Abſentia nautæ non dicetur cauſa ſubmerſionis nauis, niſi quando præſentia eiuſdem nautæ impediret ſubmerſionem illius nauis. D Nam ſi ipſo nauta præſente nihilominus ſubmergetur nauis, abſentia illius non poterit dici cauſa ſubmerſionis. Ad eundem modum dicendum eſt de ignorantia, quæ eſt quædam ſcientiæ priuatio, vt tunc illa dicatur cauſa alicuius operationis aut omiſsionis, quando ſciẽtia cuius eſt priuatio impediret illam operationem, aut omiſsionem. Si enim ſcientia aſsiſtens non impediret operationem, aut omiſsionem, tunc ignorantia illius non diceretur cauſa illius operationis, aut omiſsionis. Vt, exempli gratia, ſi Petrus ignorans ſimplicem fornicationem eſſe peccatum, fornicatur, idem tamen facturus quamuis ſciret eſſe peccatum, talis fornicationis non dicetur ignorantia eſſe cauſa. Si Ioannes ignorat craſtina die eſſe ieiunium ab eccleſia inſtitutum, & ieiunare omittit, ita tamen vt quamuis ſciret non magis ieiunaret, talis ignorantia non eſt cauſa illius omiſsionis ieiunij. Et hæc ignorantia quæ non eſt cauſa, dicitur concomitans, alia verò quæ eſt cauſa vocatur ab Ariſtotele (vt dixi) antecedens. Vbi eſt ignorantia cauſalis dicitur ignorans agere ex ignor

Ariſto. 3. Ethicorũ cap. 5. Idẽ in 2. Phiſicorum.

A ignorantia, & per ignorantiam. Vbi ignorantia non eſt cauſalis, aut antecedens, ſed ſolùm concomitans, ignorans non dicitur agere ex ignorantia aut per ignorantiam, ſed cum ignorantia. Ex his omnibus facilè cognoſci poteſt quid ſit peccare ex ignorãtia. Eſt enim peccare propter carentiam ſcientiæ, quæ ſi adeſſet, non fuiſſet perpetratum peccatum. Si ignorantia eſt talis, vt merito valeat ignorantem excuſare à peccato, tunc ignorans non dicetur peccare ex ignorantia: cùm re vera non peccet, ſed dicetur facere opus propter ignorantiam licitum, quòd ſi ſcientia adeſſet, fuiſſet illicitum, Hæc omnia,quæ ad multiplicem pœnæ & ignorantiæ varietatem ſpectant,tam latè dixiſſe oportuit,quoniam iſtorum omnium cognitio eſt ſummè neceſſaria, vt perfectè definiri poſsit quæſtio in principio huius capitis oblata. His igitur omnibus ſic declaratis, ad propoſitam quæſtionem reſpondeo per duas principales concluſiones, iuxta duas pœnarum ſpecies quas in principio huius capitis diſtinxi, ita vt de vnaquaq; illarum pœnarum ſit vna concluſio declarans, quid de illa in hac parte ſentire oporteat

B Prima principalis concluſio, Nulla iuris aut facti ignorantia excuſat hominem habentem vſum rationis à pœna iuris quæ incurritur ſine peccato. Quæ ſint à iure inſtitutæ pœnæ non propter peccatum, ſed propter aliam iuſtam cauſam, iam in principio huius capitis declarauimus, nec opus eſt nunc repetere. Hæc concluſio ex eo euidenter conuincitur eſſe vera, quòd nulla ignorantia poteſt tollere id, ex quo tanquam ex cauſa neceſſario, ſtante lege, ſequitur eiuſmodi pœna. Ex quo apertiſsimè ſequitur,vt nulla ignorantia poſsit tollere eiuſmodi pœnas: quia quod non poteſt tollere cauſam, neque etiam poteſt tollere effectum, qui neceſſario cauſatur ab illa. Aſſumptum primum huius conſequentiæ, ex quo tota huius argumenti vis pendet, facilè cuique erit euidens, ſi conſideret quiſque, quæ ſint illa, & cuius conditionis, propter quæ homines in huiuſmodi pœnas incurrunt. Non ſunt peccata (vt diximus) illa propter quæ huiuſmodi pœnæ à iure infliguntur: ſed ſunt operationes aliquæ, aut certæ perſonarum qualitates & conditiones. Vt, exempli gratia, bigamia quæ ſine peccato eſſe poteſt,eſt operatio ex qua iuxta legis diſpoſitionẽ

neceſſario ſequitur irregularitas. Irregularitas quæ ex homicidio procedit, non oritur ſemper à culpa homicidij, ſed aliquando à ſolo actu libero occiſionis hominis. Nam ſi à peccato quod illi actui occiſionis coniungitur, neceſſario oriretur, tunc ſecluſo peccato, prout euidenter ſecluditur in iudice iuſtè præcipiente hominem occidi, non cauſaretur irregularitas. Conſtat autem illam in tali iudice cauſari, ergo illa non à peccato, ſed à ſola nuda occidendi operatione cauſatur. Et idem contingit in illo qui pugnans in bello iuſto occidit aliquem: quoniam ille, etſi occidendo non peccet, efficitur tamen irregularis: quia voluntariè occidit. Quamuis ad euitandam clericorum fornicationem ſtatutum ſit, vt illorum filij indigni ſint ad beneficia eccleſiaſtica ſuſcipienda, illa tamen fornicatio non eſt cauſa indignitatis in filio. Quia licet illum pœniteret præteritæ fornicationis ante filij conceptionem, nihilominus filius poſtea natus eſſet indignus ad beneficium ſuſcipiendum. Qualitas & conditio exiſtens in filio, quæ eſt defectus legitimæ filiationis, eſt quæ cauſat in illo talem indignitatem. Et ad hunc modum cenſendum eſt, de multis aliis ſimilibus, in quibus ſola operatio eſt cauſa irregularitatis & non culpa. Hic tamen admonere oportet lectorem, vt non putet me ſentire nullam irregularitatem pendere à culpa tanquam à cauſa ſua. Nam ſcio aliquas tales irregularitates eſſe in iure, quæ ad ſui conſiſtentiam neceſſario prærequirunt culpam præceſsiſſe, vt eſt illa quam incurrit qui ſcienter celebrat in loco interdicto, vt dicitur in capitul. Is qui, de ſententia excommunicationis, libro ſexto, & illa quæ infligitur propter ſcitam iterationem baptiſmi, vt dicitur in capitulo, Ex literarum, de apoſtatis & reiterantibus baptiſma: & talis eſt etiam irregularitas quæ irrogatur homicidio non ex publica, ſed ex priuata authoritate facto. Nam talis irregularitas ſemper requirit peccatum propter quod illa infligitur. Et vbi nullum præceſsit peccatum, talis irregularitas non inuenitur. Si quæras, quare iudex ſine peccato occidens hominem eſt irregularis, & priuatus homo ſine peccato occidens non eſt irregularis, huic quæſtioni reſpondeo quòd iudex quando officio publico vtens occidit hominem, voluntariè occidit,

A cidit, & ipſum homicidium vult, & ideo efficitur irregularis. At priuata perſona quando ſine peccato occidit hominem, non occidit voluntariè, nec vult per ſe ipſum homicidium, ſed à caſu præter intentionem contingit illi occidere, & ideo occidendo non fit irregularis. Ego in hac mea prima & principali concluſione non loquor de huiuſmodi irregularitatibus quæ propter peccatum infliguntur, ſed de aliis, quæ, quoniam poſſunt ſine vllo præcedente peccato irrogari, conſtat illas non à peccato, ſed ab aliqua indifferente operatione aut qualitate oriri, vt ſunt illæ quas ſuprà retulimus. Huiuſmodi autem operationes aut qualitates, à quibus illæ irregularitates cauſatæ ſunt, non poſſunt (vt eſt euidens) per vllam facti aut iuris ignorantiam tolli. Quia ignorantia qua iudex ignorat irregularitatem, incurrit per iuſtam hominis occiſionem, non poteſt facere quin talis occiſio præceſſerit, quam ille fieri præcepit. Similiter ignorantia qua quis ignorat ſe eſſe filium clerici, non poteſt facere quin illi verè ſit filius clerici. Si nullla ignorantia valet tollere huiuſmodi operationes, ex quibus ſolis B irregularitates oriuntur, conuincitur inde apertiſsimè, vt poſt illas operationes, nulla ignorantia poſsit impedire, quin tales irregularitates prodeant ab illis operationibus. Quia huiuſmodi irregularitates neceſſario, ſtante lege, cauſantur ab illis operationibus, aut qualitatibus. In his igitur omnibus non magis tollit irregularitatem ignorantia, quàm tolleret ſcientia, ſi adeſſet. Quia ſcientia nihil facit circa id, vnde pendet huiuſmodi irregularitas, niſi vt faciat ipſas operationes eſſe humanas & liberas. Licet enim nullum prærequiratur peccatum ad irrogandas huiuſmodi irregularitates, requiritur tamen vt operationes illæ, à quibus oriuntur iſtæ irregularitates, ſint humanæ, hoc eſt, ex iudicio rationis, & non ex ſola ſenſualitate procedentes. Quia cùm homo non quatenus ſenſualis, ſed quatenus rationalis eſt, incurrat irregularitatem, neceſſario conſequens eſt, vt operationes illæ, propter quas irregularitas eſt infligenda, ſint rationales, hoc eſt, ab homine habente vſum rationis factæ. Et hinc eſt quòd licet ignorantia quæ non priuat vſu rationis, non excuſet hominem ab huiuſmodi irregularitatibus, illa ta-

men quæ priuat vſu rationis bene excuſat ab illis. Ex C quo infero infantem aut dormientem aut plenè ebrium, aut quemuis alium mentecaptum, non incurrere irregularitatem occidendo aliquem. Quia omnes iſti carent vſu rationis, & inde ſequitur, vt operationes ab huiuſmodi factæ tales non ſint, quales neceſſario requiruntur ad infligendam irregularitatem. De infante, & dormiente, & furioſo apertè definitum eſt in Concilio Vienenſi, ſub Clemente Papa huius nominis quinto, cuius definitio habetur in Clementina vnica, de homicidio voluntario. De ebrio autem, propterea quòd nihil in illa Clementina de illo apertè dicitur, aliqui auſi ſunt dicere illum incurrere irregularitatem. Nam Cardinalis Zabarella in Clementina illa, de homicidio voluntario, quæſtione octaua, dicit ebrium ſi alium occidat aut mutilet, incurrere irregularitatem. Ad quod dicendum hac ratione mouetur, quòd ſi Papa voluiſſet idem de illo intelligi quod de furioſo & dormiente expreſsiſſet. Citat etiam in huius ſententiæ confirmationem capitul. Inebriauerunt. xv. quæſtione prima. Ioannes de Imola in eadem Clementina de homicidio refert, aliquos eſſe qui di- D cunt ebrium non incurrere irregularitatem occidendo hominem, & poſtea citat Matthæum quendam contrarium docentem, cuius ſententiam dicit eſſe meliorem. Et pro hac ſententia citat capitulum, Sanè, & capitulum Inebriauerunt. xv. quæſtio. j. & l. Reſpiciendum, §. Delinquunt, ff. de pœnis, & l. Omne. §. Qui ſe. ff. de re militari. Sed hæc iſtorum opinio, vt aliquam veritatis ſimilitudinem habere poſsit, de illo ſolo ebrio intelligenda eſt, quamuis illi non exprimant, qui ſe per culpam ſuam inebriauit. Abbas in capitulo, Quia diuerſitatem, de conceſsione præbendæ, dicit ebrium nunquam incurrere irregularitatem occidendo alium hominem, ſiue culpa ſua, ſiue abſque illa fuerit ebrius. Et ſuam ſententiam probat per hoc, quòd ebrius etſi culpa ſua ebrietur, illa culpa quæ fuit in voluntate aut volendo inebriari, aut non adhibendo diligentiam ad vitandam ebrietatem, non eſt cauſa proxima & immediata illius occiſionis, ſed cauſa mediata & remota. Quia illa culpa fuit cauſa immediata ebrietatis, ebrietas verò fuit cauſa occiſionis, ex quo videtur

Zabarella.

Ioannes de Imola.

Abbas.

A detur concludi culpam illam priorem fuiſſe mediatam cauſam occiſionis. Et inde vlterius ſequitur occiſionem illam, non oriri proximè & immediatè à cauſa libera, ſed à cauſa naturali, vt puta ab ebrietate. Ex quo deducitur neceſſario ebrium per talem occiſionem non incurrere irregularitatem: quia illa quæ à voluntate tanquam à cauſa remotè procedunt, non ſunt cenſenda libera perinde ac ſi fuiſſent proximè volita ab illa. Et pro hac ſententia citat Abbas capitul. De occidendis. xxiij. quæſtio. v. & capitul. De cætero, de homicidio, cum gloſſa quæ ibidem annotat oportere cauſam occiſionis eſſe propinquam & immediatam. Arguit etiam ex illo capitulo, Quia diuerſitatem, vbi dicitur quòd ille qui propter ſuam culpam excommunicatur, aut ſuſpenditur, non imputatur quòd beneficium intra tempus debitum non contulerit, niſi fuerit in mora petendæ abſolutionis, quia culpa præcedens non eſt cauſa immediata, ſed excommunicatio, quæ non eſt culpa, ſed pœna. Et inde arguit à ſimili, quòd licet nimia potatio fuerit immediata cauſa priuationis vſus rationis, non tamen homicidij vel alterius peccati. Et huic Abbatis ſen-

B tentiæ ego libentiſsimè ſubſcribo, quia (vt iam dixi) neceſſe eſt operationes illas, propter quas eſt infligenda irregularitas, eſſe humanas, hoc eſt, factas ab homine habente vſum rationis. Quia aliàs infans & furioſus, & dormiens poſſent in huiuſmodi irregularitates incidere, cuius contrarium eſt apertiſsimè definitum in illa citata Clementina de homicidio. Si dicas latum eſſe diſcrimen inter ebrium & illos, quia ebrius ſua culpa priuatus eſt vſu rationis, illi autem abſque culpa vſu rationis carent. Fateor infantem & dormientem ſine culpa ſua eſſe priuatos vſu rationis: ſed nunquid euenire potuit, vt quis ſua culpa fieret furioſus? Si hoc contingat, tunc furioſus & ebrius erunt per omnia ſimiles: & inde ſequi oportet, vt ſi vterque occideret hominem, vterque ſit irregularis; aut neuter. Fortè quis fatebitur furioſum illum incidere irregularitatem, & Clementinam dicet intelligi debere de illo furioſo, qui ſine culpa ſua patitur amentiam. Sed hoc tollerari non poſſe ipſamet litera textus cogit, quæ ſine vllo prorſus furioſi diſcrimine loquitur. At vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus,

prout libro primo, capite ſeptimo, documento ſecundo, C
apertè probauimus. Et in pœnis, quando litera ipſa permittit, benignior ſemper eſt interpretatio facienda, vt dicitur in regula, In pœnis, de regulis iuris, libr. ſexto. Conſtat autem benigniorem fieri illius Clementinæ interpretationem, ſi illam de omni furioſo interpreteris, quàm ſi de altero tantùm. Præterea, Si ebrius ideo dicendus eſt incidere in irregularitatem, quia mediatè & remotè voluit occidere dum voluit inebriari, oportebit etiam fateri dormientem occidentem hominem poſſe ob hoc fieri irregularem. Nam poteſt eſſe vt quis vigilans adeò vehementer iraſcatur contra alium, vt illum occidere aggrediatur, quamuis facere non poſsit: & hac necis cupiditate affectus dormiat, & poſtea plenè ſoporatus ſomniet ea, quę in vigilia acciderunt, & ab hac phantaſia motus ſurgat adhuc dormiens, & capiat enſem, & accedat ad lectum, in quo alius dormit, & illum occidat. Si hoc contigiſſet, prout aliâs contigiſſe refert Petrus de Palude, conſtat illam occiſionem mediatè procedere à libera voluntate, quæ fuit in vigilia. Nam ex illa vehementi volitione aucta eſt imaginatio ſenſus, & creuit appetitus ſenſualitatis. Quę D
omnia, cùm maneant in dormiente, poſſunt tunc membra ad opera illa exteriora exercenda mouere. Oportebit igitur, iuxta aliarum ſententiam fateri, dormientem illum incidere in irregularitatē perinde ac ebriū, quia tunc erunt dormiens & ebrius per omnia pares. Hoc tamen argumentum parum mouet Petrum Paludanum: quoniam in loco proximè citato libentiſsimè hoc fatetur de illo dormiente, & dicit illum ſic occidendo fieri irregularem. Sed re vera hoc contradicit definitoni illius ſæpe citatæ Clementinæ, quæ apertiſsimè excuſat dormientem ab irregularite, quamuis aliquem hominem occiderit. Nec valet interpretatio, dicendo textum illum intelligi de illo ſolo dormiēte, qui nullam in vigilia ante dormitionem habuit occidendi voluntatē, prout alij dicunt de ebrio: quia textus ille ſine vlla dormientis diſtinctione loquitur, & inde neceſſariò cōſequens eſt vt quod lex non diſtinxit, nos minimè diſtinguere debeamus, pręſertim cùm iuxta iuris regulam oporteat alia reſtringere, & fauores ampliare. Conſtat autem fauorabilem eſſe illam Clementinam, quę furioſos

Petrus de Palude in 4. diſtin. 32. q. 1. ar. 3.

A & infantes,& dormientes excuſat ab irregularitate,quamuis eorum quilibet aliquem occidiſſet: oportet igitur, vt interpretationem latam potius quàm reſtrictam illi reddamus. Quæ autem pro ſe citat Cardinalis Zabarella, & Ioannes de Imola,nullius ſunt prorſus momenti,& aliqua eorum plus meæ, quàm illorum opinioni fauent. Primò quidem proferunt cap. Sanè, 15.quæſt.j.quod ſi rectè inſpiciatur, potius meæ, quàm illorum fauet ſententiæ. Dicit enim illic Ambroſius apud ſapientes iudices veniam dari his, qui per vinum deliquerunt, & de ſola leuitate illos damnari dicit. Et gloſſa illo loco interpretatur veniam dari, quia minori pœna puniuntur,quàm ſi ex certa ſcientia feciſſent. Oro te,lector,vt diligenter aduertas,quomodo illius capituli litera potius meæ, quàm illorum opinioni faueat. Nam ſi ebrius occidendo minori pœna puniendus eſt,quàm ſi ex certa ſcientia occidiſſet,potius inde ſequi videtur illum non debere puniri pœna irregularitatis, quàm contrarium. Deinde proferunt cap. Inebriauerunt,quod habetur eadem cauſa & quæſtione. Et certè miror, quòd illud capitulum pro ſe citent, quia apertiſsimè

Zabarel. Ioãnes de Imol.

B meæ fauet ſententiæ, tantum abeſt, vt illis quouis modo patrocinari poſsit. Et vt rem hanc apertiorẽ faciam,ipſam capituli literam, quæ eſt ſumpta ab Auguſtino libro xxij. contra Fauſtum Manichæum cap. xliiij. ob oculos proponere volo, quæ talis eſt. Inebriauerunt Loth filiæ eius, & ſe neſcienti miſcuerunt. Quapropter culpandus eſt quidem,non tamen quantum ille inceſtus,ſed quantum ebrietas illa meretur. Hæc Auguſtinus. In quibus verbis nihil prorſus eſt, ex quo poſsit aliquo modo ſuaderi, nedum conuinci ebrium incurrere irregularitatem, ſi hominem occideret, & valde multum eſt, quod in meæ ſententiæ fauorem dicit.Si Loth inebriatus eſt cũ filiabus ſuis coïens non eſt culpandus quantum inceſtus,ſed quantum ebrietas meretur, prout Auguſtinus ait, hoc non aliunde euenire poteſt,niſi quia ille coïtus fuit extra vſum rationis factus, & non fuit plenè liber, nec à voluntate proximè & immediatè imperatus. Et inde conſequens eſt,vt non poſsit proprio peccati nomine appellari,ſed ſolo nomine ſuæ cauſæ, hoc eſt ebrietatis,à qua non liberè ſed naturaliter fuit cauſatus. Nam etſi liberè ſe habuit reſpectu ebrietatis, non

Auguſtin.

A quæ ſolus Imola ad ſuæ ſententiæ probationem affert, & apertè cognoſcemus illa eiuſdem eſſe farinæ, nec maiores vires habere quàm ea, quæ nunc reiecimus, In lege, Reſpiciendum. §. Delinquunt. ff. de pœnis, dicit Iuriſconſultus Marcellus impetú delinquere ebrios, quum per ebrietatem ad manus vel ad ferrum veniunt: ſed per hoc non probatur, ebrium ſi occiderit hominem, incurrere irregularitatem. Quia etſi ebrius hoc faciendo delinquat, non tamen eadem ſpecie delicti, qua delinqueret, ſi abſq; ebrietate & ignorantia idem feciſſet. Et huic conſonat, quòd omnes iuriſperiti docent, crimina ab ebrio perpetrata eſſe mitiori pœna punienda, quàm ſi facta eſſent à ſobrio & non ignorante. Hoc docet Cynus in lege, Si quis non dicam rapere, Codice de epiſcopis & clericis. Idem aſſerit Salicetus in lege prima, Codice ad legem Corneliam de ſiccariis. Eidem ſententiæ fauet Abbas in capitulo ſecundo de conſtitutionibus. *Cynus.* *Salicet.* *Abbas.*

Iuxta hunc modum etiam intelligendum eſt quod Ariſtoteles tertio Ethicorum capite quinto ait, ebriis duplices pœnas eſſe inſtitutas, alteram propter ebrietatem, alteram propter crimen in ebrietate commiſſum. Nam B eam, quæ propter crimen infligitur, mitiorem eſſe oportet, quàm ſi crimen abſque ebrietate ſi fieret minori pœna talia crimina punienda eſſe fatentur, ergo occiſio hominis ab ebrio facta non punietur pœna irregularitatis, prout puniretur ſi facta fuiſſet à ſobrio, & non ignorante. Hoc tamen hac conditione intelligi volo, ſi ille hac intentione non fuit inebriatus, vt inebriatus occideret. Quia ſi ille hac intentione ſe inebriauerit, vt occideret, iam tunc homicidium eſſet per ſe volitum, & non per accidens. Et ita eſſet irregularis, ſi homicidium per talem ebrietatem perpetraretur, perinde ac ſi ſobrius occidiſſet. Manet igitur firma & conſtans noſtra prima principalis concluſio, qua dicimus, nullam facti aut iuris ignorantiam excuſare hominem habentem vſum rationis ab illis iuris pœnis, quæ propter nullum peccatum infliguntur: bene tamen excuſare ab eiuſmodi pœnis illam ignorantiam, quæ eſt in homine carente vſu rationis. *Ariſtot.*

Corollarium primum.

Ex hac concluſione ſic declarata vnum & alterum volo deducere corollarium, vt ad illorũ exemplar de multis aliis

lector cenſere poſsit. Primò quidem infero illũ, qui ignoranter contraxit cum corrupta ab alio, putans illã eſſe virginem, poſt conſummatum matrimonium incidere in irregularitatem, quamuis tanta ignorantia laboret, vt etiam poſtquam cum illa coïuit, putet eſſe à ſe primò corruptam. Hoc corollarium apertiſsimè deducitur ex noſtra prima principali concluſione: quia cùm irregularitas ex bigamia contracta non infligatur propter peccatum aliquod (vt eſt apertiſsimum) ſed ex ſolo actu bigamiæ, ſequitur neceſſariò, vt nulla ignorantia poſsit magis illum excuſare ab huiuſmodi irregularitate, quàm ſi ſciens contraxiſſet cum corrupta. At qui ſcienter contraxit cum corrupta, eo ipſo poſt conſummatum matrimonium efficitur irregularis. Quia (vt colligitur ex capit. Debitum, de bigamis, & ex cap. Curandum. xxxiiij. diſtinctione) oportet vxorem illius, qui ad ſacros ordines promouendus eſt, à nullo alio fuiſſe carnaliter cognitam. Nec refert an illa fuerit cognita ab alio marito, an à fornicatore, quia etiam ſi vxor illius fuiſſet ab alio marito corrupta, poſtquam ille ſuum cum illa conſummauit matrimonium, nõ poterit ad ſacros ordines promoueri, vt dicitur in cap. De bigamis, eodem tit. Nam cuius matrimonium non verè repræſentat matrimonium Chriſti & eccleſiam, indignus eſt vt ad altaris miniſterium accedat, in quo eiuſdem Chriſti ſacerdotium repræſentari debet. Illud autem matrimonium, quod quis contrahit cum fœmina ab alio corrupta, non integrè repræſentat matrimonium Chriſti cum eccleſia, quod eſt vnius ſolùm cum vna & virgine. Chriſtus enim vnicam tantùm habet ſponſam, eccleſiam videlicet catholicam toto orbe terrarum diffuſam, quæ virgo eſt & ſpecioſa, & ſine vlla (vt Paulus ait) peccati mortalis macula aut ruga. Ille igitur, qui non virginem, ſed ab alio corruptã ducit vxorem, imperfectè & diminutè repræſentat matrimoniũ Chriſti cum eccleſia, perinde ac ille, qui duas ſimul aut ſucceſsiuè habet vxores. Quia ſicut ille, qui duas ſimul aut ſucceſsiuè habet vxores, carnem ſuam cum pluribus diuidit, ita illa, quæ poſtquam fuit ab vno corruptam, alteri nubit, carnem ſuam diuidit cum pluribus viris. Et inde conuincitur illum, qui contraxit cum fœmina ab alio corrupta, eſſe irregularem, quemadmodum ſi cum duabus ſimul aut ſucceſsiuè contraxiſ-

Margin: G; D; *Ephe. 5.*

A traxiſſet. Ex quibus omnibus ſequitur, vt in eandem incidat irregularitatem, quãuis ignorauerit illam eſſe ab alio corruptam, imò putauerit eſſe virginem. Quia cùm hæc irregularitas illi infligatur, ſine vllo ſuo peccato mortali præcedenti, nulla ignorantia (vt dictum eſt in prima principali concluſione) poterit illum ab huiuſmodi irregularitate excuſare.

Secundo ex eadem prima principali concluſione infero illum, qui vxorem, quam duxerat virginem, cognoſcit poſt eiuſdem vxoris adulterium, effici irregularem, quamuis ignorans adulterium vxoris cognouerit illam. Hoc corollarium apertiſsime deducitur ex illa prima concluſione, ſi oſtenderimus illum, qui ſciens vxoris adulterium, illam cognoſcit, & ſibi reconciliat eſſe irregularem. Hoc autem apertiſsimè probatur per capitulum, Si cuius, & capitulum, Si laici, xxxiiij. diſtinct. Quo dato, euidenter ex prima concluſione colligitur hoc noſtrum ſecundum corollarium: quia ſi ſciens vxoris adulterium incidit in irregularitatem, quando vxori carnaliter miſcetur, ergo etiam incidet in irregularitatem, quando id fecerit ignorans adulterium vxoris. *Corollarium ſecundum.* B Et hanc ſententiam docet Petrus de Palude in quarto ſententiarum, diſtinctione vigeſima ſeptima, quæſtione quarta, articulo ſecundo. Et poſt iſtum eandem tuetur Abbas in capitulo ſecundo de bigamis, & in capitulo, Si vir, de adulteriis. *Petrus de Palude.* *Abbas.* Huic tamen ſententiæ obuiare videtur, quod in illo capitul. Si cuius, proximè citato dicitur requiri, vt vxoris adulterium ſit euidenter probatum. Sed hoc nihil nos mouet, neque noſtræ ſententiæ contradicit, quia hæc facti euidentia ad hoc ſolum dicitur requiri, vt ſi ipſe tentaret ſacros ordines recipere, iuſtè poſsit ab illorum ſuſceptione repelli: non autẽ ad hoc, vt ipſe ſit irregularis. Quia etiã ſi ipſe ſacros ordines non petat, erit nihilominus irregularis: & ad hoc non opus eſt, vt adulterium vxoris ſit euidenter probatum, vt textus ille dicit. Deinde, poſsibile eſt, vt vxoris adulterium ſit aliis euidens, & ipſe maritus ignoret, quo rerum euentu conſtat verũ eſſe, quod in noſtro dicitur corollario, etiã ſi euidentia adulterij, quæ in illo capitulo exigi mandatur, adſit. Quia ſimul cum illa poteſt ſtare ignorãtia mariti, quæ nullatenus excuſabit illũ ab huiuſmodi irregularitate, quæ prouenit ex bigamia.

Propter

Propter hæc & alia ſimilia, quæ frequenter accidere poſſunt, dicit Petrus de Palude loco proximè citato, multos eſſe bigamos, qui ſuam bigamiam ignorant. C

Corollarium tertium. Tertio ex eadem prima principali concluſione infero filium illum, quem mulier nupta concepit ex preſbytero, eſſe indignum ſacerdotio, quamuis ipſe ignoret ſe eſſe filium preſbyteri, & putet eſſe filium mariti matris ſuæ. Hoc corollariũ tam manifeſtè colligitur ex illa prima concluſione, vt non ſit opus alia deductione, niſi ſolùm vt conſideretur, hanc pœnam non eſſe filiis preſbyterorum à iure inflictam propter aliquod proprium illorum peccatum, ſed propter hoc ſolum, quòd ſunt preſbyterorũ filij, quod illis non poteſt ad culpam imputari, cùm ipſi non potuerint illud vitare. Ab hac igitur iuris pœna, quæ non infligitur propter aliquod peccatum, nulla ignorantia (vt prima docet concluſio) poterit aliquem excuſare. De hoc tamen admonere oportet lectorem, vt non putet aliquem iſtorum, qui ignorantes incidunt in irregularitatem, peccare mortaliter, ſi tali ignorantia exiſtente, promoueantur ad ordines ſacros, & promoti miniſtrauerint in illis. Quia illorum ignorantia inuincibilis, quamuis non poſsit excuſare ab irregularitate, poteſt tamen (vt in ſequenti concluſione declarabimus) excuſare à culpa. Aliud enim eſt irregularem eſſe, & aliud eſt in irregularitate conſtitutum promoueri ad ſacros ordines, aut promotum miniſtrare. Primum eſt ſine culpa, & ideo ab illo non excuſat ignorantia. Secundum non fit ſine culpa, quum ſcientia adeſt, & ideo ignorantia, quæ ſcientiam excludit, poterit ab huiuſmodi culpa excuſare. D

Concluſio ſecunda principalis. Secunda principalis concluſio. Omnis ignorantia quæ excuſat aliquem à peccato, excuſat etiam illum à pœna, quæ eſt à iure ſtatuta propter illud peccatum, ſiue illa ſit ipſo iure inflicta, ſiue per iudicem inferenda: ignorantia autem, quæ non excuſat à peccato, nec etiam excuſat à pœna, quæ eſt propter illud peccatum à iure ſtatuta. Hæc concluſio duas habet partes, quarum prima euidenter probatur per illam communem & ferè omnibus notam philoſophiæ regulam, quæ ait. Deficiente cauſa, deficit effectus, qui neceſſariò pendet ex illa. At omnes irregularitates, de quibus hæc noſtra concluſio loquitur, procedunt neceſſariò

A ceſſariò ab aliquo peccato, tanquam ab illarum cauſa neceſſaria, ergo vbi non præfuit peccatum, neceſſarium eſt non eſſe irregularitatem, quæ ab illo & non ab alio cauſari poterat. Multa autem ſunt opera, in quibus illorum actores per ſolam ignorantiam excuſantur à peccato, ergo in omnibus illis iidem actores excuſantur à pœnis, quæ ſunt à iure propter illud peccatum, & in pœnam illius ſtatutæ. Alioqui fieret neceſſariò, vt quis iure ſine peccato pateretur pœnas illas, quas nunquam lex aut iudex alicui ſine proprio peccato infligit. Et confirmatur hæc ſententia per id, quod dicitur capii.ij.de conſtitutionibus. Res quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit. Eodem argumento à contrario inducto probatur ſecunda pars prædictæ concluſionis. Si cauſa aliqua naturaliter & neceſſariò producit aliquem effectum, nullum agens creatum poterit impedire, ne ſtante illa cauſa oriatur effectus. Sunt aliqua peccata, ex quibus, ſtante lege, naturaliter & neceſſariò oritur irregularitas, ergo nulla ignorantia poterit efficere, vt ſtante aliquo illorum peccatorum in homine ſimul cum lege, non oriatur illa irregularitas, quam lex
B ſtatuit poſt peccatum cõmiſſum ipſo iure infligi. Sed quia dixi peccatum eſſe neceſſariam cauſam irregularitatis, admoneo lectorem, vt intelligat illud dici & eſſe cauſam irregularitatis in ordine ad productionem, non autem in ordine ad conſeruationem. Quoniam etſi irregularitas illa non poſsit ſine peccato produci, poteſt tamen ſine peccato conſeruari, vt conſtat in homicida, aut in celebrante in loco interdicto, aut in eo, qui ex induſtria iterauit ſacrum baptiſma, qui poſt aliquod iſtorum crimen commiſſum, plenè dolet propter illud, & nollet ſe commiſiſſe. In hoc enim etſi deſit iam peccatum, non tamen deeſt irregularitas, quæ ab illo traxit originem. Poſſet etiam è contrario tolli irregularitas, quamuis non tollatur peccatum, à quo illa proceſsit, prout contingere poteſt, ſi papa diſpenſaret in irregularitate cum illo homicida, quem nullo modo verè pœnitet homicidij perpetrati. Peccata itaque ſunt neceſſariæ cauſæ huiuſmodi irregularitatum reſpectu productionis illarum, & non reſpectu conſeruationis. Et inde ſequitur, vt ignorãtia, quæ prorſus tollit ab opere aliquo peccatum, etiam tollat pœnam, quæ iure ab illo opere proceſsiſſet, ſi.

illud

illud fuiſſet ex induſtria factum: & è contrario ignorantia C
quæ non excuſat à peccato, non excuſet etiam à pœna. Hîc tamen admoneo lectorem, vt intelligat me hoc loco non diſſerere de excuſatione à pœna in ordine ad forum contentioſum, ſed ſolùm de excuſatione in foro conſcientiæ, cuius iudex eſt ſolus Deus, quia ille ſolus eſt, qui poteſt corpus & animam mittere in gehennam. Multi excuſantur apud Deum à pœna iuris propter peccatum impoſita, qui tamen apud humanos iudices non excuſantur, prout contingit quando aliquis per falſos teſtes conuincitur de crimine, quod non commiſit, aut quando ius ex ſola præſumptione aliquem damnat. Multi etiam è contrario excuſantur apud homines, qui tamen apud Deum non ſunt excuſati, vt ſunt illi, qui commiſerunt crimen, quod coram iudice probari non poteſt. Ego impræſentiarũ velut Theologus de illa ſola excuſatione à pœna, quæ fit apud Deum, diſſero: quoniam aliam, quæ reſpicit forum contentioſum, iuriſperitis diſputandã relinquo. Hæc noſtra ſecunda principalis concluſio, prout à nobis declarata eſt, non indiget vlteriori probatione, ad manifeſtiorem tamen illius intelligentiam hoc ſolum ſupereſſe video, vt oſtendam & qua- D
lis ſit ignorantia, quæ excuſare poſsit à peccato. Nam ſi hoc ignoretur, neceſſarium erit ignorare, quomodo per ignorantiam poſsit quis excuſari à pœna. De hac tamen re, quia non poteſt aliquid certum vniuerſaliter definiri, propter multas & varias ignorãtiæ ſpecies, quas ſuprà iam enumerauimus, ideo neceſſariũ eſſe cenſui per aliquot propoſitiones huic quæſtioni reſpondere. Id tamen breuiter faciam, propterea quòd hæc quæſtio non eſt primum & potiſsimum huius diſputationis caput, ſed oblata occaſio nos de illa aliquid obiter dicere coegit.

Prima propoſitio. Inuincibilis ignorantia iuris excuſat à peccato. Hæc propoſitio probatur per hoc, quòd opus ex tali ignorantia factum non eſt voluntarium in ſe, neque in ſua cauſa. Nihil autem poteſt dici peccatum, niſi ſit volun-
Auguſti. tarium, dicente Auguſtino. Peccatum adeò eſt voluntarium, quòd ſi non eſſet voluntarium, non eſſet peccatum. Quòd non ſit voluntarium in ſe, apertè probatur ex eiuſdem Auguſtini ſententia dicentis, Nihil volitum niſi præcognitum. Quòd non ſit voluntarium in ſua cauſa, quæ

eſt

A eſt ignorantia, apertè cõuincitur ex definitione ignorantiæ inuincibilis, quam ſuprà dedimus. Nam ſi illam vincere non potuit, faciendo quidquid facere tenebatur ad vincendum illam, euidenter conuincitur talem ignorantiam non eſſe vllo modo volitum. Sicut hæc ignorantia excuſat à peccato, ita etiam excuſat à pœna iuris, quæ propter peccatum infligitur. De hac ignorantia intelligitur capitul. Vt animarum, de conſtitutionibus, libro ſexto. vbi papa decernit, vt ignorantes ſtatuta ordinariorum, non ligentur ſententiis per ſtatuta illa prolatis. Nam poſt hæc verba ſtatim addit papa, declarans qualem oporteat eſſe illam ignorantiam, & ſic dicens. Dum tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit aut ſupina. Ex quibus verbis conſtat oportere ignorantiam eſſe inuincibilem, quæ debet excuſare ab excommunicatione. Neque hoc eſt particulare in ſtatutis epiſcoporum, ſed etiam in omni particulari ſtatuto cuiuſcunque ſuperioris, prout illic annotauit gloſſa, & probatur apertè per l. finalem. ff. de decretis ab ordine faciendis. Si tamen ſtatuta eſſent generalia canonum aut legum, dicit gloſſa in illo capitulo ignorantiã, non excuſare.

B Sed gloſſa illa mihi nõ placet, ſicut nec multis aliis, quia ſi modò papa, aut imperator generale faceret ſtatutũ, & aliquis faciendo id, quod facere tenetur vt diſcat, adhuc ignoraret illud, nulla ratio permittit, vt ille ſic ignorans incidat in pœnam ſtatuti. Nam cùm talis ignorantia ſit ſine culpa, non eſt iuſtum vt in damnũ vocetur: quia eſſet cõtra id, quod dicitur in capitulo ſecundo, de cõſtitutionibus. Rem, quæ culpa caret, in damnũ vocari non cõuenit. Si quis plebeius homo ſemper accedens ad audiendum ſermonẽ illis diebus, quibus in eccleſia prædicari ſolet, & omnem diligentiam debitam adhibens vt diſcat, quod ad ſuæ animæ ſalutem eſt neceſſarium, ignorauerit quartum cõſanguinitatis gradum eſſe lege prohibitum ad matrimoniũ contrahendum, & ſic ignorans publicè & in facie eccleſiæ bannis legitimis præmiſsis contraxerit cum ea, quam ſcit eſſe in quarto conſanguinitatis gradu ſibi coniunctam, ita tamen vt ſi ſciret hoc eſſe lege prohibitum, non faceret, nullus ſanæ mentis accuſabit illum de peccato, nec damnabit illum ad pœnam poſitam in Clementina vnica de conſanguinitate &

te & affinitate. Quia fecit quidquid facere tenebatur, vt C
diſceret:& inde neceſſariò ſequitur,vt ignorando non peccet:quia aliàs obligaretur ad impoſsibile.Si ignorátia non eſt peccatum,ergo opus, quod ab illa tanquam à cauſa fuit ortum,nõ erit peccatum, & per conſequens erit excuſatum à pœna, quæ peccato debetur. Neceſſarium eſt ergo, vt Clementinam illam de conſanguinitate & affinitate, quæ excommunicationis pœna punit eos, qui in gradibus prohibitis ſcienter contrahunt, interpretemur non ſolùm de ſcientia facti, ſed etiam de ſcientia iuris, ita vt qui inuincibiliter & iuſtè ius illud ignorat, etiam ſit liber ab illa excommunicatione, ſicut excuſaretur ſi ſciens ius inuincibiliter ignoraret factum. Nam excommunicatio non poteſt ferri niſi pro peccato mortali, quod conſtat non eſſe in eo, qui inuincibiliter ignorat. Et hoc non ſolùm eſt verum de ignorantia iuris humani, ſed etiam de ignorantia iuris diuini, præſertim quando illud non eſt de apertis & manifeſtis iuris diuini, ſed de aliis obſcuris, quæ non niſi à doctis & per ſubtilem diſcuſsionem intelliguntur, prout ſunt aliqua quæ ad cõtractus pertinent, in quibus eſt aliqua latens vſura, quam non niſi doctus vir agnoſcere poteſt. Si ruſti- D
cus aliquis in paruo rure habitans, & volens talem contractum facere, interrogauerit ſui loci presbyterum an cõtractus ille ſit bonus, & audiens ab illo nihil mali eſſe in tali contractu,faciat illum tali animo, quòd ſi ſciret eſſe peccatum,non faceret, non puto ruſticum illum peccaſſe in contractu illo. Quia Deus non damnat facientem id, quod in ſe eſt. Fecit autem homo ille quod debuit vt ſciret:quia nõ tenetur pro quolibet contractu faciendo quærere viros doctiſsimos, quos pro re illa conſulat, præſertim quum putat eſſe facilem, & quæ meritò à ſui loci parrhoco ſciri deberet. Iſte ſicut excuſatur apud Deum à culpa, ita apud homines excuſari deberet à pœna, quam lex contra vſuræ peccatum ſtatuit. Et ſi poſtea conſultis doctis Theologis iudex cognoſceret talem contractum eſſe vſurarium, malè ageret, condemnando ruſticum illum ad vſurarij pœnam. Quia hoc faciendo, præter id, quod damnaret illum ſine culpa,videretur exigere à ruſtico, vt maiorem ille agendorum ſcientiã haberet,quàm ipſemet iudex. Nam poſsibile

eſt vt

A eſt vt iudex ipſe, etiã ſi in iure ciuili ſit doctiſsimus, ignoret contractum illum eſſe vſurarium.

Sicut dictum eſt in illo citato cap. Vt animarum, ignorantes inuincibiliter ſtatuta excuſari à ſententia excommunicationis, idem dicere oportet de ſuſpenſione, aut irregularitate, aut quauis alia pœna, quę erat infligenda per peccatum. Nam ab omnibus illis excuſatur omnis ille, qui excuſatur à peccato, propter quod ſolùm erat pœna infligenda. Quoniam eadem eſt omnium iſtorum ratio, hæc videlicet, quòd deficiente cauſa neceſſaria (vt diximus) oportet vt etiam deficiat effectus. Sed difficultas eſt non modica de ſtatutis humanis, quæ ſtatuunt pœnã aliquam propter factum lege diuina prohibitum, an faciens opus illud lege diuina prohibitum, & neſciens ſtatutum humanum, quod imponit pœnam, incidat in pœnam à iure ſtatutam. De hac re varia eſt doctorum ſententia. Scotus in 4. ſen. diſtinct. 6. q. 8. dicit illum incidere in pœnam iuris, nec excuſari per ignorantiam: quia (vt ait) tenetur ſcire ius diuinum. Eandem opinionem tuetur Summa Roſella in titu. de excommunicatione. Contrariam opinionem docent Ioannes Andræas, & Dominicus in capit. Vt animarum, de conſtitutionibus, lib. vj. Summa Angelica in titu. Excommunicatio. 7. caſu vltimo, & Summa Syluestrina, titulo de ignorantia. q. viij. Et iſtorũ opinio multò magis mihi placet, quia apertè probatur per illud cap. Vt animarum, de conſtit. lib. vj. Quia ſtatutum, de quo illud capitulum loquitur, excommunicabat fures, & tamẽ non excommunicabat ignorantes, quanuis furtum eſſet lege diuina prohibitum. Nec valet argumentum Scoti, quia per illud ſolum probatur, illum non excuſari à peccato, quod eſt contra legem diuinam: ſed non probat quod non excuſetur à pœna, quia ſtatutum humanum, quod pœnam imponit, poterat inuincibiliter ignorare, quia humanum. Fortè contra hanc primam propoſitionem quis obiiciet id, quod dicitur de regulis iuris, libro ſexto, Ignorantia facti, non iuris excuſat. Sed regula illa nihil contra meæ primæ propoſitionis ſententiam aſſerit, quia de re valde diuerſa diſſerit. Nam illa regula ſolùm loquitur de excuſatione facienda in foro contentioſo, in quo ſæpe ſecundum ſolam iuris præſumptionem agi ſolet, vnde fre-

[margin: *Scotus.*] [margin: B] [margin: *Summa Angelica & Syluestrina.*]

quenter euenire ſolet, vt iudices in ſententiis ferendis ſæpe fallantur, quia ex ſola iuris præſumptione iudicant. C
Mea verò propoſitio (vt in declaratione ſecundæ principalis concluſionis præmonui) loquitur de excuſatione in foro conſcientiæ, in quo non per præſumptiones, ſed per plenam veritatis cognitionem rem omnem definire oportet. Et inde euenit (vt ſuprà dixi) vt aliqui apud Deum ſint excuſati, qui apud iudices humanos non excuſantur, Poteſt enim contingere, vt quis legem aliquam nouam, poſt elapſos duos menſes, ab illius proclamatione & diuulgatione ſine culpa ſua ignoret, quia licet ſit in ciuitate, eſt tamen ab hominum tumultu ſequeſtratus, & circa alia multò meliora ſtudia occupatus, & ideo nihil vnquam audiuit de re illa, quamuis aliquando eos, qui per ciuitatem vagantur, interrogauerit, an aliquid nouum contigerit, quod ſit ſcitu dignum. Ius præſumit hunc ſcire legem illam nouam, propterea quòd in eadem ciuitate, in qua ille moratur, fuit publicata, & duo menſes poſt illius publicationem ſunt elapſi. Sed re vera ille ſine culpa ſua ignorat, quia nec affectatam, nec craſſam, nec ſupinam habet ignorantiam, & ideo apud Deum eſt excuſatus. D
Deinde, ſi quis contenderit illam iuris regulam eſſe etiam de excuſatione apud Deum, & in foro conſcientiæ intelligendam, ne pro hac re contendamus, dicam illam non de omni iuris ignorantia, ſed de ſola ignorantia vincibili eſſe intelligendam, quæ nec apud Deum, nec apud homines excuſat à peccato, & per conſequens nec à pœna. Quoniam ignorantia vincibilis (vt ſuperius in principio huius capitis declarauimus) eſt illa, quam aliquis vincere poteſt, faciendo id, quod facere debet, ad diſcendum. Ille autem, de quo in caſu proximo loquuti ſumus, inuincibilem legis nouæ ignorantiam habebat, & ideo ſicut apud Deum eſt excuſatus, ita excuſabitur apud iudices humanos, ſi illis ſuam potuerit ignorantiam perſuadere. Nam illa præſumptio, qua quilibet præſumitur ſcire legem poſt duos menſes à publicatione illius (vt dicit
Abbas. Abbas in capitulo ſecundo de conſtitutionibus) non eſt iuris & de iure, ſed cõtra illam admittitur probatio. Qualiter autem quis ſuam poſsit ignorantiam probare, varia eſt inter iuriſperitos ſententia, de qua re optimè diſ-
ſerit

A ſerit Abbas in illo capitulo ſecundo de conſtitutionibus. Communior iuriſperitorum ſententia eſt (vt mihi videtur) ignorantiam poſſe probari per iuramentum, præſertim quando eſt aliqua veriſimilis coniectura, quæ ſuadeat verum eſſe quod iurat. Nam hanc ſententiam docet Petrus Ancharanus in capitu. Nulli licere, numero quinto, de electione, libro ſexto, & citat Archidiaconum eodem loco idem dicentem: & eandem ſententiam iterum aſſerit in capitulo, Vt circa, numero ſeptimo, eodem titulo, & libro. Cardinalis Zabarella in Clementina de conſanguinitate & affinitate, quæſtione octaua, hanc etiam ſententiam tuetur, & citat Laurentium quendam idem docentem, & hac ratione motum, quod cùm agatur de re ſecreta, & quæ intra ipſum hominem in cordis penetralibus latet, non poteſt per teſtes probari, ſed per ſolum iuramentum. Ioannes de Imola in eadem Clementina hanc ſententiam amplectitur eadem ratione motus, qua Laurentius ille: & citat Gulielmum quendam, & neſcio quem Stephanum, eidem ſententiæ fauentes. Abbas in capitulo citato, & ſi hoc iudicis arbitrio committat, citat tamen Antonium de Butrio, dicentem ignorantiam optimè probari iuramento, ſi adſit veriſimilis coniectura, quæ poſſit vtcunque iuramentum adiuuare. Gloſſa in capitulo, Propoſuiſti. 82. diſtinctione, eandem ſententiam tuetur. Denique gloſſa in capitulo, Eos qui, de ætate & qualitate, & ordine præficiendorum, libro ſexto, huic opinioni fauet, ſed addit quod contra iuramentum poteſt probari ſcientia per probabiles coniecturas. Sed hoc vltimum huius gloſſæ dictum non mihi placet, niſi coniecturæ eſſent nimium violentæ, & adeò apertæ & manifeſtæ, vt rem ipſam quaſi indice demonſtrare videantur. Nam aliàs magis exiſtimo credendum eſſe iuramento, quàm mediocribus coniecturis, quia non eſt facilè credendum eſſe aliquem ſuæ ſalutis tam immemorem, vt peierare velit.

Petrus de Ancharano. *Archidiaco.* *Zabarella.* *Ioãnes de Imola.*

B

Secunda propoſitio. Inuincibilis ignorantia facti excuſat à peccato, quod ratione rei ignoratæ prouenire poſſet, ſi illa eſſet perfectè cognita. Pro clariori intelligentia huius propoſitionis oportet reuocare ad memoriam id, quod ſuprà dixi, multas in eodem facto poſſe contin-

gere ignorantias. Si id, quod ignoratur, tale eſt vt ab ipſo C
ſolo pendeat tota malitia operationis, tunc illa ignorantia
excuſabit operantem à toto peccato. Hoc modo excuſatur
Geneſ. 29. patriarcha Iacob à peccato, dormiens cum Lya, quia
putauit illam eſſe Rachelem, quæ ſibi fuerat data in vxorem.
Si ſciens illam non eſſe Rachelem coiuiſſet Iacob
cum Lya, quæ erat aliena, peccaſſet ex hoc ſolo, quòd ad
alienam acceſsit; cùm igitur ignorauerit illam eſſe ſuam,
meritò excuſatur à toto peccato, quia ab illo ſolo tota peccati
malitia pendebat. Si id, quod ignoratur, tale eſt quòd
ab illo non tota malitia pendet, ſed ſolùm aliqua malitiæ
circunſtantia, quæ peccatum augere poſſet, tunc ignorantia
non excuſabit à toto peccato, ſed ſolùm ab illa grauitate
peccati pendente ex circunſtantia ignorata. Vt, gratia
exempli, ſi quis ex ira occideret ſacerdotem aliquem,
ignorans illum eſſe ſacerdotem, & ſi ſciret non occidiſſet,
talis ignorantia, etſi inuincibilis ſit, non excuſat à peccato
homicidij, quia is qui occidit, verè ſciuit illum eſſe hominem:
ſed excuſat à tota ſacrilegij circunſtantia, quia ille
inuincibiliter ignorauit illum eſſe ſacerdotem. Si quis
etiam coiret cum aliqua moniali, neſciens illam eſſe monialem,
quod ſi ſciret, nullatenus illi carnaliter miſceretur, D
talis ignorantia, quamuis ſit inuincibilis, non excuſat
à peccato fornicationis; quia ille qui ſic cum moniali coiuit,
bene ſciuit illam non eſſe vxorem ſuam: ſed excuſatur
à tota circunſtantia ſacrilegij, aut inceſtus, quia inuincibiliter
ignorauit eſſe monialē. Hæc propoſitio probatur
eodem argumento, quo primam probauimus. Nihil
enim poteſt eſſe peccatum, niſi ſit volũtarium: id quod
procedit ex ignorantia inuincibili non eſt voluntarium,
ergo illud non eſt peccatum. Dicitur autem eſſe inuoluntarium
id, quod ab ignorantia procedit, non quidem propterea
quòd illud non ſit volitum, quia verè eſt volitum.
Sed dicitur inuoluntarium, quia eſt contra volitionem, aut
nolitionem, quæ haberetur ſine tali ignorantia. Ex quo
ſequitur illud non eſſe voluntarium ſub illa ratione, qua
ignoratur. Et inde vlterius ſequitur, vt tantum aliqua operatio
excuſetur à peccato, quantum habet de ignorantia,
& per conſequens de inuoluntario. Si id totum, à quo peccati
malitia pendet, fuerit inuincibiliter ignoratum, tunc

A (vt dixi) ignorans excuſabitur à tota malitia peccati. Si verò id, à quo non tota; ſed ſolùm partialis malitia pendet, inuincibiliter ignoratur, tunc ignorans excuſabitur non à tota peccati malitia, ſed ab illa ſola, quæ pendebat ex illa circunſtantiâ ignorata. Quia tantùm preciſè habet de excuſatione peccati, quantum habet de inuincibili ignorantiâ, & non amplius, nec minus.

Nec refert, quatenus ad hanc rem ſpectat, an ſic ignorans det operam rei licitæ, an illicitæ: quia ſi ignorantia eſt inuincibilis (vt optimè docet ſanctus Thomas in prima ſecundæ; quæſtione lxxvj. articulo iij.) ſemper excuſat à toto peccato, quod proueniret ab illo, quod ignoratur, ſi fuiſſet plenè cognitum. Et eodem loco Caietanus egregiè annotauit, illam beati Thomæ ſententiam eſſe vniuerſaliter intelligendam, ſiue ignorans det operam rei licitæ, ſiue illicitæ. Quia cùm vtrobique (vt ille ait) ſit eadem cauſa, puta ignorantia inuincibilis & inculpabilis, oportet vt vtrobique ſit inuoluntarium: & indè vlterius neceſſariò ſequitur; vt etiam vtrobique ſit excuſatio totius peccati, quod proueniret ab illo ignorato, ſi bene cognoſceretur. *Nō. diſt.* *Thomas.* *Caieta-nus.*

B Differentia enim, quæ in materia de ignorantia poni ſolet inter illum, qui vacat rei licitæ, & qui dat operam rei illicitæ, ſolum habet locum, quando vterque illorum habet vincibilem ignorantiam; indirectè volitam, prout eſt ignorantia craſſa aut ſupina. Nam ignorantia directè volita, qualis eſt ignorantia affectata, eandem habet ſcientiæ conditionem; & idem operatur, quod operaretur ſcientia ſi adeſſet. Hoc annotat gloſſa in cap. Eos qui, de ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum, lib. vj. Et poſt gloſſam idem aſſerunt Petrus de Ancharano, & Dominicus in eodem loco. Et de hac ignorantia dicit beatus Thomas in quæſtione prædicta, artic. iiij. quòd talis ignorantia potius auget peccatum, quàm excuſet, quia talis ignorantia non diminuit de voluntario, ſed auget illud. Nam ex nimia voluntate peccādi oritur quod aliquis velit ignorare, ne per ſcientiam reuocetur à peccato. Sola igitur ignorantia craſſa aut ſupina eſt, quæ non poteſt ignorantem excuſare à peccato. Et in hac facti ignorantia diligenter conſiderare oportet, an is qui ex tali ignorantia aliquod malum agit, det operam rei licitæ, an illicitæ: quoniam ali- *Petrus de Ancharano, Dominicus.*

quid inter vnum & alterum intereſt. Nam malum, quod C ex ignorantia vincibili, hoc eſt craſſa & ſupina, fit ab eo, qui dat operam rei licitæ, non eſt per ſe voluntarium, ſed tantum per accidẽs. Quia malum illud non per ſe & neceſſariò, nec vt in pluribus oritur à bona illa re, cui operam dabat. Malum enim nunquã ex natura ſua oritur à bono, ſed tantum per accidẽs. Malum ergo illud eſt ſolummodo volitum in ignorantia vnde oritur, quæ etiam non eſt directè volita, ſed interpretatiuè: quia noluit adhibere diligentiam, quã tenebatur. Et quia magna eſt illic diminutio voluntarij, ideo oportet vt magna etiam ſit excuſatio peccati. Eſt enim tanta, vt malum illud non permittat manere in eadem ſpecie peccati, in qua fuiſſet, ſi ex ſcientia fieret. Vt, exempli gratia, ſi Iacob quãdo dormiuit cum Lya, quæ non erat ſua, ignoraret ex craſſa ignorantia illã non eſſe ſuam, vt puta quia ancilla aliqua ſoceri ſui admonuerat de illuſione futura, & ex negligentia noluit explorare lectum, tunc Iacob dormiens cum Lya, non fuiſſet omnino excuſatus à peccato, quia re vera peccaſſet: ſed fuiſſet excuſatus à peccato fornicationis, propterea quòd dabat operam rei licitæ. Non enim diceretur Iacob commiſiſſe fornicationem, quia non fuit ab eo per ſe volita, nec intenta. D Quod ex eo conuinci poteſt, quòd ſi ille ſciuiſſet non eſſe ſuam, non acceſsiſſet ad illam. Et ſicut ille excuſaretur à peccato fornicationis, aut adulterij, aut inceſtus, ita excuſaretur à pœna, quæ propter aliquod horum criminum eſſet à iure impoſita. Nam ſi alicui vxorem habẽti modò ex Gene. 29. ignorantia craſſa contingeret, quod olim ex ignorãtia inuincibili Iacob, non poſſet illũ vxor à thoro propter adulterium repellere, vt dicitur in ca. In lectum mariti. xxxiiij. quæſtione iij. Quia etſi peccaſſet, non tamen peccato adulterij, ſed ſolùm peccato negligentiæ, quæ fuit ab illo interpretatiuè volita. Peccatum autem adulterij erat neceſſarium, vt vxor iuſtè poſſet illi debitum negare. Idem prorſus dicendum erit de illo, qui vacans iuſtæ venationi occidit hominem ex ignorantia craſſa, putans illum eſſe feram, quia debitam non adhibuit diligentiam. Ille enim etſi peccaſſet occidendo, non tamen peccato homicidij, quia ille non intendit occidere hominem, ſed præter intentionem & præter ſpem euenit. Quæ autem præter intentio

tentio

A tentionem, & per accidens eueniunt, non eiſdem cenſeri debent nominibus, quibus cenſerentur ac ſi eſſent per ſe volita. Et ſicut in iſtis aut aliis ſimilibus cauſis ille excuſatur à ſpecie peccati, ita excuſatur ab ea iuris pœna, quæ propter talem peccati ſpeciem, eſt à iure decreta. Ex quo ſequitur, vt ſi ille ſic occiſus eſſet clericus, is qui illum occidiſſet, non eſſet excommunicatus, quia talis excommunicatio non pro quolibet peccato, ſed pro vera clerici percuſſione, quæ dolum habet, infligitur: vt patet in capit. Si quis ſuadente, xvij. q. iiij. Non tamen excuſaretur ab irregularitate, quia illa (vt ſuprà dixi) nō requirit propriam ſpeciem peccati, ſed ſolam homicidij operationem, quæ ſi eſt à perſona priuata, vt irregularitatem indueat, ſemper debet habere aliquam peccati malitiam ſecum cōnexam. Nam qui omnino excuſatur à peccato, etiam eſt excuſatus in iure à pœna irregularitatis ex huiuſmodi homicidio prouenientes: & qui non omnino excuſatur à peccato, etiam non excuſatur ab irregularitate. Similis enim caſus habetur in cap. Ad audientiam, de homicidio voluntario, vbi is, qui præter intentionem occidit, dans operam B rei licitæ, non excuſatur ab irregularitate, quia eam, qua tenebatur, non præſtitit diligentiā, vt homicidium vitaret.

Longè aliter ſentire oportet de illo, qui dans operam rei illicitæ, facit malum ex craſſa aut ſupina ignorantia. Nam malum, quod ille ex tali ignorantia facit, non eſt ab illo per accidens, ſed per ſe volitum. Quia apertè volebat rem illam illicitam, cui operam dabat: & volens illam eo ipſo cenſetur velle id, quod per ſe & neceſſariò ſequitur ex illa. Et inde ſequitur, vt ignorantia craſſa iſtius nō adeò diminuat de malitia operis, vt valeat illud transferre de vna ſpecie peccati in aliam, ſed permittit illud in propria ſpecie peccati, in qua collocaretur, ſi eſſet ex induſtria factum. Sed licet in eadem ſpecie illud permittat, aliquid tamen diminuit de illa malitia, quam haberet ſi ex induſtria fieret. Vt gratia exēpli, ſi Petrus accedat ad meretricem, quem ex ignorantia craſſa ignorat eſſe ſuam conſanguineam, peccabit non ſolùm peccato ſimplicis fornicationis, ſed peccato inceſtus, ſicut peccaret, ſciens illam eſſe conſanguineam. Sed inceſtus ille non induit tantam malitiam, quantam induiſſet, ſi ſciuiſſet conſanguinita-

tem, quæ eſt inter illos. Quia ex hoc, quòd ille dabat operam rei illicitæ, euenit vt ignorantia illa craſſa, licet valeat aliquantulum peccati malitiam minuere, non tamen tantum, vt poſsit de vna in alteram ſpeciem transferre. Et inde ſequitur, vt ſicut ignorantia illa non valet opus malum ex ipſa factum de vna in alteram peccati ſpeciem transferre, ita etiam non valeat liberare illud à pœna iuris, quæ eſt propter tale peccatum ſtatuta. Si Petrus contendens cum Ioanne, quem ex ignorantia craſſa ignorat eſſe ſacerdotem, occideret illum, ſicut peccaret peccato homicidij, ita etiam peccato ſacrilegij, & per conſequens eſſet excommunicatus. Non autem imputaretur illi ſacrilegium, & per conſequens non eſſet excommunicatus, ſi illa ignorantia non fuiſſet craſſa aut ſupina, ſed inuincibilis, vel (vt iuriſperiti loquuntur) probabilis, vt patet in capit. Si verò ij. de ſententia excommunicationis. C

Hic tamen admoneo lectorem, vt aduertat id, quod dicimus dantem operam rei illicitę non excuſari à peccato, quod fit ex ignorantia craſſa, nec à pœna illi ex iure debita, debere intelligi de ſola malitia obiecti, circa quod verſatur, aut de aliis, quæ illi per ſe & immediatè iunguntur, aut ex illis neceſſariò ſequuntur. De aliis autem, quæ per accidens oriuntur, à re illa mala, circa quam verſatur, excuſabitur ignorans, quamuis det operam rei illicitæ, & ignorantia illius ſit craſſa & ſupina. Quia illa, quæ per accidens euerieniunt ex opere aliquo & tanquam effectus remoti proueniunt ab illo, non imputantur illi ſiue ad bonitatem ſiue ad malitiam. Hoc prudenter quidem & egregiè annotauit Petrus de Palude in iiij. ſententiarum, diſtinctione xxxij. quæſtione prima, articulo tertio. Ex qua ſententia ille colligit virum, qui ſcit vxorem eſſe menſtruatam, neſcit tamen an ex tali coitu ſoleat generari monſtrum, non peccare, præſertim mortaliter. Quia (vt ait) quod præter ſpem alicui accidit, etiam ſi ille det operam rei illicitæ, non imputatur illi ad culpam, nec ad pœnam, quæ oritur ex peccato, quamuis aliquando poſsit imputari ad pœnam irregularitatis, quę non propter peccatum, ſed propter actum aut defectũ infligitur. Et gloſſa in capitulo vltimo, de homicidio voluntario vel caſuali, dicit caſus fortuitos, qui præuideri non poſſunt, non eſſe D

Petrus de Palude.

impu

A imputandos: quia illos nullum hominum conſilium prævidere poteſt. Et certè niſi ita dicendum eſſet, oporteret fateri artificem, qui ex ferro & calybe furto ſublatis conficeret enſem, eſſe homicidam & irregularem, ſi ille, qui enſem ab eo emit, poſtea illo enſe aliquē occidiſſet; quia licet cùm enſem vendidit, ignoraret homicidium futurum, tamen dabat operam rei illicitæ, cùm illum ex materia furtiuè ſuſcepta confecit. Hoc tamen nullus fatetur: quia ille enſem conficiens & vendens, nullam dedit homicidio propinquam cauſam, ſed valde remotam: cui imputari non debet neque ad culpam neq; ad pœnam, id quod remotè & per accidens ab illa procedit. Eadem ratione credo non eſſe irregularem ſacerdotem, qui polluit per adulterium vxorem alicuius, quamuis ob hāc cauſam maritus illius illam occidat. Quia ſacerdos ille per adulterium ſuum non intendebat mortem mulieris illius, nec homicidium illud ſequitur per ſe & neceſſariò ex adulterio, ſed ſolùm occaſionaliter: & ideo ſacerdos ille non eſt dicendus eſſe vera cauſa illius homicidij, cùm non ſit cooperatus ad illud, nec de illo præceptum, aut conſilium B dederit, nec illi quouis modo fauorem præſtiterit. Et inde conſequens eſt, vt quamuis rei illicitæ operam dederit, non ſit illi imputandum homicidium, quod ipſo ignorante contigit, quia hoc non per ſe & neceſſariò, ſed per accidens oritur ab adulterio. Nam poterat ignorari à marito, & quamuis maritus ſciret, non eſt neceſſarium maritum adeò ob illud iraſci, vt vxorem occideret, cùm multi vbique ſint, qui vxores ſuas viuere ſinant, quamuis optimè ſciant illas eſſe adulteras.

Ecce iam manifeſtam differentiam inter ignorantiam inuincibilem, & vincibilem: & rurſum perſiſtendo in ignorantia vincibili & craſſa inter illum, qui dat operam rei licitæ, & qui illicitæ. Quæ omnia licet propter nimiā eorum difficultatem, vt clarius ab omnibus intelligi potuiſſent, valde diffuſè & prolixè tractauerim, tamen vt facilius poſsint memoriæ commendari, ea iterum ſub breui compendio per propoſitiones quatuor repetere ſtatui. Nulla ignorantia ſiue iuris ſiue facti excuſat à pœna iuris quæ non propter peccatum, ſed propter actum aut defectum eſt à iure ſtatuta. Ignorantia craſſa illius, qui dat

operam rei illicitę, non excuſat illum à peccato, nec à pœna, quæ propter illud peccatū eſt à iure decreta. Ignorantia craſſa illius, qui dat operam rei licitæ, licet non omnino excuſet à peccato opus ex tali ignorantia factum, ſic tamen diminuit malitiam illius, quod non permittit illud in propria ſpecie peccati in qua fuiſſet, ſi ex induſtria fieret, ſed transfert illud in aliam mitiorem ſpeciem peccati, hoc eſt, in ipſum peccatum ignorantiæ, à qua proceſſit. Et ſicut excuſat à propria ſpecie peccati, ita excuſat à pœna, quæ eſt propter peccatum à iure ſtatuta. Ignorantia inuincibilis ſemper excuſat à culpa, & ideo ſemper excuſat à pœna quæ propter peccatum à iure imponitur, ſiue ignorans det operam rei licitæ, ſiue illicitæ, & ideo ebrius ſi per ebrietatem occidat aliquem, excuſatur (vt dixi) ab irregularitate. Quia licet dabat operam rei illicitę, quum occidit, habebat tamen homicidij ignorantiam eo tempore inuincibilem. C

Ex hac vltima propoſitione multa poſſunt inferri corollaria, è quibus aliqua pauca proferam, vt melius ea quæ generaliter diximus, per particularia exempla intelligātur. Primò quidem ſequitur, quòd ſi aliquis vxori minimè alligatus cognouiſſet aliquam conſanguineam aut affinem ſuam, ignorans inuincibiliter illam eſſe affinem ſuam aut conſanguineam, prout cōtigit Iudæ coëunti cum Thamar, quamuis peccaſſet peccato fornicationis, quia cognouiſſet illam quam ſciebat non eſſe ſuam, non tamē peccaſſet peccato inceſtus, quia inuincibiliter ignorabat eſſe ſuam conſanguineam. Et inde vlterius ſequitur, vt ſi ille vellet matrimoniū cōtrahere, poſſet ſine vlla diſpenſatione id licitè facere, quamuis inceſtuoſo ſit à iure inflicta pœna, vt matrimonium non cōtrahat, in c. De inceſtis, & in c. Nec eam. xxxv. q. ij. & iij. Poſſet etiā ab vxore debitū licitè petere, ſi matrimonio alligatus aliquā cognouiſſet, quā inuincibiliter ignoraret eſſe ſuæ vxoris conſanguineam, quod tamen illi non liceret, ſi ſciret illam eſſe ſibi affinem prout dicitur in c. Tranſmiſſæ, de eo qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ. Quia ſicut in vtroq; iſtorum caſuum excuſatur ille ab inceſtu propter inuincibilem conſanguinitatis aut affinitatis ignorātiam, ita etiam ex conſequenti excuſatur à pœna quæ propter inceſtū eſt à iure ſtatuta. D

Geneſ. 38.

Secundò

A Secundò ex eadem propoſitione infero illum, qui ex odio & rancore percuſſit clericum, quem inuincibiliter ignorabat eſſe clericum, non eſſe excõmunicatum, quamuis eſſet excommunicatus ſi ſciret illum eſſe clericum, vt dicitur in capit. Si quis ſuadẽte.xvij.q.iiij. Quia licet non excuſetur à peccato percuſſionis, excuſatur tamen à peccato ſacrilegij propter inuincibilem clericatus ignorãtiam, prout definitum eſt in capit. Si verò, el. ij. de ſententia excommunicationis. Et eodẽ modo excuſaretur ab illa excommunicatione, quamuis non ab irregularitate, ſi illum per talem ignorantiam occidiſſet. Quia per talem ignorantiam non minus excuſaretur à ſacrilegio ſi occideret, quàm ſi percuteret. Ab irregularitate autem non excuſaretur, quia ad illam non requiritur ſacrilegium, ſed ſatis eſt homicidium quod ille verè perfecit, cùm ſciuerit eſſe hominem quem interfecit. Sed ſi illum occidit, putans ex ignorantia inuincibili illum non eſſe hominem, tunc ſicut excuſatur à peccato per inuincibilem ignorantiam, ita etiam excuſatur ab irregularitate per eandem ignorantiam. Et hoc annotauit Petrus de Palude in iiij.ſenten. diſtinctione xxxv. quæſtione j. articulo iiij. vbi ponit generalem regulam hæc dicentem. Iuſta ignorantia in irre-

B gularitate homicidij ſemper excuſat, non autem in bigamia. Et ratio eſt, quia irregularitas in bigamia non infligitur propter peccatum, ſed (vt ſuperius dixi) propter defectum ſacramentalis ſignificationis. Irregulatitas autem homicidij licet in perſona publica infligatur ſine peccato, in perſona tamen priuata ſemper eſt cum peccato, & illic omnis ignorantia quæ excuſat à peccato, excuſat etiam ab irregularitate, prout cõſtat ex toto titulo, de homicidio volũtario, vel caſuali in decretalibus, & in ſexto, & in Clementinis. Tertiò ex eadem propoſitione infero illum qui ſe eſſe excommunicatum, aut ſuſpenſum, aut interdictum inuincibiliter ignorat, non effici irregularem, quamuis celebret diuina. Quia talis ignorantia (vt ex dictis conſtat) excuſabit illum à peccato, & per conſequens ab illa irregularitate, cùm talis irregularitas non niſi pro peccato præterito infligatur. Hoc expreſsè definitum eſt in capit. Apoſtolicæ, de clerico excommunicato miniſtrante. Quam definitionem gloſſa in eo-

dem

dem loco interpretatur, & bene eſſe intelligendam de C illo ſolo qui habet ignorantiam probabilem, quam theologi appellant inuincibilem. Multa alia ſimilia poſſem inferre corollaria, ſed ne prolixiorem faciam diſputationem, ea prudenti lectori relinquo, quoniam hæc ſatis mihi eſſe videntur, vt quiſque ad illorum exemplum de multis aliis ſimilibus ferre poſsit iudicium.

An is qui crimen aliquod commiſit, liberetur ab omni pœna à iure ſtatuta, ſi crimen illius ſit occultum.

CAPVT XV.

VT promiſsioni meæ, qua de poteſtate legis pœnalis in hoc opere diſſerere ſtatui, plenè ſatisfaciam: hoc ſolum mihi ſupereſſe video, vt de illo, qui crimen aliquod occultum commiſit, inquiram, an ſit liber ab omni pena quam lex contra tale crimen decernit. Quæ res, poſtquam diligenter illam ſum perſcrutatus, viſa eſt D mihi multo difficilior quàm à principio putaueram, quum illam ex facie tantùm aſpexeram. Eſt enim res hæc, propter multiplicem illius varietatem, tam perplexa, vt nihil certum poſsit vniuerſali definitione, quæ omnia crimina & omnes pœnas complectatur, de illa pronunciari. Nam in re hac magis quàm in aliqua alia experior verum eſſe, id quod lib.j.cap.vij. me dixiſſe memini, pœnam non eſſe dilatandam vltra caſum in lege expreſſum, nec valere argumentum à ſimilitudine rationis in lege pœnali, præſertim in illa quæ ſententiam latam continet. Sunt enim aliquæ iuris pœnæ, à quibus reus nunquam liberatur, quamuis crimen illius ſit occultum. Sunt rurſus aliæ, à quibus reus eſt omnino liber, ſi crimen illius non poſsit probari. Quæ diuerſitas non ex natura ipſarum pœnarum, ſed ex ſola legiſlatoris voluntate pendere videtur. Oportebit igitur huius perplexæ quæſtionis definitionem per multas & varias concluſiones partiri, vt certam illam reddere valeamus. Sed ante omnia pro clariori huius rei intelligentia oportet aliqua annotare, ſine quibus

A quibus non poterit huius quæſtionis definitio plenè intelligi.

Primò quidem admoneo me in quæſtione iſta non inquirere de pœna illa, quæ eſt per iudicem inferenda, etiã ſi ſit per legem ſtatuta: quoniam de pœna illa non eſt cur aliquis merito dubitare poſsit. Nam cùm illius pœnæ inflictio pendeat à iudicis voluntate, conſtat reum tandiu fore liberum à tali pœna, quamdiu crimen illius fuerit occultum iudici, quatenus iudex eſt. Si crimen iudici fuerit reuelatum, non quatenus eſt iudex, ſed quatenus priuata eſt perſona, non poterit illum punire: quia non poteſt ſimul eſſe teſtis & iudex. Oportet enim, vt qui iudicis officio fungitur, tanquam iudex, hoc eſt, per aliorum teſtimonium noſcat crimen, quod in publico iudicio punire debet. De hac ſola cognitione, quam per teſtium relationem habet iudex, intelligitur id quod Salomon ait. Qui quod nouit loquitur, iudex iuſtitia eſt. Poſtquã crimen fuerit iudici iuxta iuris ordinem reuelatum, & plenè ab illo cognitum, tunc pœnæ inflictio adhuc ex ſola iudicis voluntate pendet, quoniã ſi ille remiſsè & negligenter agere velit, poterit, quamuis iniuſtè, iuxta ea quæ capite huius ſecundi libri diximus, pœnam reo dimittere. Non eſt igitur huius noſtræ quæſtionis ſenſus de pœna per iudicem inferenda, ſed de pœna à iure ipſo inflicta, an reus ab illa liberetur quando crimen illius eſt occultum. Et de hac eſt difficultas, quia lex ad pœnæ inflictionem non requirit teſtium probationem, aut alium iuris proceſſum, ſicut iudex: ſed ſine vllo teſte, & ſine vllo iuris proceſſu pœnam infligit. *Prou. 12.*

B

Secundò annotare oportet crimen occultum, ea ratione qua occultum eſt, multiplex eſſe & varium. Nam eſt aliquod ex ſe & ex ſua natura occultum, eſt aliud per accidens & contingenter occultum. Et hoc iterum variat per maiorem aut minorem illius occultationem, quoniã aliquod eſt omnino occultum, aliud eſt non omnino occultum, ſed ferè occultum. Hæc diſtinctio inter occultum natura, & occultum per accidens eſt valde notanda, quia ex ignorantia aut inaduertentia illius multi viri docti iuriſperiti errauerunt vnũ cum altero confundentes, & ideo putantes eandem eſſe de vtroque rationem habendam.

dam. Sed credo quòd longè aliter ſenſiſſent diuerſam de C
illis ferentes ſententiam, ſi bene aduertiſſent latiſsimum
eſſe inter hæc duo diſcrimen. Crimen ex ſe & ex natura
ſua occultum eſt illud, quòd ex ſe & ex natura ſua nihil
habet, vnde poſsit naturaliter ab aliquo homine cogno-
ſci. Talia ſunt illa crimina quæ in corde ſolo committun-
tur, & ad nullum opus exterius dicto aut facto perue-
niunt. Hæc enim ex ſe & ex ſua natura ſunt adeò occulta,
1. Corint. vt à nullo homine poſsint via naturali cognoſci. Quis
enim hominum, ait Paulus, ſcit quæ ſunt hominis, niſi
ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? Et meritò hoc ait Pau-
lus, quia homines (vt dicitur in primo Regum) vident
1. Reg. 16 ea quæ foris patent, Deus autem intuetur cor. Si quis for-
tè vnquam cogitationes hominum nouit, prout ſanctis
aliquibus contigiſſe eſt manifeſtum, id non propria vir-
tute, ſed Dei reuelatione aut ſpeciali Dei auxilio factum
eſt. Crimen occultum per accidens eſt illud, quod non à
ſolo corde committitur, ſed voce aut opere per aliquod
corporis membrum exercetur exterius. Nam, hoc poſtquã
ex latebris cordis prodit exterius, ex natura ſua hoc ha-
bet vt poſsit videri, aut audiri ab eo qui eſſet propinquus D
operanti. Si à nemine videtur, aut auditur, hoc per acci-
dens illi contingit, quia nullus erat præſens qui illud poſ-
ſet videre, aut audire. Hoc autem poteſt multipliciter cõ-
tingere propter maiorem aut minorem criminis occulta-
tionem. Eſt enim aliquod omnino occultum, quod diſtin-
guitur contra probabile, & tale non ſic dicitur, propterea
quòd à nemine ſciatur, ſed quia non poteſt ligitimè in iu-
dicio probari. Nam ſi aliquod crimen eſſet ab vno ſolo no
tum, nihilominus quantum ad forenſe iudicium ſpectat,
diceretur omnino occultum, quia ad illam cognitionem,
quæ requiritur ad ſententiam ferendam, nihil prorſus
agit vnius ſolius teſtis dictum, prout dicitur in cap. Ve-
niens, & in cap. Licet, de teſtibus. De hoc occulto fit ſer-
mo in cap. Vt noſtrũ, vt eccleſiaſtica beneficia. &c. Aliud
dicitur occultum, non quia ſit omnino occultũ, ſed quia
penè eſt occultum, propterea quòd pauci ſint teſtes qui il-
lud probare poſſunt, & nondum eſt deductum ad iudiciũ.
Et hoc diſtinguitur contra notoriũ, & aliquãdo eſt idem
quod manifeſtũ, aut manifeſtabile. Nam manifeſtũ (vt ait
gloſſa

A gloſſa in cap. Veſtra, de cohabitatione clericorũ & mulierum) dicitur illud quod per aliquot paucos teſtes probari poteſt. Sed quandiu res non eſt per teſtes probata, verius (vt ego cēſeo) dicetur manifeſtabile, quàm manifeſtũ. Poſtquã verò crimen eſt per teſtes probatũ, tunc ego dicerē eſſe iã manifeſtũ. Notoriũ crimē (vt dicit Gregorius nonus in ca. vltimo, de cohabitatione clericorũ & mulierum) eſt illud quod cognoſcitur per ſententiã iudicis definitiuã, aut per cõfeſsionē in iudicio factã, aut per euidentiã rei quæ tergiuerſatione aliqua celari nõ poſsit. Hæc quæ de crimine penè occulto diximus, ex ſententia Speculatoris in cap. de notoriis criminibus, §, vij. & Abbatis in ca. Ex literarũ, de tēporibus ordinationũ, & cap. Veſtra, de cohabitatione clericorũ & mulierũ, dicta ſunt. Hi enim ſimul cũ gloſ. in illo cap. Veſtra, ponũt mediũ inter notoriũ & occultũ, & vocãt illud manifeſtũ, aut penè occultũ. Nã occultũ eſt quod probari nõ poteſt. Manifeſtũ aut penè occultũ quod probari poteſt per paucos teſtes, & nondũ eſt deductũ in iudiciũ. Notoriũ verò quod iã in iudicio declaratũ eſt, aut per ſententiã iudicis, aut per cõfeſsionē, & hoc vocãt notoriũ iuris: aut per rei
B euidentiã, quæ non poſsit aliqua tergiuerſatione celari, & hoc vocant notoriũ facti. Sed Lucius Papa huius nominis tertius, in illo ſæpe citato cap. Veſtra, nullũ inter illa duo ponit mediũ. Nam diuidens crimē, ſolùm diuidit illud per notoriũ & occultũ. Deinde, definiens crimē penè occultũ, dicit eſſe illud quod ab eccleſia toleratur. Quamuis igitur crimē aliquod poſsit per iudicē aut viginti teſtes probari, dum modo nõ ſit per facti euidentiã, aut per ipſius rei iudicialem cõfeſsionem notũ, ſemper, iuxta Lucii Papæ ſententiam, dicetur penè occultũ, quouſque per iudicis eccleſiaſtici ſententiã ſit damnatũ. Nã hoc illic Papa dicit ab eccleſia tolerari, quod per eccleſiaſticũ iudicem non damnatur. Sed de hac diuerſa criminum appellatione ego cõtendere nolo, propterea quod parum referre mihi videtur, an hoc an illo nomine crimina cenſeri debeant: & ſemper mihi viſum eſt inutilem eſſe quæſtionem, quæ non de re ipſa, ſed de rei nomenclatura contendit. His omnibus prænotatis ad queſtionem propoſitam per aliquot concluſiones reſpondeo.

Prima

Prima concluſio. Is qui commiſit crimen aliquod ex ſe C & ex natura ſua occultum, vt eſt illud quod ſola mente perpetratum eſt, nullam propter illud pœnam iuris incurrit. Hæc concluſio fortè videbitur alicui pendere ex illa multorum opinione, quæ ait eccleſiam non poſſe obligare ad actus animæ interiores: de qua non inter omnes theologos conuenit, nec ego de illa impræſentiarum diſputare volo. Quoniam talis diſputatio nullo modo iuuat ad probandum meam hanc primam concluſionem: propterea quòd licet daremus gratis eccleſiã poſſe directa ad hoc intentione obligare ad actus animæ interiores, nihilominus tamen maneret firma noſtra concluſio quod propter crimen occultum, quod in ſola mente latet, nullus incidit in pœnam à iure decretam. Nam etſi propter peccatum quod intra cordis latebras occultatur, peccator incidat in obligationem pœnæ æternæ, propter illud tamen nunquam incidet in obligationem pœnæ temporalis ab humano iure ſtatutæ. Quia pœnã æternam infligit Deus, qui eſt cordium ſcrutator, & cognoſcit optimè talem peccatorem eſſe illa pœna dignum. At pœna tẽporalis à iure decreta, non poteſt infligi, niſi ab ipſo iure aut ab homine D illius miniſtro. Homo autem non poteſt cognoſcere crimẽ intra cordis receſſus abſconditum, ergo non poteſt propter illud pœnam infligere. Conſequentia iſta ex eo eſt nota, quòd nullus iudex poteſt aliquem punire, niſi propter crimen quòd fuerit ſibi iuris ordine notum. Iniuſtè enim ageret iudex qui alicui pœnam inferret, neſciens, an ille ſit tali pœna dignus. Nec ſatis eſt ad pœnam infligendam quòd ipſe ſolus iudex ſciat, ſed oportet vt iuris ordine ſciat, hoc eſt per teſtium relationem, qui de re illa teſtimonium dicant: quia (vt in primo notabili dixi) non poteſt idem eſſe teſtis & iudex. Oportet igitur vt non ſoli iudici, ſed multis aliis ſit notum crimen quod eſt iuris ordine puniendum. Fortè hic aliquis reſpondebit dicens hoc verum eſſe in pœna à iudice infligenda, ſed non in pœna à iure inflicta, quia ad hanc non requiritur proceſſus, ſicut ad illã. Sed hæc reſponſio non tollit, nec minuit noſtri argumenti vim, quia etſi ad pœnã à iure inflictã non requiratur cauſæ proceſſus, requiritur tamẽ legiſlatoris authoritas & po-

A teſtas, quæ ad ſola illa ſe extendit, quæ licet ſint illi incognita, tamen ex illorum natura non obſtant, quin poſsint ab illo cognoſci. Et quia natura eorum, quæ intra mentem noſtram occultantur, obſtant ne poſsint ab homine cognoſci, ideo illorum etiam natura obſtat ne humanæ ſubſint iuriſdictioni & poteſtati, & inde neceſſariò ſequitur, vt non poſsint ab aliquo iure humano puniri. Et hanc ſententiam confirmat id, quod dicit Iuriſconſultus Vlpianus in l. Cogitationis. ff. de pœnis. Cogitationis pœnam nemo patitur.

Contra hanc concluſionem primam obiici poteſt id, quod in Clementina j. §. Verùm, de hæreticis, dicitur, vbi ſententia excommunicationis innodatur inquiſitor hæreticorum, qui odio aut lucri ſpe aliquem innocentem puniuerit, aut amore & fauore hæreticũ perſequi omiſerit. Ex qua definitione videtur colligi pœnam eſſe inflictam à iure propter crimen in corde occultum, quia odium & ſpes lucri intra cordis arcana continentur. Et gloſſa in illa Clementina ex ſententia illius colligi, certum eſſe Eccleſiam poſſe ligare & punire crimen omnino occultum quod in B corde latet, & nunquam ad exteriorem actum proceſsit. Hanc gloſſam laudat Abbas in c. Si ſacerdos, de officio iudicis ordinarij. Et huic gloſſæ conſentit Adrianus in quolibeto viij. art. j. Mihi tamen multo magis placet aliorum multorum Theologorum opinio, quia communior, & magis rationi conſona. Argumentum autem quòd gloſſa & Adrianus ex litera illius Clementinæ ſumunt, parum agit contra nos. Quia Papa non ponit illic ſententiam ſuſpenſionis, aut excommunicationis propter ſolum odium, ac propter ſolam lucri ſpem, neque hoc facere poſſet, ſed propter perſecutionem aut afflictionem innocentis, ex odio aut ſpe lucri procedentem. Conſtat autẽ quòd licet odium & ſpes ſint prorſus occulta, perſequutio tamen & afflictio innocentis, ex odio aut ſpe lucri procedens, non eſt ſic occulta quin poſsit apertè ab hominibus videri. Et inde apertiſsimè conuincitur Clementinam illam non imponere pœnam, propter ſola peccata occulta quæ in mente latent, qualia ſunt odium & ſpes: ſed propter actus exteriores qui ab hominibus videri poſſunt, quales ſunt falſa criminis impoſitio, incarceratio, tortura, & alia quæuis ſimilis ve-

xatio. Nihil igitur Clementina illa obſtat noſtræ concluſioni, imò potius fauet illi, quum non propter ſolos actus animæ interiores, ſed propter exteriores, qui illis iunguntur & ab illis oriuntur, ſuſpenſionis aut excommunicationis ſententiam dederit. Fateor quidem cogitationem & animum aliquando puniri, vt in l. Si quis non dicam rapere, C. de epiſcopis & clericis, ſed ibi non ſola cogitatio, aut nudus animus punitur: quia non punitur propterea ſolùm quòd mente concipit raptum virginis, ſed quia illum perpetrare incepit, quamuis non conſummauit. Et idem contingit in omnibus illis caſibus, in quibus leges aut canones præcipiunt puniri affectum, quamuis non ſequatur effectus, vt in cap. Pro humani. §. Sacri, de homicidio, libro vj. & aliis ſimilibus: quia illic non punitur ſolus affectus occidendi, ſed mandatum homicidij, & receptatio, & occultatio, & defenſio homicidæ, quæ omnia conſiſtunt in opere exteriori, quod apertè ab hominibus videri poteſt. Et idem contingit in caſu l. Quiſquis. C. ad legem Iuliam maieſtatis: quia illic (vt eodem loco annotat Accurſius) non ſola cogitatio punitur, ſed factum. Quod autem in c. j. de ſchiſmaticis, dicitur excommunicatum eſſe omnem illum qui præſumpſerit contraire decreto illius capituli, non eſt intelligendum de illa præſumptione animi quæ in corde latet, ſed de illa quæ per aliquod opus exterius eſt demonſtrata. Et eodem modo intelligendum eſt quod dicitur in cap. vnico. de ſchiſmaticis. §. omnem, libr. vj. vbi Papa Bonifacius huius nominis octauus excommunicat omnem qui quoſdam Petrum & Iacobum habuerit & tenuerit pro cardinalibus: quia illud nón eſt intelligendum de illa exiſtimatione qua quis ſolo corde reputaret illos cardinales, ſed de illa exiſtimatione quæ per aliqua ſigna exteriora demonſtraretur, vt puta appellando illos cardinales, aut talem honorem & reuerentiam illis exhibendo, qualis, niſi cardinales eſſent, illis non foret exhibenda. Nam ſi talis exiſtimatio in ſolo corde manſiſſet, nec excommunicatione, nec alia quauis pœna potuiſſet ab homine puniri. Nam (vt dicitur in cap. Cogitatio. de pœnitentia, diſt. j.) cogitatio non meretur pœnam quando ſuis terminis contenta eſt, id eſt, quando cogitatio non ſe prodit exterius per aliquod opus. Quia ſi cogitatio procedit

ad

A ad aliquod opus exterius quod oſtendat ſaltem criminis initium, punietur ipſum opus & non ſola cogitatio. Et hanc ſententiam apertè confirmat id quod Iuriſconſultus ait in l.Fugitiuus. ff. de verborum ſignificatione. Fugitiuus eſt (inquit ille) non is qui ſolùm fugiendi à domino conſilium ſuſcepit, licet id ſe facturum iactauerit, ſed qui in ipſo facto fugæ, vitium mentis deduxerit. Nam & furem,& adulterum,& aleatorem, quanquam alia ſignificatione,ex animi propoſitione cuiuſque ſola dicere quis poſſit,etiam eum, qui nunquam alienam rem inuito domino ſubtraxerit,qui nunquam alienam matremfamiliâs corruperit,ſi modò eius mentis ſit,vt occaſione data id commiſſurus ſit: tamen oporteret hæc eadem crimina aſſumpto actu intelligi: & ideo fugitiuum quoque & erronem non ſecundum propoſitionem ſolam,ſed cum aliquo facto intelligi conſtat. Hactenus iuriſconſultus. Ex cuius verbis conſtat hominem quemque ex ſolo peccãdi propoſito peccatoris nomen ſuſcipere, pœnam tamen legis non debere ſuſcipere niſi propoſitum opere compleuerit. Quæ autem gloſſa in illa Clementina j.de hæreticis, pro ſe citat,nihil B probant intentionem,& ferè illis omnibus reſpondimus. Et ſi quæ omiſimus,facilè illis per ea quæ diximus,reſponderi poteſt. Nam illa omnia hoc ſolùm probant quòd Eccleſia poteſt punire crimen occultum per accidens, vt eſt illud quod exterius commiſſum eſt,& caret teſtibus quibus poſsit probari. Nihil autem probant de crimine quod eſt ex natura ſua occultum, prout eſt illud quod in ſolo corde perpetratum eſt. Et quia gloſſa & qui illam ſequuti ſunt, non aduerterunt quantum ſit inter illa duo occulta diſcrimen, ideo decepti ſunt putantes idem de vno, quod de altero, eſſe dicendum.

Secundò, contra eandem primam concluſionem argui poteſt per capitu.Dolentes,de celebratione miſſarum,vbi Concilium Laterenſe ſub Innocentio tertio celebratum, poſtquam dixerat multos eſſe clericos non ſolùm minores, ſed etiam prælatos qui nec miſſas audiunt, nec diuinum officium dicunt, aut ſi dicunt, id tamen negligenter & indeuotè faciunt, tandem hæc quæ ſequuntur ait. Hæc igitur & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus,diſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ, vt diui-

num officium nocturnum pariter & diurnum, quãtum eis C
dederit Deus, ſtudioſè celebrent pariter & deuotè. Hæc Concilium Lateranenſe. Ex cuius verbis videtur colligi pœnam ſuſpenſionis eſſe poſitam illi qui ſine diligentia & ſine deuotione officium diuinum dixerit. Et inde vlterius ſequi videtur, vt propter crimen in ſolo corde latens ſit pœna iuris ſtatuta. Quia ſicut deuotio eſt in corde, ita oportet vt illius priuatio ſit in ſolo corde: quia priuatio & habitus ſunt circa idem ſubiectum. Pro ſolutione huius argumenti non eſt opus differere de intelligentia illius capitu. Dolentes, an per illud inducatur obligatio peccati mortalis ad habendum deuotionem, quum diuinum officium Deo perſoluitur. Nam ſiue obliget ad deuotionem illam ſub pœna peccati mortalis, ſiue non, parum refert ad argumenti vires augendas, aut minuendas. Quoniam etſi nulla ſit obligatio peccati mortalis ad deuotè dicendum officium diuinum, nihilominus manere poſſet illa obligatio ad pœnam illic expreſſam, quæ ſi impoſita eſt propter defectum deuotionis, inde argumentum ſumet vires, vt probare videatur aliquam pœnam eſſe à iure impoſitam, propter peccatum in ſolo corde perpetratum. Omiſſa ergo illa diſputatione dupliciter ad argumentum reſpondeo, & D
primò nego pœnam ſuſpenſionis illic ſtatui contra illos qui ſine deuotione officium diuinum perſoluerint, ſed ſolum contra illos clericos qui raro miſſam audiunt, & rariſſimè dicunt, & quando choro intersunt fabulis & aliis collocutionibus laicorum intendunt, noctes illicitis fabulationibus expendunt, vt poſtea vix illis tempus relinquatur ad matutinum officium dicendum. Nam poſtquã in principio illius cap. dixerat hæc omnia à multis clericis fieri, tandem hæc omnia ſub pœna ſuſpenſionis prohibet. Poſt illam prohibitionem præcipit, vt diuinum officium nocturnum pariter ac diurnum quãtum eis dederit Deus ſtudioſè celebrẽt pariter & deuotè: ſed tunc nullam adiecit pœnam contra huius præcepti tranſgreſſores. Iuxta hunc modum interpretatur illud cap. Adrianus, in quolibeto 8. arti. j. vbi reprehendit quorundam iuriſperitorum opinionem per Abbatem in eodem cap. citatam, quæ dicit pœnam illam ſuſpenſionis eſſe referendam non ſolùm ad prohibitionem præteritorum, ſed etiam ad obſeruantiam præcepti ſubſequentis.

A quentis. Secundò reſpondeo, quòd licet gratis dare vellem pœnam illam ſuſpenſionis ſtatutam eſſe contra illos, qui indeuotè diuinum officium Deo perſoluunt, nihil tamen ageret illud c. contra meam primam concluſionem. Quia pœna illic decreta non eſt ipſo iure inflicta, ſed eſt per iudicem inferenda. Nam illa verba, ſub pœna ſuſpenſionis, quę in illo cap. collocantur, (vt capite j. huius ſecundi libri diximus) non ſententiam à iure latam, ſed ſolùm à iudice ferendam declarant. Si pœna illa eſt à iudice infligenda, neceſſarium eſt vt antequam iudex reum ad illam damnet, plenam per ſufficientes teſtes habeat notitiam de indeuotione & negligētia, quam reus habuit quum diuinum perſolueret officium. Et inde conuincitur, vt indeuotio quæ in cap. illo puniri præcipitur, non ſit illa quæ intra cordis ſecreta occultatur, ſed illa quæ per confabulationes, aut alia ſigna exteriora manifeſtatur. Quia illa quæ in mente latet, non poteſt per teſtium relationem eſſe iudici nota, & inde conſequens eſt, vt non poſsit ab eodem iudice ad pœnam damnari. Quomodo poterit iudex damnare ad pœnam quod non cognoſcit eſſe pœna dignum?

B Ex iſta prima principali concluſione ſic declarata apertè colligitur hæreticum mentalem, hoc eſt, qui hæreſim ſuam ſola mente concepit nullatenus illam ſigno aliquo foris manifeſtando, non eſſe à iure excommunicatum, nec dominio bonorum ſuorum priuatum, nec alicui alteri pœnæ à iure contra hæreticos ſtatutæ ſubiectū. Quia Eccleſia nō poteſt punire crimē, quod ipſa nullo modo poteſt agnoſcere. At hæreſim mentalē, quæ in corde hominis latet, Eccleſia non poteſt cognoſcere: ergo illā Eccleſia punire non poteſt. De talibus enim quæ intra cordis ſecretum latēt, & à ſolo Deo cognoſcuntur, prohibet Paulus iudicium ab hominibus dari, propterea quòd illa à ſolo Deo iudicanda ſunt, & illi ſoli ſeruantur. Nolite, inquit Paulus, ante tempus iudicare, quoaduſq; veniat dominus, qui manifeſtabit conſilia cordium, & illuminabit abſcondita tenebrarum. Si quis autem de huiuſmodi occultis iudicare contenderit, illum tanquam propriæ diuinæ iuriſdictionis vſurpatorem, Deo iniuriam facere teſtatur Ambroſius, qui prædicta Pauli verba interpretans, ait. Monet illos ne iudicent, cùm iudicandi ſint, & habeant duplex peccatum, ſicut

1. Cor. 4.

Ambroſ.

Matt.7. ait Dominus. Nolite iudicare vt non iudicemini, ſed exC pectate diem iudicij, ac ſi fideles & boni ſint. Iniuria enim iudicis eſt, ſi ante cognitionem eius, à ſeruo procedat iudicium aut ſententia. Hæc Ambroſius. Huic ſententiæ *Matt.13.* maximè fauet illa Chriſti ſaluatoris noſtri parabola de malo ſemine, quod inimicus homo ſuper bonum ſemen ſeminauit, quod dum miniſtri colligere vellent, & ad hoc faciendum licentiam à patrefamiliâs peterent, idem paterfamiliâs reſpondit illis, ſic dicens. Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul & triticum: ſinite vtraque creſcere vſque ad meſſem. Sed quare ille paterfamiliâs prohibuit ne eradicarent zizania? Quia illi non poterant ante meſſem diſtinguere inter triticum & zizania, & metuit ne per ignorantiam triticum pro zizania eradicarent. Et idem prorſus faciendum eſt in punitione peccatorum occultorum, quæ vſque ad diem iudicij differenda ſunt, & Deo relinquenda ab illo punienda, ne dum homines illa punire volunt, bonum pro malo puniant. Et hoc ipſum apertè docet Hieronymus, qui in commẽtariis ſuper Matthæum prædictam Chriſti parabolam inter*Hieronymus.* pretans, ait. Inter triticum & zizania, quod nos appella- D mus lolium, quamdiu herba eſt, & nondum culmus venit ad ſpicam, grandis ſimilitudo eſt: & in diſcernendo, aut nulla, aut perdifficilis eſt diſtantia. Præmonet ergo Dominus, ne vbi quid ambiguum eſt, citò ſententiam proferamus, vt cùm dies iudicij venerit, ille non ſuſpitionem criminis, ſed manifeſtum reatum de ſanctorum cœtu eiiciat. Hæc Hieronymus. Si ille, de quo ſola habetur ſuſpitio (vt Hieronymus ait) non eſt ab Eccleſia puniendus, multò minus puniri debet ille, cuius peccatum eſt tam occultum, vt nulla meritò poſſit de illo haberi ſuſpitio, qualis eſt hæreſis in corde latens, quæ nullatenus ſe aliquo exteriori ſigno foris manifeſtauit. Si autẽ illa aliquo modo foris prodiit, vt puta ſi hæreticus ſecum tacitè ſine vllo teſte illam loquatur, aut ſcribat, tunc propter illam erit eo ipſo ſine dubio excommunicatus. Quia licet talis hæreſis ſit occulta, non tamen ex ſe & ex natura ſua eſt occulta; ſed ſolùm per accidens propter defectum teſtium: quia ſi teſtes adeſſent, optimè illam videre potuiſſent. Et licet hoc non ſit ſatis, vt quis poſſit à iudice damnari, eſt

tamen

A tamen ſatis, vt poſsit damnari à iure. Quia ius non requirit proceſſum & teſtium relationem, quemadmodum iudex, vt pœnam infligere poſsit. Sed opus eſt vt reſpondeamus gloſſæ in Clementina j. §. Verum, de hæreticis, quæ aſſerens hæreticum mentalem eſſe ipſo iure excommunicatum, profert ad huius ſententiæ probationem capit. Excommunicamus, §. Credentes, de hæreticis, quo loco credentes hæreticorum decernuntur excommunicationi ſubiacere. Ex quo videtur colligi pœnam eſſe à iure inflictam, propter peccatum in mente occultum, quia talis credulitas qua illi hæreticis credunt, intra cordis ſecreta occultatur. Sed gloſſa ex textu illius capituli arguens maximè fallitur, quia credentes qui in illo capitulo excommunicatione ligantur, non ſunt illi qui in corde ſuo occultant fidem quam hæreticis præbent, ſed illi qui verbo, aut ſcripto, aut alio quouis exteriori ſigno oſtendunt ſe hæreticis fidem præbere, & bonam de illis habere exiſtimationem. Nam (vt libro primo de iuſta hæreticorum punitione capit. xvij. me dixiſſe memini) neceſſa-

B rium eſt credulitatem ſuam aliquo exteriori ſigno declarare, vt aliqui dicantur credentes hæreticorum. Quod de hæretico mentali diximus, idem & ſub eadem ratione de ſimoniaco mentali dicere oportet, ita vt iſte non ſit alicui pœnæ eccleſiaſticæ ſubiectus, ſicut nec hæreticus. Hactenus de crimine ex ſe & ſua natura occulto, quale eſt illud quod intra cordis ſecretum retinetur, dixiſſe ſufficiat: nunc opus eſt, vt de alio per accidens occulto, quale eſt illud quod ex cordis latebris foras prodiit, ſed non habet teſtes quibus probari poſsit, dicere incipiamus. De hoc tamen non poſſumus certam aliquam & vniuerſalem proferre ſententiam, prout de alio occulto in præcedenti concluſione fecimus, ſed oportebit iuxta varietatẽ pœnarum varias de illo dicere ſententias, quæ per ſingulas concluſiones ſuo ordine ſigillatim declarabuntur.

Secunda concluſio principalis. Quicunque commiſit crimen aliquod, propter quod eſt ipſo iure impoſita excommunicatio, incidit in excommunicationem illam etiam ſi crimen ſit omnino occultum per accidens, hoc eſt, carens teſtibus quibus poſsit probari. Hæc concluſio probatur per capit. Porrò, de ſententia excommunicationis,

& per capit. Clericis, de immunitate eccleſiarum, libro C
vj. & in extrauaganti. Cum deteſtabile, de ſimonia. Forte aliquis dicet in nullo iſtorum capitulorum, quæ nunc proximè citauimus, regulam generarem dari, quæ dicat eum qui crimen occultum commiſit, incurrere ſententiam excommunicationis à iure latam, perinde ac ſi illud idem publicè commiſiſſet: ſed ſolùm caſus aliquos particulares illic exprimi, in quibus excommunicatio contra crimina occulta infertur à iure. At, ex particularibus illis ſententiis (vt ego ſæpe aliâs dixi) colligere ſententiam generalem, peſsima eſt conſequentia. Fateor quidem, vt obiicitur, malam eſſe conſequentiam, quæ ex particulari infert vniuerſale, ſed ego impræſentiarum non ſic argumentor, nec ad hunc finem illa capitula citaui, vt ex illorum teſtimonio regulam generalem colligerem: ſed protuli illa in exemplum, vt illorum teſtimonio probarem ita in particularibus illis exemplis contingere, quod concluſio mea vniuerſaliter aſſeruit. Sed dices. Quomodo igitur probabis tuam illam vniuerſalem concluſionem, cùm nullus ſit textus in iure canonico expreſſus, qui ita vniuerſaliter definiat? Reſpondeo quòd licet textus expreſſus deſit, non tamen deeſt ratio aperta D
& manifeſta, quæ ita dicere cogat. Ratio autem iſta pendet ex conditione & qualitate ſententiæ à iure latæ, quæ longè alia eſt à conditione ſententię ferendæ à iudice. Sententia à iure in genere lata nũquam eſt ſuper peccato præterito & iam commiſſo, ſed ſuper peccato futuro quod committendum fore timetur, & timore pœnæ caueri ſperatur. Sententia verò ab homine lata contrariam habet conditionem: quia nunquam eſt de peccato futuro, ſed ſemper de peccato præterito & verè commiſſo. Et hinc euenit alia inter hæc duo diuerſitas: quia ſententia à iure lata non requirit proceſſum, nec vllam cauſæ cognitionem, vt ſententia ipſa ſuum ſequatur effectum: ſed ſolùm requirit crimen eſſe perpetratum: & eo ipſo ſine vlteriori cognitione eſt ſententia ſuper illud à iure lata. Sententia hominis, vt iuſta ſit, requirit proceſſum & cauſæ cognitionem, quia debet iudicare ſecundum allegata & probata: Si ſententia à iure lata non requirit proceſſum nec cauſæ cognitionem, ſed ſolam delicti perpetratio

A petrationem conſummatam, ergo quotieſcunque fuerit perpetratum crimen, propter quod eſt excommunicatio à iure lata, toties illius criminis perpetrator erit eo ipſo excommunicatus, quamuis illius crimē ſit occultum. Conſequentia iſta eſt manifeſta, quia per hoc quod crimen eſt occultum, non tollitur quòd verè ſit crimen, aut quod verè ſit perpetratum: & inde neceſſario ſequitur, vt nihil illius perpetratori deſit ad ſententiam excommunicationis ſuſtinẽdam. Contra hanc rationem argui poteſt, quòd ſi illa eſſet efficax, ſequeretur inde nunquam ſententiam excommunicationis poſſe ab homine dari contra peccatorem occultum: quia cùm ille ſit occultus, non poterit iudex contra illũ via iuris procedere, nec crimen illius poterit per teſtes probari. Falſitas autem huius conſequentis probatur per cap. Quidam maligni ſpiritus. v. quæſtione j. vbi beatus Gregorius priuat communione corporis & ſanguinis quendam, qui libellum famoſum contra Caſtorium eius notarium nocturno ſilentio in publico ciuitatis loco poſuit, & ſi illud percipere attentaſſet, anathematis vltione percuſſit. Antequam ad hoc argumentum B reſpondeam, prænotare oportet dupliciter contingere poſſe peccatorem aliquem eſſe occultum. Poteſt quidem eſſe vt peccator ſit occultus, ſimul & crimẽ eius: ita vt non ſolùm ignoretur patrator criminis, ſed crimen ipſum. Alio modo poteſt peccator eſſe occultus, ita vt crimen ſit manifeſtum, ſed ignoretur quis ſit illius criminis author. Si primo modo peccator ſit occultus, vt non ſolùm ſit occultum illum fuiſſe criminis authorem, ſed etiam crimen eſſe perpetratum: tunc non poterit iudex ſententiam excommunicationis contra illum vllo modo dare. Ratio enim naturalis cogit, vt iudex non poſſit excommunicare illum, quem penitus ignorat crimen aliquod commiſiſſe. Nam (vt conſtat ex illo ordine quem ad excommunicationem ferendam ſeruandum eſſe, Saluator noſter ſtatuit) non poteſt iudex aliquem excommunicare, niſi pro peccato mortali, & trina monitione præmiſſa. At, is qui ſic omnino occultus eſt, non poteſt ab homine de peccato ſuo moneri, ergo nec propter illud ab homine excommunicari. De huiuſmodi enim ſolis occultis intelligendum eſt cap. Erubeſcant. xxxij. diſtinctione, & capit. Con-

ſuluiſti. ij.quæſt. v. & capit. Si omnia,vj. quæſt.j. & capit. C
Chriſtiana,xxxij.q.v.& cap.Sicut tuis,& capit.Tua nos, de ſimonia, & reliqui omnes textus, qui dicunt occulta ſoli Deo ſeruari ab illo iudicanda. Si verò ſermo nunc fiat de peccatore ſecundo modo occulto, cuius crimen eſt manifeſtum, ſed neſcitur quis ſit patrator illius, dico illum bene poſſe ab homine excommunicari. Et hoc bene probatur per illud ſuprà citatum capit. Quidam maligni ſpiritus. Quia ille de quo in illo capitulo fit ſermo erat hoc ſecundo modo occultus, & non primo modo. Nam crimen ab illo perpetratum erat manifeſtum, quamuis ignorabatur quis eſſet illius criminis author. Et expreſsius probatur per capit. Si ſacerdos, de officio iudicis ordinarij. Et hinc (vt Abbas in hoc cap. ait) oriuntur excommunicationes illæ, quas quotidie à iudicibus inferri videmus propter furta, quorum ignorantur authores. Quia in talibus etſi criminum authores ſint in ſe occulti, ſunt tamen aliquomodo manifeſti in operibus ſuis, propterea quòd effectus aliquatenus manifeſtat ſuam cauſam, & propter hanc manifeſtationem poteſt iudex procedere contra reum, D
vt illum puniat. Sed cùm iudex hoc facere tentat, duo ſunt illi maximè neceſſaria, quorum alterum ipſam excommunicationem præcedere, alterum illam comitari debet. Antequam ſententiam excommunicationis iudex contra reum occultum ferat, opus eſt vt prius illum in genere moneat, ſic dicendo. Quicunque hoc aut illud crimen commiſit, abſtineat: & ſi damnum intulit, ſatisfaciat, alioquin excommunicabitur. Et hoc annotauit gloſſa in illo cap. Quidam maligni ſpiritus, ſic dicens. Nonne debuit admonitio præcedere excommunicationem, vt xij. quæſt.ij.indigne? Sed fortè hic præceſsit: & quia illud tempus hîc non adiicitur, vſq; ad quod tempus teneatur exire, ſtatim tenetur exire: quod ſi non fecerit, ex quo eſt in mora, ſtatim incidit in excommunicationem. Hæc in gloſſa. Sed ſi bene litera illius cap. inſpiciatur, facilè ex illa conſtare poterit, quòd licet nulla præceſſerit monitio, antequam Papa illum priuaret communione corporis & ſanguinis domini, tamen præceſsit monitio antequam illum anathematis vltione percuteret. Alterum quod requiritur in ipſa excommunicatione eſt, vt illum in genere & non nominatim

tim

A tim excommunicet. Quia ſi ipſe iudex ſolus ſciret Petrum aliis occultum eſſe furti manifeſti authorem, & dominus rei peteret à iudice, vt excommunicationis ſentẽtiam contra furem daret, poterit illam in genere & ſuppreſſo nomine furis pronunciare, ſed non nominatim illum publicando. Et hoc expreſsè definitur in illo cap. Si ſacerdos, de officio iudicis ordinarij, vbi Papa ad huius ſententiæ confirmationem adducit exemplum de Iuda, quem Chriſtus à communione nominatim repellere noluit, quamuis ſciebat illum eſſe proditorem: ſed illum in genere ſuppreſſo nomine admonuit dicens. Vnus veſtrũ me traditurus eſt.

Circa iſtos ſic occultè excõmunicatos ſiue ſint à iure, ſiue ab homine excommunicati, duo per occaſionem annotare decreui. Primum eſt, quòd ille qui ſic eſt occultè excõmunicatus tenetur vitare alios, quãuis alij non teneantur vitare illum. Alij quidẽ non tenẽtur vitare excõmunicatum à iure vel ab homine, antequã nominatim per ſententiam contra illum datam ſit excommunicatus, niſi illum tantum, qui pro ſacrilega manuum iniectione in clericum in ſententiam à canone latam adeò notoriè incidit, vt factum non poſsit aliqua tergiuerſatione celari, nec aliquo B iuris ſuffragio excuſari. Nam Martinus quintus in extrauagante, ad euitanda ſcandala, quã Conſtantiæ edidit, hac benignitate vſus eſt, vt citra culpã aliquã liceret omnibus & vbicunque locorum cum excommunicatis à iure vel ab homine in omnibus & per omnia communicare, donec eſſet per publicam ſententiam nominatim declaratus, & nullum caſum excepit præter illũ de iniectione manuum violẽta in clericũ. Sed hinc non licet inferre, vt ipſe excommunicatus, quãuis occultus ſit, non teneatur vitare alios: quia magis (vt dicitur in c. Illud, de cle. excom. miniſ.) obligatur excommunicatus ad vitandum alios, quàm alij ad vitãdum illũ. Nam ipſe excõmunicatus propter proprium delictum, & in pœnam illius obligatur ad vitãdum alios. Alij verò non in pœnam ſui delicti, ſed in pœnam ipſius excommunicati tenentur vitare illum. Et inde ſequitur, vt magis peccet ipſe excõmunicatus communicando aliis, quàm alij communicando illi. Hanc tamen ſententiam de obligatione occulti excommunicati ad ſe ſubtrahendum à communione aliorum, hac conditione intelligendam

eſſe

eſſe volo, ſi ille ſine ſcãdalo, & ſine ſui proditione ſe ab alio C rum communicatione ſubtrahere poſsit. Quoniam ſi abſque peccati ſui, aut ſuę excõmunicationis manifeſtatione id facere non poſsit, credo quòd non obligatur à tali cõmunicatione abſtinere: quia ſic abſtinendo ſeipſum proderet, quod nemo facere tenetur, niſi quando talis ſui peccati reuelatio eſſet neceſſaria ad faciendam reſtitutionem famæ, quam aliquis iniuſtè alteri abſtulit, prout contingit in caſu illius cap. Quidam maligni ſpiritus. v. q. j. Nam in caſu illo, quia fama, quæ per libellum famoſum ablata fuerat, non poterat plenè reſtitui, niſi is, qui libellum iactauerat, ſe ipſum publicaſſet, & de mendacio contra alium iactato publicè accuſaſſet, ideo papa Gregorius, cuius eſt textus ille, præcepit illi, qui libellũ famoſum iactauit, vt bublicè peccatum ſuum confiteretur, quod ſi non feciſſet, eo ipſo eſſet priuatus cõmunione corporis & ſanguinis domini. Si enim talis reuelatio propriæ perſonæ non eſſet neceſſaria ad alienæ famæ iniuſtè ablatæ reſtitutionẽ faciendam, nunquã etiam papa præcipiẽte ſe prodere deberet, quamuis (vt gloſſa malè textum illum intelligens ait) crimẽ eſſet manifeſtũ. Nã gloſſa illic dicit hoc eſſe ſpeciale in illius criminis deteſtationem, aut ideo ſic præceptum D eſſe vt ſe publicaret, quia crimen erat manifeſtũ, quamuis author illius eſſet occultus. Sed neque fuit ſpeciale ob ſolam criminis deteſtationem, neque ideo præceptum fuit, quia crimen erat manifeſtum, ſed iuſtè & neceſſariò ſic præceptum eſt, imò quamuis illi non præciperetur, ipſe erat obligatus ad ſe publicandum: quia non poterat famã, quam iniuſtè abſtulit, reſtituere, niſi ſe publicando. Nam ſi id per ſcripturam ſuo nomine ſine teſtibus ſubſcriptam, facere vellet, ſcribens in ea ſe eſſe illius libelli authorem, & mentitum eſſe in illo, non plenè ſatisfaceret famæ, quã iniuſtè abſtulit. Quia meritò quiſque ſuſpicari poſſet illam ſcripturam eſſe ab infamato aut ab amicis illius confictã, vt vel ſic famæ ſuæ cõſuleret. Oportebat igitur ſe prodere, vt famæ, quam abſtulit, plenè ſatisfacere poſſet: & ideo papa illud præcepit, quia aliter ille ſatisfacere non poterat.

Alterum, quod circa occultè excommunicatos mihi videtur annotatione dignum, eſt, quòd licet excommunicatus ſit eo ipſo ab omni exercitio actuum legitimorum

ſuſp

A ſuſpenſus, quales ſunt, iudicare, teſtificari, accuſare, eligere, electum eſſe, & reliqui alij ſimiles: tamen ſi eſt occultè excommunicatus, ita vt publicè ab omnibus reputetur pro non excommunicato, quidquid in exercitio taliũ actuum legitimorum fecerit, valet, etiam ſi poſtea manifeſtetur illum fuiſſe excommunicatum, quando illud fecit. Hanc ſententiã docet Richardus in iiij. ſent. diſt. xviij. art. vij. q. j. in reſponſione ad ſecundum principale argumẽtum. Et probat hanc ſuam ſententiam, primò authoritate cap. Exceptionem, de exceptionibus, & cap. Conſultationibus, de iure patronatus. Deinde addit rationem, dicens. Niſi ſic fieri oporteret, multa orirentur quotidie animarum pericula, quibus nullus mederi poſſet. Nam ſæpe contingit, vt quis recipiat beneficium ab occultè excommunicato, & ſi talis collatio beneficij non eſſet valida, nec ille audire poſſet confeſsiones ſubditorum, quia non eſſent illi ſubiti: nec poſſet fructus beneficij percipere. Et in multis aliis caſibus multa alia ſimilia aut maiora prouenirent animarum pericula. Gloſſa in cap. Ad probandum, de ſententia & re iudicata, huic etiam fauet ſententiæ, dicens quòd quia communi opinione liber & abſolutus habetur & creditur, quidquid interim facit, valet. Et pro hac ſententia citat l. Barbarius. ff. de officio præſidis, & l. primam. C. de teſtamentis. Addit inſuper vnum in ſpeciali Richardus dicens, quòd ſi latenter excommunicatus alicui electioni intereſſet, & poſtea ante electi confirmationem detegeretur eius excommunicatio, quamuis propter hoc non irritaretur electio, ſi electus illo ſecluſo habebat ſufficientem ſuffragiorum aut votorum numerum, tamen ſuffragium illius reputaretur nullum. Et ideo ſi votũ aut ſuffragium illius erat neceſſarium ad complendum ſufficientem numerum, illius electio erit inualida propter illius defectum. Si tamen poſt electionis confirmationem detegeretur cuiuſcunque eligentis excommunicatio, nihil obſtaret electioni. Panormitanus tamen in cap. Veritatis, de dolo & contumacia, diſtinguit inter ipſos actus: quia quidam eorum (vt ait) geruntur authoritate publici officij, vt iudicare, tabellionatus officium, aut procurationem exercere. De iſtis dicit generaliter verum eſſe, quòd tales facti per excommunicatum occultum ſemper

Richardus

Panormita.

B (margin letter at "tentiæ, dicens")

ſemper valent, ſiue illi actus ſint ciuiles, ſiue ſpirituales. C
Valent inſtrumenta confecta per occultè excommunicatum, valet electio facta per eum, valet ſententia illius, valet collatio baptiſmi, & ordinis ſacri. Sed circa actus ciuiles hoc ſpecialiter annotat, quòd ſi is, in cuius fauorem ſunt facti, erat conſcius de illa excommunicatione occulta, erunt omnes illi actus retractandi. Neque his obſtat quod papa dicit in cap. Veritatis, de dolo & contumacia, vbi definit alienationem rerum eccleſiaſticarum, factam ab epiſcopo excommunicato, eſſe nullam: quia ille epiſcopus, de quo papa in illo cap. talem protulit ſententiam, erat publicè excommunicatus, & ideo alienatio rerum eccleſiaſticarum per illum facta, ipſo iure erat nulla: ſi tamen ille fuiſſet occultè excommunicatus, valuiſſet illa alienatio, & quidquid aliud ſimile per illum geſtum fuiſſet. Sed eſt dubitatio de illo qui recepit ordines ſacros ab occultè excommunicato, an poſsit actus illius ordinis ſine diſpenſatione exercere, poſtquam ſibi conſtiterit epiſcopum, à quo ordines recepit, fuiſſe tunc excommunicatum. De hac re non inter omnes iuriſperitos conuenit. Nam gloſſa in cap. Ab excommunicatis. ix. D
quæſt. j. dicit quòd ille, etſi recipit ordinem, non tamen ordinis executionem. Innocentius tamen in cap. primo, de ſchiſmaticis, dicit, quòd non ſolùm recipit ſacramentum, ſed ſacramenti executionem, ſi ille, à quo recepit, erat occultè excommunicatus, aut hæreticus: ſed ab eccleſia toleratus.

Et certè hæc opinio mihi magis placet, quia ſicut in collatione ſacramenti non attenditur malitia miniſtri, ſed potentia Dei, qui per malum miniſtrum confert ſacramentum: ita in collatione executionis ſacramenti non attenditur malitia miniſtri, qui non habet executionem, ſed attenditur potentia Eccleſiæ, quæ ſacramenti ſic ſuſcepti executionem concedere poteſt. Nam in collatione ſacramenti ſacerdos aut epiſcopus eſt ſolùm miniſter, & Deus eſt, qui illud ſacramentum confert, prout Ioannes Baptiſta de Chriſto loquens, dixit. Qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit. Super quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto.

A ctо. Ad hunc modum in collatione executionis ordinis Eccleſia eſt, quæ dat executionem, & epiſcopus eſt illius miniſter. Quandiu ergo Eccleſia miniſtrum illum tolerat, tandiu per manus illius videtur concedere ordinis executionem. Omnia autem iura, quæ dicunt ordinatos ab excõmunicatis, non recipere ordinis executionem, interpretenda ſunt de publicè excommunicatis, qui ab Eccleſia non tolerantur.

Alij ſunt actus ciuiles, qui non geruntur authoritate publica, ſed priuata: vt ſunt, emere, vendere, contrahere. Et de iſtis refert Panormitanus duas opiniones. Alterã Innocentij, dicentis omnes illos actus valere in occultè excommunicato, ſi non ſunt ſpirituales, ſed ſi ſunt ſpirituales, vt electio, dicit non valere. Alteram opinionem refert, quæ eſt Hoſtienſis, dicentem nunquam actus illos, ab occultè excommunicato geſtos, valere, quando vergunt in commodũ ipſius excommunicati: ſed ſi cedunt in cõmodum alterius non excommunicati dicit eos valere. Vt ſi contractus emptionis & venditionis fiat inter occultè excommunicatũ, & non excõmunicatum, non valebit cõtractus, ſi ille cedit in B lucrum excõmunicati: ſed ſi ex illo contractu lucratur non excommunicatus, dicit valere contractum. Et hanc ſuam opinionem confirmare nititur Hoſtienſis multis rationibus & authoritatibus: ſed eas omnes ſoluit Abbas in dicto cap. Veritatis, de dolo & contumacia, vbi pro viribus tuetur opinionem Innocentij. Mihi etiã multò magis placet opinio Innocentij, quàm Hoſtienſis, ſed magis placet ſententia Richardi, qui (vt ſuprà retuli) generaliter & indiſtinctè de omnibus actibus ab occultè excõmunicato geſtis, ſiue ſint ciuiles, ſiue ſpirituales, dicit illos omnes valere, etiã ſi poſtea detegatur illius excõmunicatio. Nam de electione in ſpeciali dicit eſſe validam, ſi confirmatio illius electionis fiat, dum eſt occulta eligentis excommunicatio.

Tertia principalis concluſio. Quicunque commiſit crimen aliquod, propter quod eſt à iure decreta pœna ſuſpenſionis, aut depoſitionis, aut irregularitatis, eſt liber ab omni tali pœna, ſi crimen illius eſt omnino per accidens occultum. Hæc concluſio ſic generaliter prolata conceditur à multis iuriſperitis: ſed gloſ. in cap. vltimo, de temporibus ordinat

ordinat

ordinationum,excipit ab illa irregularitatem ex homicidio contractam:quia homicida,quantumlibet occultus,(vt illa ait)miniſtrare non poteſt, etiam poſt peractam pœnitentiam. Et hanc ſuam ſententiam probare nititur per cap. vltimum,de temporibus ordinationum,& per cap.Inquiſitionis,de accuſationibus. Et gloſſæ conſentit Summa Syluestrina in titulo,Homicidium.iij.q.viij. Summa Angelica citat quendam Vincentium dicentem, quòd ſi homicidium eſt omnino occultum,& egit pœnitentiam,miniſtrare poteſt in ordine ſuſcepto, & promoueri ad alium ſuperiorem ſine diſpenſatione. Quia(vt ait)eccleſię non eſt obnoxius,cùm peccatum illus ſit occultum, vt dicitur in cap. Chriſtiana.xxxij.q.v.nec tenetur Deo,quia iam illi per pœnitentiā ſatisfecit. Huic Vincentij opinioni (vt eadē Summa Angelica refert)conſentiunt alij duo,videlicet Ioan.& Laud.hoc tantum addentes, quòd diſpenſatio epiſcopi ſit neceſſaria, quamuis papæ diſpenſatio non requiratur. Et eandē opinionem tuetur Abbas in cap. Ex tenore, de temporibus ordinationū,ſed in ſuæ opinionis declaratione eſt aliquantum obſcurus. Dicit enim,quòd ſi crimē homicidij eſt omnino occultum,vt diſtinguitur contra probabile, id eſt,ſic occultū,vt nullatenus poſsit legitimè probari, tunc ſi habeatur reſpectus ad legem promotionis publicā, non eſt opus aliqua diſpenſatione, vt promoueatur ad ordines ſacros,& in ſuſceptis miniſtret. Si verò reſpiciamus legem conſcientiæ informatam ex lege poſitiua,tunc dicit neceſſariam eſſe diſpenſationem, non tamen declarat quis poſſit talem diſpenſationem dare,an epiſcopus,an ſolus papa. Summa Angelica in titulo,Homicidiū quinto, quæſtione prima,declarat ſententiā Abbatis eſſe intelligendā de diſpenſatione epiſcopi,ita vt illa ſola ſufficiat vt homicida omnino occultus, quamuis voluntarius poſsit in ſuſceptis ordinibus miniſtrare,& ad ſuperiores promoueri. Et reddit cauſam ipſa Summa Angelica,quare hęc epiſcopi diſpēſatio ſit neceſſaria,ſic dicēs. Ne quis cōſtituat ſe iudicem in cauſa propria,exiſtimādo omnino occultū,quod forte non eſt. Sed in verbis Abbatis eſt vnū difficile intellectu,videlicet quid ille appellet legē cōſcientię informatā lege poſitiua. In principio illius cap. Ex tenore, dicit legē conſciētiæ informari aliquando à lege diuina, aliquando à lege poſitiua.

A ſitiua. Ex quibus verbis videtur colligi illum ponere tertiam quandam legem, videlicet legem conſcientiæ diſtinctam à lege diuina, & à lege humana, quam ſolam ille appellat poſitiuam. Deinde, legem ipſam poſitiuam diſtinguit in duas partes, quarum vna informat (vt ille loquitur) conſcientiam, altera publicum iudicium. Itaque legem conſcientiæ informatam lege poſitiua ille dixit, pro eo quòd nos Theologi aliis verbis clarioribus dicere ſolemus, legem humanam, quatenus reſpicit forum conſcientiæ. Eſt ergo ſententia Abbatis, quòd ſi homicida occultus agat in foro iudiciali petendo promoueri ad ordines, aut miniſtrare in ſuſceptis, non indiget diſpenſatione, vt alterum horum iuridicè petere poſsit: quia licèt diſpenſatione careat, nõ poterit illi petitio denegari. Sed licet non poſsit in foro iudiciali repelli, quia occultum eſt crimen illius, ille tamen, quia optimè agnoſcit crimen ſuum, in foro conſcientiæ ſine diſpenſatione epiſcopali aliquod illorum agens, peccat. Et hanc Abbatis opinionem, quæ (vt dixi) eſt etiam Vincentij, & Ioan. & Laud. amplectitur Summa Angelica, & dicit illam eſſe

B notatu dignam. In hac controuerſia fateor me diu fuiſſe dubium, & neſciſſe in quam me verterem partem, propterea quòd quælibet illarum multos & doctos habet tutores, qui illam multis teſtimoniis ex iure canonico ſumptis probare contendunt. Sed poſtquam rem ipſam diligenter perſcrutatus ſum, & textus ex vtraque parte pro ſe oblatos accuratius inſpexi, non probare hanc Abbatis & aliorum eiuſdem factionis ſententiam, propterea quòd plures & fortiores mihi videntur eſſe pro illa quàm pro alia rationes. Nam in illo cap. Ex tenore, de temporibus ordinationum, quęſtio eſt de illo qui peccatum aliquod occultum tam graue commiſit, quod ſi publicum eſſet, degradaretur ab ordine, quem ſuſcepit, & amplius non poſſet ad ſuperiores ordines promoueri. Et nullum exprimitur in quæſtione peccatum, ſed omne in confuſo proponitur peccatum ſub prædicta circunſtantia veſtitum. Huic quæſtioni papa reſpondet, mandans vt illius peccati perpetratori condigna pœnitentia imponatur, & ſuadeatur illi vt parte pœnitentiæ peracta, ordine ſuſcepto vtatur, quo contentus exiſtens, ad ſuperiores amplius non aſcendat. Verum tamen

quia peccatum erat occultum, præcepit papa, vt ſi promoueri voluiſſet, nulla ratione prohiberetur. Et in hac reſponſione papa non excepit homcidium, ſed ſicut quæſtio de crimine in conſulo prædicta circunſtantia veſtito ſine vlla expreſsione quæſiuit, ita etiam papa de omni crimine talem circunſtantiam habente, ſine vlla exceptione reſpondit. At ſi homicida excipiendus eſſet, papa illum expreſſè excepiſſet, prout aliàs illum feciſſe oſtendemus. Vbi igitur lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, prout dicitur in capit. Solitæ. §. Notandum, de maioritate & obedientia, & l. Imperator, ff. de poſtulando. Præterea, etſi illius capituli litera eſſet dubia, illam tamen deberemus iuxta benigniorem ſenſum interpretari, vt dicitur in regula, In pœnis, de regulis iuris, lib. ſexto. Conſtat autem benigniorem eſſe illius capituli interpretationem, ſi dicamus etiam homicidium perinde ac reliqua crimina in illo comprehendi, & homicidium non eſſe ab illa vniuerſali definitione exceptum. Oportet igitur literam illius capitul. ita interpretari, vt ab illius definitione nõ excludamus homicidium. Rurſum, multi ſunt textus in iure canonico, qui apertiſsimè docent Eccleſiam de occultis criminibus non capere vindictam, vt in cap. Sicut tuis, & in cap. Tua nos, de ſimonia, & cap. Chriſtiana. xij. q. v. At ſi homicida omnino occultus eo ipſo incideret in ſuſpenſionem & irregularitatem, iam Eccleſia caperet de crimine omnino occulto vindictam. Deinde, quod hanc noſtram opinionem fortiſsimè cõfirmat, eſt, quòd nullus eſt in toto iure canonico textus, qui homicidam omnino occultum excipiat ab ea lege & conditione, quam reliqua crimina ſuſpenſioni & irregularitati obnoxià tenent. Ergo ſicut alia, quæ ſunt omnino occulta, ſunt libera ab omni ſuſpenſione, & irregularitate, ita oportet vt etiã homicidiũ, quũ fuerit omnino occultũ, ſit liberũ ab omni ſuſpẽſione, & irregularitate. Nã c. Inquiſitionis, de accuſ. quòd gl. & alij, qui contrariã tuentur opinionẽ, pro ſe citant, nullo modo illis fauet, quoniã in illo c. (vt ex illius litera apertiſsimè conſtat) nõ ſit ſermo de crimine omnino occulto, ſed de crimine penè occulto, prout eſt illud, quod licet poſsit aliquibus paucis teſtibus comprobari, nondum tamen fuit deductum ad

publi

A publicum iudicium. Nam quæſtio, quæ in illo capitulo proponitur papæ ab illo definienda, eſt ſolùm de crimine per ſecretam inquiſitionem probato, de quo ſi quis fuiſſet in iudicio accuſatus & conuictus, deponeretur propter illud. Et huic quæſtioni reſpondet papa, in homicidio, & ſimonia, & aliis ſimilibus, ſi quæ fortè alia ſunt, quæ ordinis executionem ſuſcepti, aut retentionem beneficij poſt peractam pœnitentiam impedirent, eſſe id faciendum per viam inquiſitionis, quod fieret, ſi per viam accuſationis procederetur. Sed quod per viam inquiſitionis probatum eſt, iam non eſt omnino occultum, vt nunc de occulto loquimur. Et inde conſtat longè aliud eſſe negotium quod in illo capit. definitum eſt, ab illo, quod nunc impræſentiarum tractamus. Si homicidium eſt non omnino, ſed penè occultum, fateor illud non excuſari à ſuſpenſione aut irregularitate. Et hoc eſt aliquid non parum, in quo homicidium & ſimonia reliqua crimina excedunt: quia reliqua omnia crimina, quamuis non ſint omnino ſed ſolùm penè occulta, excuſantur à ſuſpenſione & irregularitate. Et hæc ſola eſt intentio illius capit. Inquiſitionis, quæ longè alia eſt ab intetione noſtræ præſentis diſputationis, in qua [illegible] de peccato omnino occulto diſſerimus. Profert adhuc alia opinio pro ſe cap. Quæſitum, de temporibus ordinationum, ſed hoc non magis probat quàm capit. Inquiſitionis, de quo nunc diſſeruimus. Nam etiã in illo cap. papa diſſerit ſolùm de illis criminibus, quæ ſunt penè occulta, id eſt, quæ non ſunt ordine iudiciario comprobata, vel aliàs notoria non ſunt: & de iſtis definit quòd non debent impedire illorum authores, ne poſt pœnitentiam in iam ſuſceptis vel ſuſcipiendis ordinibus miniſtrent. Ab hac ſententia excipit ſolos reos homicidij, & ita videtur hęc decretalis aliquid magis cõcedere, quã illa, quæ eſt in illo citato capit. Inquiſitionis. Quia illa excipit etiam ſimoniã perinde ac homicidiũ: hæc autẽ, quę ponitur in cap. Quæſitum, ſolũ excipit homicidiũ. Et ita iſta, velut poſterior, videtur pro hac parte reuocare illã priorẽ. Nam illa, quæ eſt in capit. Inquiſitionis (vt ex illius inſcriptione cõſtat) fuit cõdita ab Innocẽtio papa huius nominis tertio: hęc autẽ, quę eſt in cap. Quæſitũ, fuit edita à Gregorio papa huius nominis nono, quẽ cõſtat eſſe Innocentio poſteriorẽ.

B

Eſt ergo ſolum homicidij crimen inter illa, quæ non ſunt C notoria, quod non excuſat illius authorem à ſuſpenſione & irregularitate. Sed hoc nihil obſtat noſtræ ſententiæ, quia nos dicimus crimen homicidij tunc ſolùm eſſe ab irregularitate excuſatum, quando fuerit omnino occultum.

Ex hac tertia concluſione infero, quòd ſi filius presbyteri ex matre coniugata genitus ſciat ſecretè per vtriuſque parentis relationem ſe non eſſe filium mariti matris ſuæ, ſed filium presbyteri, dummodo hoc ſit omnino occultum, poterit ſine vlla diſpenſatione ad ſacros ordines promoueri, & beneficium curam animarum habens recipere. Hoc corollarium probatur, quia ſi crimen occultum, propterea quòd occultum eſt, non inducit ſuſpenſionis aut irregularitatis pœnam in ipſo criminis authore, multò iuſtius eſt, vt illam non inducat in alio, qui non eſt particeps peccati. Præterea, cauſa propter quam crimen occultum non inducit irregularitatem eſt, ne propter hanc cauſam infametur peccator, qui erat occultus: ſed etiam diffamaretur, ſi pro filio eſſet petenda diſpenſatio, ac ſi pro ſe ipſo peti deberet: ergo ſicut ipſe excuſatur, propterea quòd crimen ſuum eſt occultum, ita etiam filius excuſabitur propterea quòd crimen parentum eſt oc[...]um, ne hac ratione aliquis illorum infametur. D

Iuxta ea, quæ in hac tertia concluſione principali diximus de authoribus criminum occultorum, quòd excuſantur ab irregularitatibus, in quas incidiſſent, ſi crimina publicè commiſiſſent, dicere etiam oportet, de violatione eccleſiæ, quæ indiget reconciliatione. Nam ſi crimen, per quod fuit violata eccleſia, eſt omnino occultum, non eſt opus eccleſiam reconciliare, ſed abſque reconciliatione poterunt in ea diuina celebrari myſteria, etiam ab eo, cui crimen aliis occultum fuit in ſecreto reuelatum. Hanc ſententiam docet doctor ſubtilis Scotus in iiij. ſent. diſt. xiij. q. ij. & poſt illum Ioannes Andræas in cap. vnico, de cõſecratione eccleſiæ, lib. vj. & gloſſa in eodem loco, quæ pro hac ſententia nihil aliud ex iure canonico affert, niſi quòd eccleſia nõ iudicat de occultis. Poteſt etiã hæc ſentẽtia probari ex ipſa ratione conſecrationis aut recõciliationis eccleſiæ. Nam eccleſia (vt docet ſanctus Thomas) non ideo conſecratur, quia illa ſit gratię ſuſceptiua: ſed quia ex ipſa cõſecratione

Scotus. Ioannes Andreas Tho. 3. p. q. 83. ar. 3.

A ſecratione aſſequitur quandam ſpiritualem virtutem, per quam apta redditur diuino cultui; vt videlicet homines deuotionem aliquam ex loci reuerentia concipiant, per quam paratiores fiant ad diuina peragenda. Duplici itaq; ratione (vt ille ait) templum materiale conſecratur. Prima eſt, vt per illam conſecrationem repræſentetur ſanctificatio, quam Eccleſia catholica toto orbe terrarum diffuſa conſequuta eſt per paſsionem Chriſti. Altera eſt, vt per illam oſtendatur quanta ſanctitas ſit neceſſaria; vt quis Deum in ſe dignè ſuſcipere debeat. Et idem dicendum eſt de reconciliatione eccleſiæ conſecratæ, quæ poſtquam ſanguinis, aut ſeminis humani effuſione, aut alio quouis modo violata fuerit; eſt iterum conſecranda, vt dicitur in capit. Eccleſiis, de conſecratione, diſtinct. prima. Talis enim reconciliatio aut conſecratio poſt violationem tam multo cæremoniarum apparatu ornata, nõ ideo fit, quia templum illud materiale ſit capax peccati, ſad ad hunc finem potiſsimum dirigitur; vt inde intelligat peccator, qui templum cordis ſui, quod iuxta Pauli doctrinã per peccatum violauit, quanta diligentia illud mundare & purificare debeat, B vt Deum in illo dignè ſuſcipere poſsit. Si talis eccleſiæ reconciliatio non propter ipſam fit, ſed propter ſolos peccatores erudiendos, vt inde diſcant ſe propter peccatum effectos eſſe Dei hoſpitio indignos: inde colligi videtur talem materialis templi reconciliationem non eſſe faciendam, quando peccatum fuerit occultum. Quia per illam reconciliationem non poſſunt peccatores doceri, quantum oporteat eos laborare ad mundandum corda ſua. Nam cùm peccatum ſit adeò occultum, vt manifeſtari non poſsit, non intelligetur talem reconciliationem in odium peccati fieri. Sed dubium eſſet, ſi crimen eſſet non omnino, ſed penè occultum, ita vt pauci ſcirent crimen eſſe commiſſum, & author illius non eſſet de crimine accuſatus, an tunc oporteret eccleſiã reconciliare. Ego credo quòd non, quia ſi crimina omnia præter homicidium; & ſimoniam, ſecundum aliquos, cùm ſunt non omnino, ſed penè occulta, excuſant (vt diximus) illorum authores ab omni ſuſpenſione & irregularitate, multò magis excuſabit templum materiale, quod nullum commiſit peccatum, nec eſt capax illius ab obligatione recõciliationis. Et poteſt probari per

. capit. Significaſti, de adulteriis, in quo eccleſia reconciliati præcipitur propter hoc, quòd mulier adultera publicè coram iudice ſuum adulterium detexit. Ex quo contrario ſenſu videtur ſequi, vt quando crimen non fuerit publicum, nō ſit opus reconciliatione. Publicum autem hoc loco idem eſt quod notorium. Sed nunquid, ſi poſt celebrationem miſſæ in tali eccleſia factam, publicaretur in iudicio crimen, & fieret notorium, quod ante miſſæ celebrationem fuerat occultum, oportebit tunc eccleſiam reconciliare? Credó quòd non: quia celebratio miſſę, quę poſt ſecretam violationem ſucceſsit, pro ſufficienti reconciliatione tūc erit reputanda. Nam cùm per miſſę celebrationē Deus ipſe corporaliter in eccleſia aſsiſtat, talis corporalis aſsiſtētia ſufficere mihi videtur ad omnem purgationem, & reconciliationem perficiendam. C

Quarta principalis concluſio. Quicunque commiſit aliquod crimen, propter quod eſt aliqua pœna ciuilis ipſo iure impoſita, etſi crimen ſit omnino occultum, non eſt liber ab illa pœna. Pœnam ciuilem hîc dico illam, quæ non eſt purè eccleſiaſtica, prout eſt excommunicatio, ſuſpenſio, depoſitio, irregularitas: neque eſt pœna corporalis. Pœnam ergo ciuilem appello illam ſolam, quæ eſt circa diuitias, aut laica officia, aut dignitates laicas. D

Circa hanc concluſionem ſic declaratam varia eſt doctorum ſententia. *Abbas.* Abbas in cap. Abſolutos, de hæreticis, citat Philippum quendam dicentem, tunc hæreticum occultum incidere in pœnam à iure impoſitam, quando illius hæreſis probari poteſt, quia tunc poteſt manifeſtari, licet actu non ſit manifeſtata. Poſt huius Philippi ſententiam *Ioannes Andræas* refert Abbas Ioannē Andrę̄am tenere eandē opinionē, hac tamen addita conditione, quòd proceſſum fuerit ad probationes: quia probatio (vt ait) facit delictū manifeſtū, vt in cap. Cùm olim, de verborum ſignificatione. Si tamen non eſſet proceſſum ad probationes, dicit illum non eſſe pœnæ ſubiectum. Hi duo, Philippus & Ioannes Andræas, in hac ſunt ſententia concordes, vt ſi delictum ſit omnino occultum, nō incidat in pœnā illius cap. Abſolutos. de hæreticis. Hanc ſententiā etiā docet Ioannes Gerſon in lectione tertia, de vita ſpirituali animę. *Gerſon.* Verùm hic nō videtur loqui de illo occulto, de quo nos impræſentiarum loquimur, ſed de

illo

A illo occulto, de quo in prima principali concluſione loquuti ſumus, quod videlicet intra cordis ſecreta latet. Eandem Ioannis Andreæ ſententiam tuetur Summa Angelica in titulo, Hæreticus.§.decimoquinto. Eidem fauet Summa Syluestrina in titulo, Hæreſis, prima quæſtione octaua. Abbas tamen in prædicto loco contrariam ſententiam docet, ſtatuens regulam generalem, quæ ſic ait. Pœna ipſo iure impoſita afficit delinquentem quantumcunq; occultum. Andreas Tiraquellus in commentariis ſuper l. Si vnquam, in verbo, Reuertatur. C. de reuocandis donationibus, eandem ſtatuit regulam generalem, & ad illius probationem citat Dominicum in capit. Perpetuo, verſu, ſuper dubio gloſſæ, de electione, libro ſexto. Hanc Abbatis ſententiam, quatenus ſolum hæreticum reſpicit, ego tutatus ſum in illo opere, quod de iuſta hæreticorum punitione edidi, libro ij. capit. ſeptimo. Nunc verò, quia non de ſolo crimine hęreſis, ſed de omni crimine occulto diſſero, illam vniuerſaliter ſtatuere decreui, dicens cũ Abbate pœnam ciuilem ipſo iure impoſitam afficere delinquentem, quamuis crimen illius ſit omnino & per accidens occultum. Tiraquel.

B Hæreticus igitur, & læſæ maieſtatis reus, & quiuis alius ſimilis criminis author, quãuis crimẽ illius ſit omnino occultum, eſt ipſo iure priuatus dominio bonorum ſuorum. Et poteſt hoc probari per capitulum, Accuſatus.§.In eo verò caſu, de hæreticis, lib.vj. vbi papa præcipit procedi ad confiſcationem bonorum hæretici, qui dum viueret, non fuerat per ſententiam declaratus. In quibus verbis id annotare oportet, quòd papa non præcipit, vt poſt mortem bona confiſcentur, ſed vt procedatur ad confiſcationem, per ſolam ſententiam criminis declaratiuam. Ex quo apertè conuincitur, bona illius, quando viuebat, & peccatum fuerat occultum, eſſe extunc confiſcata: quia aliàs poſt mortem illius quando peccatum fuit detectum, non ſatis eſſet ſententia criminis declaratiua, ſed oporteret illius bona per ſententiam à iudice latam publicare & confiſcare. Præterea, probatur hæc concluſio eadem ratione, qua ſuperius probauimus ſecundam concluſionem principalem, quæ de excommunicatione differit. Qui crimen aliquod occultum commiſit, & verè conſummauit, habet in ſe quidquid iure requiritur vt incidat in pœnã ipſo iure con-

tra illud crimen inflictam: ergo ille neceſſariò, tali lege ſtante, incidet in illam pœnam. Conſequentia iſta eſt notiſsima, & aſſumptum per hoc probatur, quòd ad executionem pœnæ à iure latæ non requiritur proceſſus, nec cognitio cauſæ: quia aliàs ſententia à iure lata nihil differret à ſententia per iudicem ferenda: ſed ſolùm requiritur vt crimen ſit conſummatum, & poſt criminis conſummationem ipſo iure infligitur pœna. Quando autem crimen eſt occultum, æquè poteſt eſſe conſummatum, ac ſi committeretur in publico: ergo tunc etiam incidet in pœnam illius criminis author, ac ſi peccaſſet in publico. Quia nihil aliud ad pœnam à iure inflictam (vt dixi) requiritur, niſi vera criminis conſummatio. Fortè illi qui dicunt ad executionem ſententiæ à iure latæ ſemper eſſe neceſſariam ſententiam criminis declaratiuam, reſpondebunt non ſatis eſſe quòd crimen ſit conſummatum, vt quis incidat in pœnam à iure inflictam, ſed requiri ſententiam declaratiuam criminis, qua data iam crimen erit notorium, & non occultum. Hæc tamen reſponſio nullatenus minuit huius noſtri argumenti vires. Quia licet iuxta illorum opinionem requiratur ſententia criminis declaratiua ad hoc vt fiſcus bona apprehendat, non tamen requiritur talis ſententia ad hoc vt hæreticus ſit priuatus dominio bonorum ſuorum. Quia omnes illi, præter ſolum Archidiaconum, fatentur hereticum à die commiſsi criminis eſſe priuatum dominio bonorum ſuorum, quãuis non ſit extunc priuatus poſſeſsione illorum. Ad ſolam igitur priuationem poſſeſſionis ſecundum illos, requiritur ſententia criminis declaratiua, & non ad priuationem domini. Si ad priuationem dominij non requiritur ſententia criminis declaratiua, ergo quando crimen hæreſis, aut læſæ maieſtatis, aut aliud ſimile fuerit occultum, author illius erit ipſo iure priuatus dominio bonorum ſuorum. Quia ad illam pœnam nulla requiritur criminis ſententia, aut cauſæ cognitio, ſed ſola criminis conſummatio, quæ etiam eſt in occulto, ſicut in publico. At, illa dominij priuatio eſt, quæ ipſo iure contra talia crimina infligitur, & non priuatio poſſeſsionis: quia hæc per iudicis ſententiam infligitur. Vera eſt ergo noſtra quarta principalis concluſio, quæ dicit omnem criminis occultè conſummati authorem incidere in pœnam à iure,

propter

A propter illud crimen inflictam. Si pœna eſſet à iudice inferenda, tunc manifeſtum eſt in illam non poſſe incidere peccatorem occultum, quia iudex debet iudicare ſecundum allegata & probata. Quando ergo iura dicunt Eccleſiam non iudicare de occultis, nec de illis vindictam ſumere, intelligenda ſunt de iudicio ab homine faciendo, quia ille antequam iudicet, requirit cauſæ cognitionem, quam non poteſt de criminibus occultis habere. At in iudicio aut ſententia iuris bene poteſt Eccleſia iudicare de occultis, quæ extra cordis ſecreta prodierunt, quia ad tale iudicium ferendum, nulla requiritur facti cognitio. Contra hæc omnia forte aliquis mihi obiiciet, quod ex probatione huius quartæ concluſionis deſtruitur tertia principalis concluſio, quæ liberat occulti criminis conſummatorem ab irregularitate & ſuſpenſione. Nam eodẽ modo arguet quòd ſuſpenſio aut irregularitas quæ eſt ipſo iure inflicta, non requirit proceſſum nec cauſæ cognitionem, ſed ſolùm crimen conſummatum, quòd cùm ita bene conſummetur in occulto ſicut in publico, ita bene cauſare oportebit irregularitatem ſi committatur in occulto ac ſi committeretur in publico.
B Fateor quidem & negare non poſſum, quod ſi argumento & ſola ratione, & non authoritate & decreto eſſet hæc res definienda, idem dicere oporteret de irregularitate, & ſuſpenſione, quod de excommunicatione in ſecunda concluſione principali diximus, & nunc in hac quarta principali concluſione de aliis ciuilibus pœnis aſſerimus. Sed iura per indulgentiam & benignitatem voluerunt hoc expreſsè permittere criminibus occultis, vt illorum authores à ſuſpenſione & irregularitate, quæ ex illis prouenire poſſent, eſſent liberi. Et quia hanc libertatem circa alias pœnas iura noluerunt criminibus occultis apertè concedere, oportet neceſſario iuxta iuris diſpoſitionem facere, quod in Clementina, Exiui de paradiſo, §. Porrò, ait. Vbi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expreſsè non conceditur, intelligitur denegatum. Hoc igitur loco ſicut in aliis multis verum eſſe probatur quod gloſſa dicit in regula, In pœnis, de regulis iuris, libro ſexto, In pœnis non valet argumentum ad ſimilia, quod potiſsimum veritatem habet in lege pœnali, quæ ſententiam continet latam. Et huic loco etiam ſeruit, id quod libro primo

cap.vij.me dixiſſe memini.In lege pœnali potiſsimum veritatem habere, id quod legiſlator dicere ſolet. Sic volo, ſic iubeo,ſit pro ratione voluntas. Nec tamen ideo hæc dixit,quòd ſine vlla ratione decretum eſſe credam, vt criminis occulti author & conſummator ſit liber à ſuſpenſione & irregularitate, & non ab aliis pœnis. Nam magna hæc videtur eſſe ratio vt ſic decerneretur, quia niſi ita fieret, innumera orirentur pericula animarum, & valde multi ſcrupuli quotidie ſuſcitarentur,qui hominum conſcientias vehementer vexarent. Vt igitur hæc animarum pericula tollerentur,& iuſta conſcientiis ſecuritas daretur, iuſtè & rationabiliter eccleſia noluit peccatores omnino occultos ſubiici ſuſpenſionibus, & irregularitatibus. Et quia circa alias pœnas non tot,nec tanta imminebant animarum pericula,ideo noluit illas peccatoribus occultis dimittere. C

Circa has pœnas in quas peccator occultus incidit,annotare oportet vnum ſimile illi quod circa excommunicatum occultum ſuperius dixi. Si quis tabellio aut quiuis alius in ſimili officio conſtitutus commiſiſſet crimen, propter quod eſſet ipſo iure priuatus officio, quandiu crimen eſſet occultum, non teneretur renuntiare officio ſuo, ſi id ſine famæ ſuæ diſpendio facere non poteſt, quia non debet ſeipſum infamare. Nam ob hanc cauſam (vt capite decimo, huius ſecundi libri in ſolutione primi argumenti dixi) ſi res quæ poſsidetur eſſet non ſolùm dimittenda, ſed etiam alteri reddenda, non teneretur illam reddere, ſi illam ſine famæ ſuæ iactura reddere non poſſet. Deinde, ſi ille tabellio propter famæ periculum non renuntiat officio,quamuis ſit ipſo iure priuatus illo,quandiu tamen crimen eſt occultum, & officium retinet, valebunt inſtrumenta per illum confecta. Idem prorſus dicendum eſt, ſi prætor propter crimen aliquod occultum eſſet ipſo iure priuatus officio: quia omnia quæ illo tempore geſsit, niſi alia ratione infirmentur, erunt propter publicam vtilitatem valida, quæ nihil prorſus valerent, ſi crimen eſſet publicum. Hoc apertè docet Angelus de Peruſio in Authentica de inceſtis nuptiis, numero quinto, & pro hac ſententia citat l.Barbarius, ff. de officio prætoris. Poſſunt etiam pro eadem ſententia adduci ea quæ in ſecunda principali concluſione diximus ad probandum D

actus

A actus legitimos ab occultè excõmunicato geſtos, eſſe propter publicam vtilitatem validos.

Ab hac noſtra quarta principali cõcluſione excipiendam eſſe cenſeo infamiam, quoniam, etſi inter pœnas ciuiles illa ſit numeranda, & aliquando ipſo iure inferatur, ſi tamen crimen fuerit omnino occultum, nunquam propter illud in talem incidet pœnam. Quia ſicut fama ex publica bonorum operum notitia oritur, ita etiam infamia quæ eſt illi contraria oritur ex publica notitia criminis perpetrati. Et hoc apertè probatur per id quod Calliſtratus iuriſconſultus ait in l.Cognouimus.ff. de variis & extraordinariis cognitionibus. Exiſtimatio, inquit ille, eſt dignitatis illæſæ ſtatus legibus ac moribus comprobatus, quæ ex delicto noſtro authoritate legum aut minuitur, aut conſumitur. Hæc ille. Ex quibus verbis conſtat famam ex bonis moribus, infamiam verò ex delicto naſci. Neutrum autem ſine publica rerum notitia contingit, quod apertè oſtendit Virgilius dicens.

Extemplo Lybiæ magnas it fama per vrbes. *Virgilius 4.Aenei.*
Fama malum, quo non aliud velocius vllum
B *Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo.*

Et Cicero ad Quintum fratrem ſcribens dixit. Quod ita eſſe conſtanti fama atq; omnium ſermone celebratum eſt. *Cicero.* Et idem in Topicis dixit. Fama vulgi quoddam multitudinis teſtimonium eſt. Ex quibus omnibus conſtat famam eſſe publicam bonorum exiſtimationem, & infamiam eſſe publicam exiſtimationem, quæ de crimine alicuius habetur. Et inde apertiſsimè conuincitur, vt ſi crimen ſit omnino occultum, in nullam propter illud incidat ſiue facti, ſiue iuris infamiam. Et inde vlterius ſequitur, vt ille non ſit ipſo iure factus inhabilis ad beneficium aut officium aſſequendum, aut ad teſtimonium in iudicio dicendum, aut ad aliquos alios actus legitimos exercendos, à quibus ipſo iure repelluntur infames. Quia ſicut per illud crimen non incidit in pœnam infamiæ, ita nec in alia incommoda, quæ ex infamia ſequuntur.

FINIS.

LVGDVNI,
Excudebat Iacobus
Faure.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE